



SEPTIMII M. VECCHIOTTI

INSTITUTIONES

CANONICAE

ex Operibus

IOANNIS CARD. SOGLIA

EXCERPTAS

Voluminis I.

PARS POSTERIOR

TAURINI
ex typis
HYACINTHI MARIETTI

MEDIOLANI
apud
BONIARDI-POGLIANI

MDCCCLXVIII


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
254
5 E
20

SEPTIMII M. VECCHIOTTI

INSTITUTIONES CANONICAE


EX OPERIBUS

IOANNIS CARD. SOGLIA

EXCERPTAE

et ad usum Seminariorum

ACCOMMODATAE





—

Voluminis I.

PARS POSTERIOR

—

TAURINI

EX OFFICINA ECCLESIASTICA

HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXVIII

INSTITUTIONUM
CANONICARUM
LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

PROOEMIUM

Cum Iuris canonici prolegomena superiori libro tradiderimus, atque fontes aperuerimus, ex quibus fluunt ea omnia, quae ipso Iure canonico continentur, instituti nostri ratio postulat, ut de Iure personarum hoc libro pertractemus. Nostrum quidem non est catholica dogmata, quae ad hierarchiam ecclesiasticam, et hierarchorum Iura spectant, contra haereticos stabilire. Delibabimus tamen identidem aliqua ex Ecclesiae monumentis deprompta argumenta. Praecipuum autem munus erit sacros canones, qui personas ecclesiasticas tangunt, facili methodo illustrare.

CAPUT I.

DE STATU PERSONARUM

§ 1.

De liberis et servis.

Iure gentium et civili summa personarum divisio est in liberos et in servos. Verum haec partitio quantum ad Religionem attinet perperam in Iure canonico usurpatur, ideo quod in Christo Iesu neque liber est, neque servus, ut loquitur Apostolus ad Gal. c. III, v. 28. Attamen Ecclesia, ne civium ordines, et Iura confunderentur, civilis servitutis effectus non improbavit, quin etiam de iuribus atque officiis servorum et dominorum multos Canones edidisse compertum est. Quidquod non modo fideles, sed Ecclesiae quoque servos suos habuerunt? Interdum enim servi, aut inter vivos donabantur Ecclesiis, aut testamento relinquebantur, interdum etiam Deo et Sanctis eius pro animae remedio conferebantur c. 4 de rerum permut. Imo vero cum servi in commercio essent, nihil obstare videbatur, quin ab ipsis Ecclesiis vel emptione, vel alio oneroso titulo adquirerentur. Mitius tamen cum servis suis Ecclesiam semper egisse, quod eius benignitas et mansuetudo exposcere videbatur, monumenta vetera satis superque testantur; neque Ecclesiae servi cum profanis permutari, neque iterum in servitutem laicorum tradi

poterant, nisi forte in poenam, cum fugitivi ab Ecclesia exstitissent c. 4 eod. In decretalibus Gregorii IX prostant tituli de servis non ordinandis, et eorum manumissione, de coniugio servorum, deque natis a libero ventre. At in 6 decret., et in posterioribus Iuris canonici partibus de servis omnino siletur. Quamobrem vulgo putatum est, servitutem inter christianos paulo post Gregorium IX penitus extinctam fuisse. Verumtamen plus tribus elapsis saeculis ab aetate Gregorii IX servi adhuc in catholicis provinciis habebantur, quod exploratum est ex Synodo Mexicana anni 1585, in qua multa de servis in catholica religione erudiendis, deque spirituali eorum cura constituta sunt.

§ 2.

De Clericis et Laicis.

Christiani omnes, quatenus ad Ecclesiam pertinent, in clericos et in laicos dividuntur. Clerici, a voce graeca κλῆρος, sive sors et haereditas, proprie dicuntur, qui ordine aliquo, aut potestate donati in Ecclesia praesunt, vel ministrant; laici a graeca voce λαός, plebs, populus, dicuntur, qui nullo ordine, nullaque potestate sacra decorantur. Simile personarum discrimen est in quovis bene ordinata civitate, quae duabus partibus constat, magistratu nempe et populo. Ergo clerici distinguuntur a laicis ratione ordinis et potestatis spiritualis, eaque distinctio non ab Ecclesiae institutione, sed ab ipso Iure divino profecta est. Enimvero distinguuntur ratione potestatis spiritualis,

quia Christus potestatem ipsam non omnibus indiscriminatim fidelibus, sed certis tantum designatisque personis tradidit. Siquidem Luc. VI, 13: « Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit » et « Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei » quod docemur Act. XX, 28.

Distinguuntur autem ratione ordinis, quia Sacramentum Ordinationis, quo spiritualis ordinis potestas ad obeunda ecclesiastica ministeria confertur, indelebilem characterem imprimit, veluti signum divinitus inditum, quo semel ordinati a non ordinatis secernuntur, acceptaque semel potestas ordinis adimi nunquam potest, sed solus eius potestatis usus. Ad rem S. Aug. apud Gratianum c. 32, dist. 4 de Consec.: « Sicut, inquit, baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit. » Ex quibus consequitur recentiores haereticos dupliciter errare, et quod potestatem clavium toti fidelium multitudini a Christo traditam fuisse contendant, atque adeo nullam personarum distinctionem Iure divino factam esse; et quod ordinationem putent externam et temporariam personae electionem, per quam a laicis quoque peractam munus in Ecclesia gerendum concreditur: unde fit, ut, abdicato munere, vel amisso, ordinatus iterum efficiatur laicus, perinde atque ecclesiasticis officiis numquam perfunctus esset. Quam quidem utramque haeresim anathemate confixit Trid. Synodus sess. 24, c. 3: « Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Do-

mino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit. » Qua super re eadem S. Synodus sess. 23., c. 4 sic praemiserat: « Quoniam vero in Sacramento Ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito S. Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti sacerdotes temporaneam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exercent. » Quod si quis omnes Christianos novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere, perinde ac si, contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes prophetae, omnes evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores. Fateor equidem christianos aliquando indiscriminatim vocatos esse nominibus clericorum et ecclesiasticorum; at haec duo nomina latiori et mysticà significatione accipiebantur. Clerici enim vocati fuerunt, vel quia aliquo officio ecclesiastico fungerentur, nullo ordine insigniti, eo ferme modo, quo nunc clericos vocamus pueros illos, qui nec ordine ullo, nec tonsura initiati Ecclesiis passim inserviunt, vel quia in sortem et haereditatem Domini per Christum vocati essent, quemadmodum etiam Sacerdotes et Reges nuncupati sunt, eo quod per baptismum participes efficiebantur Christi, qui Rex et Pontifex est. Ad rem Ambrosius l. 4 de Sac.: « Unusquisque in baptismo ungitur in Sacerdotium,

ungitur in regnum, sed spirituale regnum est et sacerdotium. » Pariter omnes christiani, nullo clericorum et laicorum facto discrimine, dicti sunt ecclesiastici, maxime cum iudaeis, paganis, atque haereticis opponerentur, quia nempe christiani pertinent ad ecclesiam, extra quam Iudaei, pagani, et haeretici versabantur.

Quaeritur hic 1° An Catechumeni, a voce graeca κατηχεῖν sic dicti, ad Ecclesiam pertineant. Iam vero Catechumeni, quasi candidati christianae religionis, quos Ecclesia fidei christianae elementa docet, atque ad baptismi gratiam recipiendam instituit, aliquo pacto, spe nempe ac merito, licet non actu, ad Ecclesiam pertinere videntur, sive, ut ait Augustinus Tract. 11 in Ioan., « nondum filii essent, pertinent tamen ad Ecclesiam, » eiusdemque filii sunt, ut idem subdit, « in ventre concepti, nondum in lucem editi » et salutem aeternam assequuntur, si mortem obeant, antequam baptizentur.

2° De monachis et regularibus quaeritur, utrum Clerici, an laici habendi sint? Si primaevam eorum originem et institutionem consideres, profecto inter laicos annumerabis: postquam vero ad Sacros Ordines, quibus antea non initiabantur, aditus eisdem patuit, in posterum inter clericos relati sunt: quapropter etiam regulares clerici nominantur. Laici vero professi, qui nempe remoti a quocumque Ordine vota tantum nuncupant, revera laici habendi sunt, gaudent tamen, quemadmodum moniales, privilegiis clericalibus, praesertim fori et Canonis cap. Non dubium 5, de Sent. excom.

§ 3.

De variis clericorum et laicorum ordinibus.

Hactenus Christianos omnes invicem comparavimus, unde clericorum et laicorum divisio proficiscitur. Nunc laicos cum laicis, et clericos cum clericis conferre oportet, ut videamus, utrum diversi inter ipsos ordines constituendi sint. Iam vero quod laicos spectat, omnes in re nostra sunt pares inter se, et principes ipsi supremi, in Ecclesia subsunt, non praesunt, cum ad iura maiestatica regimen Ecclesiae non pertineat. Hinc S. Chrysostomus in Marc. hom. 33 pastorem Ecclesiae sic alloquitur: « Dum quispiam, si consul ipse, si quis diademate ornatus abeat indigne, cohibe, maiorem tu illo potestatem habes. » Suarez in defin. fidei cath. l. 3, c. 21 et 22 omni argumentorum genere demonstrat: « Pontificem Romanum esse spiritualem patrem et pastorem, summum regum et principum temporalium, quantumcunque in suo ordine supremi sint; ac proinde in his, quae ad animam et spirituale regimen spectant, reges esse Pontifici subiectos. Haec assertio est de fide catholica tenenda, quia Scripturae, Pontificum, Conciliorum et Patrum testimonia, quae probant Pontificem Summum succedere Petro in universali Ecclesiam regendi potestate, probant etiam reges subdi eidem potestati Pontificis, saltem in spiritualibus, nam potestas data in totum ovile, seu corpus ad singulas oves, seu partes extenditur. » Sunt tamen summi Impe-

rantes Sacrorum Canonum vindices et defensores, eorumque auxilium auctoritatemque saepius implorarunt Sanctissimi Ecclesiae Praesules, quotiescunque res fuit de tuenda religione et fide catholica, seu cum actum est de publico scandalo propulsando, ne populi mores palam inficerentur; ipsique Tridentinae Synodi Patres saluberrimo illo opere ad finem properante, non dubitarunt monere Principes « ad operam suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt, ab haereticis depravari, aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur. »

Verumtamen quod ad clericos pertinet, ii non sunt omnes pares inter se, sed aliis alii superiores ordine et potestate, ex qua graduum diversitate ecclesiastica hierarchia constituitur, quae duplex est, ordinis nimirum et iurisdictionis; prior in Sacramentis administrandis, aliisque muneribus sacris obeundis posita est, altera in potestate regendae gubernandaeque Ecclesiae. Utraque ad cultum Dei, aeternamque salutem animarum divinitus instituta est. Praeclare S. Thomas 2. 2. q. 39, n. 3 in corp., et p. 3, q. 63, n. 2: « Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis: sacramentalis quidem potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur..... Tamen haeretici et schismatici usum potestatis amittunt, ita scilicet, quod non liceat eis sua potestate uti: si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus..... Potestas autem iurisdictionis est quae ex

simplici iniunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adhaeret. Unde in schismaticis et haereticis non manet; unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare... quod si fecerint, nihil est actum. »

Utraque praeterea Hierarchia variis gradibus constat, quibus varia iura et officia adnectuntur, estque divini iuris vel ecclesiastici. Ad utramque hierarchiam divina ordinatione constitutam ex definitione Concilii Trid., sess. 23, c. 6 pertinent « Episcopi, Presbyteri et Ministri, quo posteriori nomine saltem Diaconi continentur. » Itaque Episcopi iure divino primum obtinent hierarchiae gradum sive ordinis, sive iurisdictionis, inter quos Summus Pontifex, cum Episcopus Episcoporum sit, non quidem ordine, sed iurisdictione, singulis et omnibus antecellit. Hinc Episcopatus in ordinis et iurisdictionis hierarchia primus est, quo plenitudo sacerdotii, sive omnis spiritualis potestas continetur. Secundum post Episcopos veniunt Presbyteri et Diaconi, qui vi ordinationis in sola ordinis hierarchia constituuntur. Itaque in hierarchia ordinis secundum gradum occupant Presbyteri, qui tamen nec sacram ordinationem, nec sacramentum Confirmationis vi suae potestatis conferunt, sed reliquas sacerdotii partes sub Episcopis obire possunt.

Sacerdotum munera Pontificale Romanum describit his verbis: « Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare. « Itaque sacerdotes per sacram Ordinationem apti et idonei fiunt ad omnia Sacramenta, si Confirmationem, et Ordinem excipias, conficienda et administranda; verumtamen in iis,

in quibus exercendis assignatio subditorum necessaria est, actus ordinis sine huiusmodi assignatione, seu iurisdictione non modo illiciti, sed etiam nulli, atque irriti omnino sunt ea ratione, qua proximo capite explicabimus. Quod vero ad benedictiones spectat, sacerdotes aquam, agros, novos fructus et alia huiusmodi, ritu christiano, lustrant, sed in his ritus et consuetudines Ecclesiarum servandae sunt, quatenus quaedam benedictiones Episcopis, vel Presbyteris ab eo delegatis reservantur, quaedam Parochis, quaedam tandem aliis Presbyteris permittuntur; illud vero certum est benedictiones solemnes et maiores, ubi praesertim sacra unctio adhibetur, ad solos Episcopos pertinere. Ad reliqua vero sacerdotum munera rite obeunda, si Presbyter commissam sibi alicuius populi curam non habeat, dubitandum non est, quin Episcopi venia atque auctoritate indigeat.

Hinc Episcopos ex divina institutione Presbyteris praestantiores esse potestate et dignitate, duosque gradus in Ecclesia invicem distinctos constituere dogma catholicum est ab ipso Tridentino definitum, sess. 23, cap. 7. Postremus est gradus diaconorum, quorum institutionem Lucas memoriae prodidit Act. VI, 1, seq. Munus autem ipsorum, quo primum constituti sunt, non solum erat praeesse mensis, rebusque temporalibus, sed etiam ministeriis sacris et altaribus inservire. Eorum munera sic explicat Pontificale Romanum: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare. » Diaconos itaque oportet Episcopo, vel Sacerdoti sacra facientibus ad aram proxime inservire, seu ministrare, atque in solemni Missa Evangelium canere. Olim Diaconi Eucharistiam

populo passim tribuebant; nunc vero ex Concilio Arelatensi I, « Diaconus Corpus Christi, praesente Presbytero, tradere non praesumat. » Et ex Chartaginiensi IV « Praesente Presbytero, Diaconus Eucharistiam populo, si necessitas cogat, iussus eroget. » Idem tenendum de baptismo, quem Diaconus solemniter ministrare nequit sine Episcopi, vel Parochi delegatione, quae quidem facultas tribuenda non est, nisi necessitas postulet. Quod autem ad praedicationem spectat, Diaconus debet concionis habendae facultatem ab Episcopo impetrare.

§ 4.

De gradibus clericorum ecclesiastico iure constitutis.

Ut sermonem ab ordinis hierarchia sumamus, perdifficilis et perobscura quaestio est, an reliqui ordines diaconatu inferiores iure divino institutionem acceptam referant, an ecclesiastico, qua super re legendus est Bened. XIV, qui in ea tractanda praeclare versatus est, et quid in quamque sententiam dici possit copiose profert de Syn. Dioec. l. 8, c. 7. Quaeritur etiam, an omnes etiam maiores dicti, ordines veri Sacramenti rationem habeant? Presbyteratum esse vere et proprie Sacramentum, de fide est. Num Episcopatus ac Diaconatus habeant Sacramenti rationem vix dubitari potest, quin imo id fidei proximum esse, plurium theologorum sententia est. De caeteris disputatio difficilis est, de qua vide Theologos. Ceterum illud certum est, nempe

« ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina et uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi, scilicet Acolyti, Exorcistae, Lectores, et Ostiarii in usu fuisse, » quae verba sunt Concil. Trident. sess. 23, c. 2. De his priusquam dicamus, pauca de tonsura clericali praeponenda sunt. Est autem tonsura exterior quidam ritus, seu caeremonia ecclesiastica, qua laicus per tonsionem capillorum in vertice capitis, et per vestis clericalis traditionem divino cultui mancipatur; et tonsura prima est ad Ordines praeparatio. Conc. Trid. sess. 23, c. 4 de Reform. sic statuit: « Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse. » Tonsura clericalis non est ordo, quia nulla spiritualis potestas tonsurato confertur; adde auctoritatem Conc. Trid. sess. 23, cap. 6 de Reform., ubi tonsuram diserte videtur ab ordinum albo expungere, dum eam ab ordinibus distinguit, ait enim: « Nullus tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus » etc.; et Catechismus Romanus part. 2, cap. 7: « Tonsuram quamdam ad ordines suscipiendos dispositionem » appellat. Et S. C. C. apud Fagnanum in cap. Cum contingat de aetate et qualit. et ord. praeficiend. declaravit Episcopum Hieracensem ob primam tonsuram extraneo collatam suspensioni non esse subiiciendum, quoniam « tonsura a Concilio non habetur pro ordine. » Tonsuratus autem fit capax Ecclesiasticae Iurisdictionis, et gaudet privilegiis

Canonis et Fori, si vestes clericales deferat, eaque servet, quae de vita et honestate Clericorum sancita sunt, de quibus alio loco dicendum erit.

Quibus praepositis, ad reliquos ordines descendamus. Prior seu subdiaconatus, maior dicitur, minores, reliqui quatuor. Ostiariis itaque potestas datur templorum ianuas custodiendi, ab iisque excommunicatos, et infideles arcendi, scilicet tempore sacrificii, non vero Concionis vel lectionis Sacrae Scripturae. Hac de causa Ostiarii, cum ordine initiantur, claves ab Episcopo accipiunt.

Lectorum potestas est Sacras Scripturas in Ecclesia recitandi, aeque ac explicandi, et idcirco in eorum ordinatione Sacra Biblia iisdem ab Episcopo traditur.

Exorcistis potestas tribuitur invocandi nomen Domini super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur; quare exorcistae exorcismorum librum in sua ordinatione accipiunt. Hodie tamen ad malos spiritus adiurandos soli Sacerdotes ab Episcopo adhibentur, iique prudentes atque docti, neque sine licentia Episcopi agere quidquam possunt.

Acolytis potestas conceditur Ceroferarium ferendi, cereos ad Sacrificium Missae accendendi, vinumque et aquam in urceolis parandi, eosque ad Eucharistiam Subdiacono ministrandi. Quapropter eisdem cum initiantur ceroferarium cum cereo, et urceoli vacui traduntur, de quibus suo loco disputabimus.

At vero in hierarchia iurisdictionis, praeter Episcopos et Romanum Pontificem, reliqui gradus omnes originem suam ab Ecclesia duxerunt. Sic inter Pontificem et Episcopos, Patriarchae, Exarchi, Primates, Metropolitani, sub Episcopis autem,

ut ei auxilio essent, Praelati inferiores, Archidiaconi, Praepositi, Parochi, et id genus alii constituti sunt.

Subdiaconi, qui diu inter minores ordines numerabantur, ineunte saeculo XII, aut non multo secus, maioribus ordinibus adscripti sunt, eisque lex continentiae imposita. Eorum officia ita describuntur a Pontificali Romano: « Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre. »

§ 5.

De operis partitione.

Cum de Iuribus et officiis personarum, quae ad Hierarchiam tum ordinis, tum iurisdictionis pertinent hoc libro agendum nobis sit, rem auspicamur a Romano Pontifice, universae Ecclesiae capite centroque unitatis, et inde a superioribus utriusque hierarchiae gradibus ad inferiorem descendemus. In singulis autem gradibus potestas, quae ipsis inest sive ordinis, sive iurisdictionis explicabimus, ne ad eumdem gradum illustrandum saepius redire cogamur. Dein vero videbimus, quemadmodum potestas sive ordinis, sive iurisdictionis acquiratur, quibusve modis amittatur. Denique sermonem de iis habebimus, qui promoveri non possunt, eaque omnia breviter exponemus, quae ad clericos pertinent.



CAPUT II.

DE ROMANO PONTIFICE

§ 6.

De primatu Sancti Petri.

Romani Pontificis maiestas atque auctoritas, quam haeretici et schismatici de gradu deiicere omni tempore moliti sunt, copiosam tractationem postulat. Sed non ego persequar quaestiones propemodum infinitas, quae de Romano Pontifice excitantur, tum quia ratio instituti nostri non patitur in disserendo longiores esse, tum quia plures huiusmodi quaestiones, iure quodam proprio, ad Theologos pertinent, a quibus et catholica veritas strenue vindicata, et adversariorum argumenta iam diluta omnino sunt.

Verum non est animus quae ad Romani Pontificis primatum, eiusque iura adstruenda, et ad canonum illustrationem faciunt, penitus praeterire. In primis itaque de S. Petro, et Romanorum Pontificum primatu, deque eius natura et fine disputabimus, ex quibus quasi praeiactis fundamentis singillatim colligemus atque illustrabimus iura atque privilegia, quae ab eodem primatu, tanquam a radice et fonte derivantur.

§ 7.

De institutione primatus Sancti Petri.

Christus Dominus, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, ex hoc mundo migraturus neminem reliquit sibi successorem « cum ipse eo quod maneat in aeternum, sempiternum habeat sacerdotium » ut loquitur Paulus ad Hebr. c. III, 24. Sed tamen Vicarium suae potestatis in terris constituit S. Petrum, quem eminenti supra caeteros Apostolos et universam Ecclesiam potestate donavit. Plurima vero sunt S. Script. loca, quibus haec catholica veritas comprobatur, sed propositae brevitatis memores, uno vel altero testimonio contenti erimus. Ac primo quidem sit illud Matth. XVI, 16-19, ubi Christus ipse Petrum divinitatem eius profitentem his verbis sic est allocutus: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam..... Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram etc. » Quibus verbis significatur, Petrum in Ecclesia futurum, quod est fundamentum in domo, super quo scilicet tota domus innititur, eique promittuntur CLAVES coelorum, quae sunt supremae potestatis indicia. Namque traditio clavium, ex usu loquendi Scripturae, largitionem supremae potestatis significat. Ita apud Isaiam XXII, 22 suprema potestas sacerdotalis Eliacimo promissa est his verbis: « Dabo CLAVEM domus David super humerum eius, et aperiet, et nemo erit qui claudat, et claudet, et nemo erit qui aperiat. » Et apud Lucam XI, 52 Christus: « Vae vobis, inquit, legisperitis,

quia tulistis CLAVEM scientiae, » hoc est, qui vobis summam interpretandi Scripturas auctoritatem assumitis. Et eadem loquendi formula occurrit in Apocalypsi III, 7, qua supremum Christi imperium in regno Dei significatur.

Alterum sit Ioann. XXI, 15, 16, 17, ubi plenitudinem potestatis Petro promissam contulit deinde Christus, quando post resurrectionem suam, praesentibus reliquis Apostolis, UNUM Petrum ter interrogat: « Simon Ioannis, diligis me plus his? » Et trinae interrogationi cum Petrus respondisset: « Domine, tu scis, quia amo te, » Christus ter subdit: « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » Quid porro sibi vult isthaec iterata de amore interrogatio, istud iteratum pascendi gregis mandatum? Quid magnifica verba non ad Iacobum, non ad Ioannem, non ad alterum ex praesentibus Apostolis, sed ad UNUM Petrum: « Pasce agnos meos, pasce oves meas? » Iam vero cui dicitur PASCE, is constituitur pastor; cui dicitur PASCE AGNOS MEOS, PASCE OVES MEAS, is constituitur Pastor universalis, Pastor totius gregis, Pastor fidelium et pastorum. Ad rem S. Bruno Astensis, homilia in vigilia festi S. Petri, ait: « Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres: regit et subditos et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia, praeter agnos et oves, in Ecclesia nihil est. » Petrus itaque Apostolorum Princeps constitutus, et Primatum non modo honoris, sed etiam iurisdictionis, hoc est, curam totius Ecclesiae suprema cum potestate coniunctam ab ipso Christo accepit. Tertium tandem testimo-

nium desumitur ex illo Christi sermone Lucaę XXII, 31, 32, quo post novissimam coenam ita coram discipulis loquutus est: « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » quibus verbis significatur praecipuum illud officium, quod Petrus Ecclesiae Princeps habiturus erat ad fidei depositum in Ecclesia universa custodiendum.

Finge modo terrenum aliquem Regem in longinqua ivisse, ibique vindicasse libertatem populi cuiusdam ad suam ditionem pertinentis, qui ab hostibus dira tyrannide opprimebatur. Fac porro Regem ipsum, cum exinde abiturus esset, delegasse nonnullos, qui liberatae gentis curam haberent, et eorum uni hoc modo loquutum fuisse: « Scito universitatem huius populi super te constitutam esse, quasi aedificium quoddam super petram. Claves mei regni tibi, in hisce locis, committo, spondeoque me rata habiturum omnia, quae ligando, solvendoque decreveris. Eorum itaque, qui ex isto populo sunt, curam habeto, quasi pastor gregis; et cum tu fidelissimus sis, fac ut caeteros etiam in mea fide confirmes. » Finge tandem Regem illum post haec retrogressum fuisse ad suam urbem. Si qui huius allocutionis conscii, in hac specie, detrectarent in homine illo vicarium regis agnoscere, et talem quidem, cui vera, plena et praeeminens iurisdictio a Rege data sit, ii procul dubio a perfida adversus Regem contumacia excusari non possent. Nec excusatione ulla digni profecto essent, etiamsi a sermone, quem posuimus, abessent prima illa verba, quibus Rex eum-

dem hominem comparat petrae cuidam, super quam populi universitas aedificata esse intelligatur. Etenim, isto etiam eius sermonis exordio deleto, adhuc tamen potestas homini a Rege attributa in dubium revocari nequiret, siquidem caetera, quae sequuntur, satis superque demonstrant Regis voluntatem, qui ad suam urbem reversurus, gentem recens a se libertati redditam homini eidem committebat, ut illam vice sua supremo iure gubernaret. Haec porro animadversio vel sola sufficit ad eam destruendam difficultatem, deductam ex Augustini opinione Tract. 124 in Ioan. n. 5, et serm. 76, quam pauci quidam scriptores veteres, contra communem plurimorum Patrum sententiam, sequuti sunt, referendi nempe ad Christum ipsum verba illa, *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* quae habentur in test. Matthaei. Enim vero ad rem nostram satis abunde sunt, tum sequentia eiusdem testimonii verba, tum illa quae ex Ioanne, ac ex Luca retulimus.

Dupinius dissert. 4 de auct. Eccles. discipl., aperte negat ex allatis S. Scripturae testimoniis Petri primatum comprobari, tum quod potestatem ligandi et solvendi, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum aliis etiam Apostolis reapse dederit, tum quod Ecclesiam super omnes Apostolos aedificaverit, quod SS. Paulus et Ioannes profitentur, dum prior ad Ephesios II, 20 Christianos vocat, « Cives sanctorum et domesticos Dei, superaedificatos super fundamentum Apostolorum, » alter vero, Apocalypsi XXI, sibi apparuisse narrat « murum civitatis, videlicet Ecclesiae, habentem fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum. » At vero Dupinium a-



nimadversione simplici et dilucida, magis quam argumentis theologicis refellimus. Sic itaque cum auctore Instit. Iuris Eccles., Constantiae 1782, et illo quidem Romanae Sedis minus addicto, animadvertimus : « Si Christus, dum verbis adductis Petrum solum, praesentibus reliquis Apostolis, allocutus est, praecipuam ei potestatem non contulit, tunc verba illa hunc sensum habent: Simon, quia prae caeteris Apostolis praesentibus confessus es divinitatem meam, ideo tibi communem cum omnibus Apostolis potestatem dabo; item : Simon Ioannis, quia plus caeteris Apostolis me diligis, ideo committo tibi munus pascendi oves meas, quod commune cum aliis Apostolis tibi iam antea commisi; quis non indigne feret Sapientiae incarnatae sermonem sensu ita ridiculo exponi? Restat igitur, ut dicamus peculiarem aliquam, et a caeteris distinctam potestatem, sive primatus potestatem Petro collatam esse. »

Post haec, ut intimius adhuc perspicitur, vis verborum Christi, quae in tribus citatis a testimoniis continentur, iuvabit in memoriam revocare et verba, quibus ipse usus est, cum Ecclesiae procurationem Apostolis universis committeret Lucae VI, 12, ad Corinth. IV, Matth. XVIII, 18, Ioan. XX, 21; siquidem in verbis ad integrum Apostolorum collegium directis, nullum prorsus invenies ius, seu munus, quod Petro etiam, tanquam omnium capiti, non fuerit specialiter attributum; quin imo animadvertere etiam est, Christum Dominum cum Ecclesiae regimini providere vellet, initium prorsus fecisse a Petri primatu designando, ut deinceps nil aliud Christus ipse caeteris Apostolis daret, nisi participationem in plenitudine sacrae iuris-

dictionis, quam Petrò, tanquam summo Ecclesiae Principi, contulit. Itaque « per Petrum et Apostolatus et Episcopatus in Christo caepit exordium » ut ait Innocentius I in Epist. ad Arctricium Rotomagensem c. 2, t. 7, Bibl. Gallandii, p. 546.

Hoc dogma de Primatu divinitus constituto ex unanimi Sanctorum Patrum consensu et perpetua Ecclesiae doctrina confirmatur. Cum nimis longum esset omnes Sanctorum Patrum sententias in medium proferre, nos aliquas tantummodo adnotabimus. Apud Origenem in cap. 6 ep. ad Romanos legitur: « Petro Summa rerum de pascendis ovibus tradita, et super ipsum, veluti petram, fundata Ecclesia. » Apud S. Cyrillum catechesi 2 et 11 legitur: « Petrus Apostolorum summus et Princeps. » Apud S. Ephrem Syrum, serm. de compunct., Petrus vocatur « Princeps ac vertex Apostolorum. » Apud S. Gregorium Nyssenum, serm. 2 de S. Stephano, Petrus dicitur « Apostolici chori Princeps et Coryphaeus. S. Augustinus lib. 2 de Baptismo tom. 9, col. 97, edit. Venetae, de Petro dicit: « In quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet. » S. Ambrosius lib. 10 in Lucam de Petro scribens, ait: « Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui praeferendum? » S. Chrysostomus hom. 5 de Petro, inquit: « Ecclesiae Praefectura per universum mundum traditur. » Plura Patrum testimonia videsis penes Bolgeni « l'Episcopato, n. 4, et l'Analisi del libro intitolato l'Episcopato, » nec non penes Lamennais « tradition de l'Église sur l'institution des Évêques » introd. p. 33 et seq.

Apostoli ipsi, quamquam plurimis donis et ingenti potestate aucti essent, « attamen, ait De Marca in dissert. de singulari

Primatu Petri num. 5, maiestatem eius (Petri), ut Capitis a Christo constituti, duobus praecipue modis colere debebant.

» Primus modus colendae in Petro Primatus dignitatis versabatur in communione cum Capite retinenda. Quae communionis necessitas dupliciter spectari poterat; vel habita ratione Apostolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro, ut Capite, conservandam tenebantur; vel etiam ratione habita Ecclesiarum, quas per provincias ipsi instituebant, ea lege, ut Petrum tanquam Ecclesiae Caput respicerent, eiusque regimini subiicerentur. Isthaec, quam observavi, necessitas verbis Christi praescripta est. Etenim, ut Ecclesiae unitatem solidaret, UNI claves tradidit, ut docent veteres superius laudati; et super Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, totius aedificii compagem imposuit. Quare nullus coetus poterat esse legitimus, nullus Ecclesiae Pastor admitti, qui a Petro, id est, ab eius communione discederet. Constantiam fidei Ecclesiae quidem suae Christus solemni formula pollicetur, adeo ut inferorum vires eam expugnare non possint; sed illi Ecclesiae hoc privilegium spopondit, quae aedificata esset super petram, quae fundamento illo niteretur....

» Secundus modus colendi Primatus is erat, ut causas communes, ad universalis Ecclesiae disciplinam pertinentes, Apostoli ad eum, tanquam ad Collegii et Ecclesiae Principem discutiendas referrent. Quod factum a Paulo in quaestione de rituum iudaicorum usu a gentilibus ad fidem conversis retinendo. »

De Primatu S. Petri agunt Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 1, cap. 12 et 13, Mamachius orig. et antiquit. christ. lib. 4, par. 2, cap. 1 §. 4; Ballerinus de vi et ratione Primatus Rom. Pont. cap. 9, num. 3; Bolgenius op. l'Episcopato p. 1; Kempenaers de Primatu Romani Pontificis eiusque attributis dissertatio dogmatico-canonica Lovanii 1841; Maurus Capellari (postea Gregorius XVI) op. cui titulus « Trionfo della S. Sede, » ubi clarissimus auctor profligat teterrimum atque exitiale Iansenismi monstrum, quod dolis omnibus artibusque nequissimis Ecclesiae Hierarchiam subruere, ac Romani Pontificis praesertim auctoritatem convellere, aut saltem imminuere summa cum perfidia molitur. Vide etiam P. Passaglia in commentario de praerogativis B. Petri Apostolorum Principis, Ratisbonae 1850 et Theologos passim.

§ 8.

De Romano Pontifice S. Petri successore.

Primatus est ad pascendam regendamque Ecclesiam institutus. Quod autem totius communitatis bonum et regimen spectat, id sane oportet in eadem communitate fixum et perpetuum esse. Ergo moriente Petro, Primatus extingui non debuit, sed omnino manere, atque perseverare, utpote qui non in commodum ipsius Petri, sed propter unam atque perpetuo mansuram Ecclesiam constitutus est. Exinde vero iam intelligitur quantum stultitiae insit in perversa illa doctrina Ioan. Hus, qui affirmabat « non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam; quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur et conservetur. » Propositio haec exstat n. 27 inter theses Ioannis eiusdem, quae a Constantiensi Concilio et a Martino V condemnatae fuerunt, Const. *Inter cunctas*, et *in Eminente* an. 1418. Porro ad stultitiam eiusdem propositionis luculentius reprehendendam, appellare etiam licet tristissimam omnium ab Ecclesiae ortu temporum experientiam, qua edocemur, nullum unquam exstitisse genus hominum a supremi primatus auctoritate rebellantium, qui vel aliquam catholicae umbram unitatis diu retinere potuerint. Quid quod Primatum ipsum ad Ecclesiae unitatem custodiendam necessarium esse fateri coacti sunt non pauci ex adversariis, et illi praesertim, qui prudentiae doctrinaeque laude maiores inter illos habentur? Horum testimonia lege apud Ignatium

Fiume in op. Schola veritatis orthodoxae, et apud De Maistre Du Pape, l. 1, c. 9. Ego speciminis causam unum laudabo Grotium, cuius verba haec sunt: Ordo sive in partibus, sive in toto continetur principatu quodam sive praepositi unitate..... hic ordo semper in Ecclesia manere debet, quia semper manet causa, idest periculum a schismate. » In voto pro Pace t. 3, p. 658, edit. Amstelodam. 1679. Ex quo fit, ut perpetuitas Primatus, non secus atque ipsius institutio, ab iure divino proficiscatur. Sed Primatus perpetuitas Successorem, in quem transeat, omnino postulat; atque adeo ex ipso iure divino, et Christi institutione aliquis sit oportet, qui, mortuo Petro, in Ecclesiae Primatum succedat. Succedit autem Romanus Pontifex; quod multis argumentis comprobatur.

1° Quidem *ratione successionis*. Successor enim et haeres spiritualis potestatis semper in Ecclesia habitus est, qui in eam Sedem conscendit, quam alter aut morte, aut abdicatione spontanea, vel coacta vacuam reliquerit. At Petrus Antiochenam Sedem deserens, secumque Primatum gerens, ad Romanam Sedem se transtulit, in eaque supremum diem obiit, et Ecclesiae Primatum deposuit. Unus ergo Romanus Pontifex, qui in Cathedram S. Petri succedit, legitimus haeres est ac Petri successor, atque adeo in Romanum Pontificem ius omne Primatus transmigravit. Petrum autem advenisse Romam, ibique et Sedem collocasse, et ad obitum usque tenuisse, testis est ipse Petrus, qui epist. 1 cap. ult., v. 13 ita scribit: « Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta. » Neque enim Babylonis nomine Babylonem Chaldaeorum intelligere voluit, quae ante eam epistolam exa-

ratam eversa fuerat, neque Babylonem Aegypti, quae obscurus plane locus tunc erat, nec urbis nomine dignus, sed Romam significare voluit, quae etiam in Apocal. cap. XVII, 5 Babylon appellatur. Id sane docet Papias Apostolorum discipulus; id S. Hieronymus de viris illustribus cap. 8: « Petrus, inquiens in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat; » id Beda in eamdem epistolam cap. 5 dum ait: Babylonem typice Romam dicit, videlicet propter confusionem multiplicis idololatriae; » id denique Interpretes plerique omnes, et ipse Grotius fatetur hisce verbis: « De Babylone dissident veteres et novi interpretes; veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit; novi Babylonem in Chaldaea. Ego veteribus assentior. » Qua de re confer Calmetum in dissertatione *De itinere romano S. Petri*; Fogginium in opere *De romano Divi Petri itinere, exerc.* 10, et clar. Perrone aliosque neotericos auctores. Quae quidem veritas, tot tantisque luculentis veterum Patrum ac scriptorum monumentis evincitur, ut ob consensum scriptorum ne ipsi quidem Protestantes, saltem doctiores, eam rem in dubium revocaverint. Atque adeo Pearsonius, inter iuniores heterodoxos clarissimus, diss. 1 de successione primorum Romae Episcoporum cap. 6 et 7 demonstrat, « numquam non habitum pro certo, Romanam Sedem a Petro institutam, et Romanos Pontifices Petri successores esse, ita ut de Petri in Urbem adventu et obitu ambigi non possit, quin omnia humanae fidei et auctoritatis fundamenta convellantur. » Luculentissimum huius rei testimonium suppeditat liber, quem e codice pari-

sino primum edidit Muller Oxonii 1851, Φιλοσοφούμενα dictus, quo tanti fit ab catholicae doctrinae adversariis.

2° *Ex consensu totius Ecclesiae*: omnes enim Episcopi per orbem dispersi, et universa Christi Ecclesia omni tempore professa est, Romanos Episcopos legitime electos, successores S. Petri habendos esse; ipsique Romani Pontifices potestate Primatus, eiusque iuribus et praerogativis, cum supra fideles, tum supra Episcopos, ipsosque Patriarchas, contradicente nemine, usi sunt. Nicolaus I in epistola ad Michaëlem Orientis Imperatorem octo Patriarchas Constantinopolitanos recenset, qui a Romanis Pontificibus Patriarchatu exauctorati fuerunt. Mittimus testimonia Patrum, quos magno numero tum graecos, tum latinos in medium profert Bellarminus de Rom. Pont. cap. 15 et 16. Ego laudabo S. Irenaeum, qui lib. 3 cont. Haer., c. 3, ait: « Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem (alias potiorem) principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. » Hoc est celebre illud Irenaei testimonium, quod, ut notat Bossuetus in serm. de Unit., omnibus saeculis quasi pro oraculo habitum est. Item commemorabo Cyprianum, qui opponi solet, veluti Pontificis primatui parum obsequens. Hic enim Ecclesiam Romanam appellat « Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, » ep. 55 et hortatus est omnes « ut illam Ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent, atque tenerent » ep. 45. Plura alia allegantur in praef. praemissa edit. Maurinae op. S. Cyp. Vide etiam Marchetti: « Esercitazioni ciprianiche » op.

3° *Conciliorum auctoritate.* Concilium Chalcedonense act. 2 brevem illam sententiam habet « Petrus per Leonem loquutus est. » Concilium Oecumenicum VII epistolam Adriani ad Tarasium approbat, in qua haec habentur de Ecclesia Romana: « Cuius Sedes per totum terrarum orbem obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Caput existit. » Concilia Lateranense III, apud Labbaeum Collect. t. 1, coll. 515, et Lugdunense I, part. 1, coll. 153, Sedem Petri matrem, et magistram universalis Ecclesiae, Romanum Pontificem Christi Vicarium, Successorem Petri et Rectorem universae Ecclesiae appellarunt. Verum ad rem nostram satis superque sit dogmatica Concilii Florentini definitio, quam graeci et latini Patres his verbis proposuerunt. « Definimus S. Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Chr. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur. » Labb. Coll. Conc. t. 13, coll. 515. Huius definitionis verba relata etiam sunt in formulis professionis fidei, quibus hodie quoque utuntur Graeci, aliique orientales catholici, vel qui ad catholicam Ecclesiam redeunt universi. Vide Ben. XIV Const. *etsi Pastoralis* et Const. *Nuper*. In formula vero, qua nos utimur, et qua utuntur caeteri omnes in Ecclesia occidentali, id ipsum profitemur.

4° Denique ex *veteribus diversarum Ecclesiarum*

liturgiis. Non in iis ego immorabor, quas in antiquis Ecclesiis invenimus; in quibus hodie catholica unitas salva est; sed aliquod specimen proferam ex liturgicis libris Russorum schismaticorum, quos scilicet a veteribus catholicis acceptos retinuerunt ipsi, et ad nostra usque tempora usurparunt. Plura ex his libris loca collegit cit. De Maistre, quod quidem et facere potuit, cum non brevi tempore in metropoli Imperii Russorum moratus sit. Mihi sufficiat hic referre verba, quibus, in hymnis, qui exstant in liturgia lib. Moschae edit. an. 1813, ipsi laudant S. Silvestrum, et S. Gregorium M. De illo haec affirmant· « Tu es caput sacri Concilii, ter illustrasti thronum Principis Apostolorum..... O divinum Caput SS. Episcoporum, tu confirmasti doctrinam divinam. » De hoc aiunt eumdem « successive in Throno supremo Petri atque esse haeredem invincibilis Petri, et successorem eius imperii. » Vide Card. Pitra dissert. « Hymnographie de l'Église Grecque » Rom. 1867.

Quare iure merito Pius VI in Brevi « SUPER SOLIDITATE » 28 novembris 1786 concludebat: « Super soliditate petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque, singulari Christi munere, prae caeteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam auctoritatemque in successores omni aevo propagandam susciperet, *dogma catholicum esse*, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores, Summorum Pontificum Conciliorumque

decretis confirmavit. In hoc Apostolicae Cathedrae Principatu firmum voluisse Christum, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda ex membris quantumcunque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut huiusvis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum (esse) quotquot omnibus retro saeculis exstitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in Ecclesiam odium infudit, in hanc primam Sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disiecto, si fieri posset, fundamento, ac dirempta Ecclęsiarum cum Capite coniunctione, qua potissimum nituntur, vigent ac efflorescunt, ipsammet Ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent. » Falso ergo Laurent op. « Étude sur l'histoire de l'humanité » recentiorum praecipue quorumdam historicorum vestigia premens, docet Pontificii Primatus institutum esse humanum, saeculo circiter IX tribuendum.

Confer Petrum Ballerinium « De vi et ratione Primatus Romanorum Pontificum; » Ennodium Faventinum « De Romani Pontificis Primatu; » Froelich, auctorem operis, quod inscribitur: « Quis est Petrus? Sive qualis Petri Primatus » Ratisbonae 1796, Ignatium Fiumium op. « Schola veritatis orthodoxae, ubi Grotii, Hookens, Cartursigitii auctoritates de Primatu habentur. Patricium Kenrick « The primacy of the apostolical See and the authority of general councils vindicated » Philadelphiae 1838, et Rothensee « Der Primat des Papstes in allem christlichen iahrhunderten » Moguntiae 1836.

§ 9.

De fine primatus.

Cum de fine Primatus quaeritur, non ea quaestio instituitur, cur Petro potius, quam alteri cuidam Apostolorum Primatus concessus sit. Eius quidem concessionis causam SS. Patres adscribunt vel ordini vocationis, quia Petrus omnium primus rebus omnibus se abdicavit, vel eximiae eius fidei, quia primus in Christo divinitatem agnovit et confessus est, vel ferventi amori, quia Christum plus caeteris diligebat. Sed quaestio proposita est; quid fuit causae, cur Primatum Christus instituerit? Iam vero Primatum a Christo institutum esse, ut catholicae Ecclesiae unitas formaretur, sartaque tecta custodiretur, ex perpetua et luculenta SS. Patrum traditione certum est. Irenaei, Hieronymi, Leonis Magni, aliorumque Patrum testimonia longum esset referre, eaque legi poterunt apud Petrum Ballerini in aureo libro *De vi et ratione Primatus*, cap. 13. Quamobrem Catechismus Romanus ad artic. 9, Symboli § 12 praeclare, et verissime tradidit: « Fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile Caput (Romanum Pontificem) ad unitatem Ecclesiae constituendam, et conservandam necessarium fuisse. » Sane Christus Dominus non plures, sed unam Ecclesiam constituit; primaque, et potior Ecclesiae praerogativa in unitate posita est, quod Synodus Constantinopolitana I in Symbolo Fidei definivit. Nulla autem unitas esse potest, aut excogitari, nisi unus et certus sit Episco-

pus, cui reliqui Pastores, et fideles adhaerere, et subesse teneantur. Itaque Christus, ait Cyprianus lib. de Unit., « ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit..... et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur. » Et Optatus Milevitanus lib. 2 contra Parmenianum : « Negare non potes Petro Cathedram Episcopalem primo collatam, in qua una Cathedra, unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent. »

Haec autem unitas potissimum sita est in unitate fidei, et unitate caritatis, seu communionis. Primo quidem in unitate fidei, quatenus fideles omnes per eiusdem fidei professionem Ecclesiam unam efficiunt. Ad rem antiquus Auctor Commentarii in Psal. 23, Hieronymi operibus olim inserti: « Ecclesia, ait, ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur propter unitatem fidei. » Secundo autem propter unitatem caritatis seu communionis, quo nomine venit specialis quaedam caritas, qua fideles debent non solum colere, et diligere Episcopos suos, sed eis praecipue consentire, atque obtemperare, singuli autem Episcopi, et fideles communicare, et subesse debent Summo Pontifici, qui catholicae unitatis, et communionis centrum est et origo. Hinc Bossuetus in expositione doctrinae cath. cap. 24 egregie scripsit: « auctoritatem Episcopatus statuere unitatem in Ecclesiis particularibus, Primatum vero S. Petri esse centrum commune totius unitatis catholicae. »

Ex his colligere poteris, unitatem fidei et communionis cum Summo Capite Romano Pontifice penitus necessariam esse; ac inaniter profiteri sese communioni catholicae adhaerere, qui a Romano Pontifice propter haeresim, vel propter schisma dissentiunt. Cum Miletus, Vitalis et Paulinus de Episropatu Antiocheno contenderent, S. Hieronymus ad Damasum litteras dedit, ut verum Episcopum internosceret: « Ego, inquit, clamito: Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est. Miletius, Vitalis, Paulinus tibi haerere se dicunt. Possim credere, si hoc unus assereret; nunc autem aut duo mentiuntur, aut omnes, idcirco Beatitudinem tuam obtestor, ut mihi litteris datis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. »

De hoc argumento legendum est praeclarum opus *De schismate*, quod gallice primo editum est, tum italice redditum prodiit anno 1718 sine nomine auctoris et loci.

§ 10.

De nexu Primatus cum Romana Sede.

Quanquam catholicis omnibus certum exploratumque sit, Romanos Pontifices divino iure in Primatum S. Petri succedere, quia Christus Primatum ipsum perpetuo in Successoribus Petri permansurum instituit, quaestio tamen est, quonam iure, divino ne an humano, Supremus Pontificatus Romanae Sedi adnexus sit, et idcirco, an praerogativa Primatus ipsius a Romana Sede evelli, et in aliam Sedem transferri possit? Putant aliqui conveniens fuisse, et forte etiam necessarium, ad omnem removendam dubitationem super legitimo Successore S. Petri, ut Sedes aliqua particularis pro suis Successoribus a Petro eligeretur, tanquam *medium* quoddam, quo Primatus praerogativa in certos Successores transiret; sed in Petri potestate fuisse, quam mallet, Sedem elige-

re, et ideo Petri voluntate factum esse, ut Romae potius, quam alio in loco suam Sedem ad mortem usque collocaverit. Quemadmodum ergo (sic enim argumentantur) ex facto Petri, quod humanum est, Primatus universae Ecclesiae in Romana Sede relictus fuit, sic poterit ex dispensatione humana, nempe Ecclesiae, iterum ab ea Sede separari.

Aliqui contra affirmant, Romanam Sedem electam, et Successoribus Petri constitutam fuisse non ex unius Petri, sed etiam ipsius Christi voluntate; ex quo consequitur, Primatum eidem Sedi divino iure ita adnexum esse, ut nulla auctoritate humana possit ab eadem separari. Ad hanc tuendam sententiam mirifice faciunt illa SS. Patrum, et Conciliorum dicta, in quibus de Sede Romana adeo praeclara praedicantur, ut semper eam asserant ab ipso Salvatore nostro Primatum obtinuisse, nec non disponente Domino, Ecclesiarum omnium matrem, et magistram exstare. Quis enim ignorat celebre illud Gelasii dictum in Concilio Romano: « Sancta Romana Ecclesia, nullis synodicis constitutis, caeteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini, et Salvatoris nostri Primatum obtinuit. » (Apud Mansium Conciliorum edit. tom. VIII, col. 147). Et ante Gelasium S. Leo ep. 120 ad Theodoretum scripserat de Sede Romana his verbis: « Caeteris Dominus statuit praesidere. » Ac denique, ut caetera omittam, in Concilio Lateranensi IV Sedes Romana praenuntiatur, unam eam esse, « quae, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra. »

Hac de re legendus est Benedictus XIV *De Syn. Dioeces.* lib. 2, cap. 1; Bellarminus lib. 2 *De R. P.* c. 12; Suarez *In Defens. fidei* l. 1, c. 5, n. 4 et l. 3, c. 13, n. 12; Petrus de Marca *Diss. 1 de singul. Petri Primatu* n. 20; Ballerinius *Vindic. auctorit. Pontif.*, cap. 8, §. 2, Dissertatio Augustoduni edita an. 1782, cui titulus *Epistola Sillasipi a Lapide, an Summus Pontificatus a Romana Ecclesia avelli, et alio transferri possit*; et Auctor *Febronii abbreviati cum notis* tom. 1, §. 3, ex quo facere non possum, quin aliquot argumenta sumam, et hoc loco in medium proferam, quibus sententia nostra mirum in modum confirmatur. Sunt autem huiusmodi: 1. « Huic Sedi non aliquod Concilium, non alii homines, sed solus Petrus, et quidem si non speciali praecepto, saltem instinctu divino Primatum adnexuit. 2. Sedes Primatus tot inter procellas ac tot malorum hominum et fraudes et impetus, quibus semper, et maiori usque ratione, hac nostra aetate, oppugnata est, mirabiliter conservata fuit, ut nec pagani, nec haeretici contra eam praevalere potuerint, dum e contra omnes aliae Ecclesiae apostolicae, et Sedes patriarchales ab haeresibus, et infidelitate absorptas esse videmus. 3. Romana Ecclesia ultra mille septingentos annos in quieta possessione Primatus fuit, et a primis usque temporibus nullum Concilium, nullus S. Pater, nullus Imperator vel cogitavit, vel dixit Primatum hunc a Romana Sede ad aliam transferri posse, quod silentium et possessio contrariam sententiam de auferibilitate faciunt omnino incredibilem et temerariam. 4. In aliis Ecclesiis, ad quas forte transferretur Primatus, deficeret Apostolicitas, id est, non foret Apostolica, tum quia ab Apostolis neque fundata, neque a Petro immediate gubernata fuisset,sicque regrediendo a saeculo ad saeculum usque ad Petrum pervenire non posset, in quo tamen praecipuum argumentum contra haereticos posuerunt SS. Patres Irenaeus, Cyprianus, Augustinus, traditionem Apostolicae doctrinae per continuam seriem Romanorum Pontificum demonstrantes, dum aliae Ecclesiae vel incertam, vel saltem non apostolicam habebant originem. 5. Per talem translationem periret ipsa traditio Patrum, qui dicunt, ideo Primatum in Romana Ecclesia haerere, quia haec a S. Petro fundata, et usque ad mortem suam gubernata fuit, atque ab eodem depositum doctrinae tenet atque custodit. 6. Talis translatio foret causa schismatum, et fomes litium nunquam finiendarum. » — « Inde est, subdit Augustinus de Roskovany op. cit. §. 12, quod illi

quoque, quibus memoratae quaestionis pertractatio in deliciis fuerat, ultro affirmaverint, liberam successionis in primatu electionem minime e re ecclesiae fore, idque sine multa collisione et noxio schismate ne futurum quidem esse.» Caeterum, quamvis admitti in aliquo sensu possit ex solo Petri facto Primatum S. P. annexum esse Sedi Romanae, tamen eorum opinio non potest amplius sustineri, quae affirmat annexionem ita esse de iure humano, ut possit ab Ecclesia Romana divelli, et una ab altera separari. Quare iure meritoque eiusmodi opinionem refellunt, et censura perstringunt Canus de loc. theol. l. 6, c. 5, et Gregorius de Valentia de Controversiis fidei l. 7, c. 12 et 4. Huc spectat referre Breve « *Ad Apostolicae,* » quo Pius IX damnavit opus, cui titulus « Iuris ecclesiastici Institutiones Ioannis Nepomuceni Nuytz in regio Taurinensi Athenaeo Professoris » et alterum « in Ius Eccl. univers. tractationes. » Inter damnatas propositiones ea recensetur, qua statuitur : « nihil vetare alicuius Concilii Generalis sententia, aut universorum populorum facto Summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad alium Episcopum, aliamque civitatem transferri.»

§ 11.

De vi et natura Primatus.

Quae hactenus dicta sunt, satis superque demonstrant, Christum in Primatu instituendo non singularem honoris, ac nominis praerogativam, sed munus atque officium ad unitatem Ecclesiae componendam et conservandam instituisse. Itaque certo tenendum est Christum ipsum, qui nihil frustra operatur, potestatem omnem obtinendo fini, aptam eam quidem et necessariam eidem Primatui contulisse. Hoc autem componendae et conservandae unitatis officium potestatem iurisdictionis omnino efflagitat; cum unitas nequaquam per primatum meri nominis et honoris, neque per solas cohortationes, admonitiones, et exempla, sed

maxime per potestatem iubendi, puniendique obtineatur. Fac enim Pontificem imperandi potestate destitutum esse, quae unitas erit, quoties reliqui ab eius mandatis pendere, eique parere non obstringantur? Quis controversiarum finis, si Pontifex auctoritate iudicandi definiendique careat? Quo pacto contumaces et unitatem scindentes officio continebuntur, si Pontifex nequeat coactionem et poenam adhibere? De hac vero potestate legislativa, iudiciaria, ac coactiva fusius lib. 4 loquar.

Haec interim catholica veritas probatur usu, ac disciplina omnium saeculorum, nam inde ab aevo apostolico Pontifices Romani primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam exercuerunt, canones condendo et exsequendo, nutantes in fide confirmando, devios ad fidem revocando, pertinaces ab Ecclesiae communione separando, quae omnia indubiis monumentis ex ima antiquitate petitis comprobantur.

His et illud accedit summi ponderis argumentum, quod sumitur ex Christi verbis ad Petrum: *pasce oves meas;* siquidem pascere non tantum significat ius praebendi cibum, seu docendi, monendique, sed etiam salubria pascua demonstrandi, devios in viam revocandi, non obedientes coërcendi, quod doctissimi sacrarum litterarum interpretes demonstrant.

Denique hac de re plures exstant Ecclesiae définitiones praesertim Lateranensis Synodi IV, can. 5, Lugdunensis II in professione fidei Graecorum, Florentinae sess. 26, Lateranensis V sess. 11, ut merito Sacra Facultas Parisiensis in articulis contra Lutherum professa sit « Unum esse iure divino summum in Ecclesia Christi militante Pon-

tificem, cui omnes christiani parere tenentur, » et in censura edita die 18 Maii an. 1683 « unum esse iure divino summum in Ecclesia Pontificem qui immediate a Christo non honoris solum aut dignitatis, sed et potestatis ac iurisdictionis primatum habeat in tota Ecclesia. »

§ 12.

De immediata potestate Primatus S. Petri.

Eminentem Primatus dignitatem nonnulli scriptores imminuere, et propemodum destruere conati sunt, excogitata distinctione *mediatae* et *immediatae* potestatis: siquidem tradiderunt, potestatem Primatus non esse *immediatam* seu ordinariam, ita ut ad Romanum Pontificem, tanquam ordinarium Pastorem, cura et regimen singularium ovium pertineat; sed potestatem eam tantummodo *mediatam*, seu *extraordinariam* esse, quatenus tota vis Primatus posita est « in supplenda aliorum negligentia, » et aliud nihil potest in aliena Dioecesi, nisi « extraordinario casu, » ubi salus, et unitas Ecclesiae periclitetur. Quae quidem opinio contraria est tum verbo Dei, quandoquidem ab ipso Christo totus grex, hoc est, fideles omnes, et Episcopi Petro immediate traditi sunt illis Matth. verbis XXI, 15, 16, 17: « Pasce agnos meos, pasce oves meas, » tum doctrinae Conciliorum, ex quibus unum proferam generale Lateranense IV, cuius haec verba: « Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum; » tum Sanctis Ecclesiae Patribus, qui Romanum Pontificem certatim appellant

Pastorem Pastorum, Episcopum Episcoporum, Episcopum universalem; tum denique doctrinae catholicae de Romani Pontificis Primatu. Facultas Theologica Parisiensis anno 1683 : « Antiquae suae in Sedem Apostolicam reverentiae esse duxit hic breviter de eo praefari, diserteque repetere, quod olim non semel professa est, Romanum Episcopum esse iure divino Summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes christiani parere tenentur, et qui immediate a Christo non honoris solum, sed potestatis, et iurisdictionis Primatum habet in tota Ecclesia. » Idque debent Catholici omnes profiteri. Iam vero « si Romanus Episcopus est divino iure Summus in Ecclesia Pontifex, si immediate a Christo Primatum potestatis, et iurisdictionis in tota Ecclesia habuit, si omnes christiani eidem parere tenentur, manifeste falsa, atque etiam catholicae doctrinae adversa eorum opinio est, qui docent Pontificem nihil in Ecclesia posse, praeterquam in casibus extraordinariis ad supplendam aliorum negligentiam. » Praeclare igitur Natalis ab Alexandro mentem suam, immo vero doctrinam Ecclesiae catholicae sic explicat dissertatione IV, in saeculum I, schol. 3 : « Romanus Pontifex summam habet, eamque ordinariam in Ecclesia universa potestatem et auctoritatem; quam non extraordinariis duntaxat casibus, sed semper exercere potest, et in fideles universos et in ipsos Ecclesiae totius Episcopos, quia Pastorum omnium UNUS est Pastor. »

Vide Zallinger Iur. eccl. pub. cap. 4, §. 341 et Ennodium Faventinum *De Romani Pontificis Primatu* part. secunda, capitibus 5 et 6. Verum huiusce potestatis usus ac exercitium semper aequum, moderatum, benignum est, ac iuxta leges

communes, seu Canones institutum. Ad rem auctor libri « Febronius abbreviatus: » primatus, ait, limites habet, quos Salvator ipse posuit. »

§ 13.

De Iuribus ex Primatu dimanantibus.

Iura cuiusvis potestatis ab eius fine et natura colligenda sunt. Cum itaque finis primatus in efficienda, conservanda, tuendaque Ecclesiae unitate positus sit, recte statuere, ac definire possumus ea omnia et singula iura primatus proprie habenda esse, quae ad unitatem fovendam, conservandamque aut necessaria, aut etiam utilia sunt: cui enim finis committitur, huic et ius ad media confertur.

Verumtamen ab aliquibus distinctio fit inter ea iura, sine quibus unitas conservari nequit, et ea, quibus ad conservandam unitatem non est opus; atque prima illa essentialia ac primigenia vocant, propterea quod dicunt « ea sola et omnia esse primatus iura, sine quibus unitas Ecclesiae conservari non potest, nihilque primatum posse, quod ad unitatem non sit necessarium. » Secunda vero adventitia, seu accidentalia, quod haec nimirum, salva Ecclesiae unitate, a Primatu abesse potuerint, aut proinde vi canonum, seu iure ecclesiastico, seu commutata disciplina, Romanae Sedi accesserint. Sed distinctionem illam nullo pacto probare possumus, quandoquidem ad pontificatum deprimendum nove excogitata, plenaque erroris est. In primis enim potestatem, auctoritatemque primatus intra fines adeo exiguos, angustosque concludit, ut id unum efficere possit, quod ad componendam, conservandamque unitatem necessarium est. Cur enim na-

cessaria tantummodo, non etiam opportuna et utilia servandae unitati praestare non possit? Nonne, cui finis committitur, huic et media non solum necessaria, verum etiam utilia ad finem conferuntur?

Deinde in sententia adversariorum Pontifex potestatem aliquam, hoc est iura adventitia, ab Ecclesia acciperet, perinde atque plenitudinem potestatis non ab ipso Christo accepisset. Sed in Concil. Florent. definitum est plenam ipsi potestatem divinitus traditam esse, PP. Basileenses in Syn. responso ad Tarentinum Episcopum declararunt fateri se et credere R. Pontificem a Christo Domino in plenitudine potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis. Quam igitur novae potestatis particulam per canones accipere potuit, qui a Christo plenitudinem accepit? Denique adversariorum sententia usum potestatis cum ipsa potestate confundit. Verissime dictum est a Thomassino in notis ad suum opus De V. et N. Eccl. discip.: « In Pontifice tota semper plenitudo potestatis residet, etsi non totam semper exerceat. » Ubi ergo exercere per se coepit, non iure aliunde comparato, sed iure proprio usus est. Dum ergo Summi PP. necessitatis vel utilitatis causa ius potestatemque aliquam, qua iam pridem usi fuerant, sibi reservant, non idcirco novam potestatem sibi sumunt, sed illam exserunt, quae in primatu tanquam in fonte, et in radice continebatur. Hinc reservatio alicuius iuris, aut potestatis recens aut accidentalis esse potest, sed ius reservandi omnino primigenium et essentiale est, cum ad supremam potestatem pertineat. Quamobrem Conc. Trid. Patres sess. XIV, cap. 7 docuerunt: « Me-

rito, Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. » Igitur iura Primatus profluunt tum EX FINE TUENDAE UNITATIS, tum EX SUMMA ET PLENA POTESTATE, qua Pontifex ad explendum munus suum in tota Ecclesia potitur. Cum itaque nihil Pontifex non possit, quod ad Ecclesiae unitatem conducat, profecto sequitur non modo praestari ab eo iure nativo, quae necessaria sunt servandae unitati, sed ea etiam quae opportuna et utilia ipsi videntur. Verum, si quis distinctionem inter iura accidentalia et essentialia eo sensu admittere velit, quo Cl. Lupoli op. cit. t. 2, c. 11, §§ 39-40 intellexit, non denegabo. Auctor hic primaria et inmorantia ea dicit, « quae ipsi primatui innata, ac R. Pontifici propria nulla temporum, aut disciplinae mutatione mutari possunt; » secundaria vero, seu transeuntia ipse appellat « quae innixa primatui sunt, ac proinde a Pontificibus sibi potissimum potuerint vindicari, non autem adeo insita, ut propterea sine iniuria, pro disciplinae ac temporum varietate, quadam saltem ratione, a caeteris Ecclesiae praesulibus non potuerint exerceri. »

Scite admodum Auctor Operis, quod inscribitur « Quis est Petrus, sive qualis Petri Primatus? » Ratisbonae 1791 pag. 97 et seqq.: « Pervulgatum hodie, ait, ac tantum non universale inter nostros Canonistas axioma est, idque oppido fallax, et aequivocum: CUM PRIMATUS PROPTER UNITATEM ECCLESIAE SIT, NIHIL PRIMATUM POSSE, QUOD AD UNITATEM NON SIT NECESSARIUM. Hoc axiomate, ut aiunt, indubitabili, certissimoque assumpto, sequelas inde plurimas derivant, queis totam quantam summi Pontificis potestatem aut arctissime contrahere, aut penitus enervare irritamque facere allaborant. Cum enim ex una parte circa do-

gmata fidei morumque Papae sententiam negent esse infallibilem, nisi per accedentem, et quidem universalem Episcoporum consensum; cum insuper ex altera parte nihil concedant a Papa statui et imperari posse, nisi quod ABSOLUTE necessarium sit ad conservandam Ecclesiae universalis unitatem, ad hanc vero nulla sit necessaria lex circa disciplinam, utpote quae pro varietate locorum varia esse possit; consequitur Pontificiam auctoritatem tam quoad res fidei et morum, quam quoad disciplinam, nihil amplius per se ipsam valere, sed sine omni iam efficacia esse, irritamque ac nullam. Ita iuris episcopalis restauratores hodierni (si Superis placet) scopum consiliorum suorum attigisse sibi videntur, magnoque sibi plausu adiubilant. Sed triumphi paeana ante victoriam canunt.

« Satisne bona fide vel primum iam principium ponitur verbis hisce indeterminatis, et aequivocis: PRIMATUS EST PROPTER UNITATEM? Quaero ex ipsis, quam unitatem intelligant, an FIDEI tantum, an duplicem illam, quae a Christo in sua Ecclesia instituta est, tam FIDEI, quam OBEDIENTIAE unitatem? Si primum illud tacite intendant, eo ipso manifesta iam ipsorum fallacia est: Christus enim non solum eiusdem fidei, sed etiam eiusdem obedientiae suam voluit esse dilectam sponsam unius viri, seu unum corpus sub uno Capite, unum ovile sub uno Pastore. In altero eoque integro tantum sensu firmum stat hoc principium, PRIMATUS A CHRISTO INSTITUTUS EST, UT UNA IN FIDE, ET OBEDIENTIA CHRISTIANORUM SIT ECCLESIA. Iam vero principii veritate pleno in lumine posita, nonne in aprico est nuda consequentiae falsitas: ERGO PAPA NIHIL POTEST, QUOD AD UNITATEM NON NECESSARIUM? Quam haec inania et fallacia verba! Ita potius debuisset fieri conclusio: ERGO CUM PAPA IMPERAT, NECESSARIO OBEDIENDUM EST. Ipsa enim obedientia ad unitatem a Christo institutam necessaria est: hinc omnes suas fideles oviculas Petro subditas esse voluit, cui soli ius totum ovile pascendi dedit: PASCE OVES MEAS. »

§ 14.

De iuribus Primatus in specie.

Omnia autem iura, quae a Primatu derivantur, ad tria capita revocari commode possunt. Ad primum caput spectat ius super causis maioribus, ideo quod Ecclesiastica unitas ex eis maxime pendet. Maiores vero causae sunt controversiae fidei et morum, institutiones, translationes, renuntiationes et depositiones Episcoporum, novorum Episcopatuum erectiones, divisiones et uniones, confirmatio ordinum regularium, beatorum canonizationes. Ad secundum caput spectat ius supremae inspectionis et universalis sollicitudinis super pastores et fideles, ut fidei et communionis unitas conservetur et eiusdem unitatis impedimenta vel pericula avertantur. Iure itaque supremo inspectionis et universalis sollicitudinis continetur ius petendi excipiendique relationes, mittendi legatos, supplendi negligentiam inferiorum, recipiendi appellationes, urgendi observationem sacrorum canonum, eosdemque relaxandi, novos canones condendi, et causas aliquas aut delicta, aut personas suae potestati reservandi. Ad tertium caput spectat ius super Concilia generalia, in quibus graviores causae de unitate fidei, et communionis ecclesiasticae veniunt in deliberationem et consultationem. Ius autem illud in Conciliorum generalium convocatione, praesidentia, et confirmatione versatur. Quibus omnibus de iuribus singillatim hoc loco non disputamus, cum in libro primo de praenotionibus satis multa dicta sint de iure definiendi res fidei et

morum, leges de ecclesiastica disciplina ferendi, convocandi Concilia, eisdem praesidendi per se, vel per legatos suos, celebrataque confirmandi. De nonnullis aliis, suo loco, deinceps agendum erit, prout instituti nostri ratio postulaverit. Itaque hic quaedam tantummodo indicabimus ac evolvemus, quae ad dua priora capita referuntur.

§ 15.

De iure pravorum librorum lectionis interdicendae.

Quiqui imperium inter homines tenent, non modo iure possunt, verum etiam ratione muneris, quo funguntur, omnino debent ea omnia removere et tollere, quae communitati afferunt detrimentum. Atqui nemo non intelligit quantum Societatibus noceant libri mali, qui a rectis credendi vivendique regulis abducunt, mores corrumpunt, dissidia et seditiones adversus legitimas potestates concitant, omnia denique divina et humana iura miscere, perturbare et convellere student, ita ut non temere dixeris nullum iam esse in civitate malum, quod ipsi non fecerint. Iure igitur ac merito hebraei, graeci, romani dein Imperatores, omnesque bene constitutae Societates huiusmodi pestifero, et impio librorum generi exterminando assiduam diligentemque operam posuerunt, praesertim quod notum ipsis perspectumque erat, gravius, quod ex pravis libris, quam quod ex pravo sermone, derivari detrimentum, quandoquidem quae leguntur altius, quam quae loquendo audiuntur, haerent impressa animo et difficilius e memoria elabuntur. Iure igitur Ecclesia Catholica ne

depositum fidei, et animarum salus in discrimen adduceretur, libros religioni, ac moribus noxios perpetuo notavit, eorumque lectionem interdixit. Cum Paulus venisset Ephesum, ut divinum verbum annuntiaret, « multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, » quod legimus Actorum Act. XIX, 19. Hic autem non commemorabimus iudicia, quibus Ecclesia in Conciliis generalibus nullo non tempore pravos libros damnavit, eosque legi et retineri vetuit. Quae quidem iudicia, quoniam ad fidem et mores pertinent, sunt omnis erroris expertia. Episcopi etiam, seorsum, sive in Conciliis Provincialibus congregati libros damnare, eorumque lectionem interdicere consueverunt : qua in re potuerunt errori obnoxii esse et praeterea eorum iurisdictio terminis Dioecesium, vel Provinciarum circumscribebatur.

At in primis Romani Pontifices in hac peste librorum avertenda solliciti maxime fuerunt ; cumque in iudiciis de fide et moribus, non secus atque Ecclesia errare non possint, ut supra lib. 1, § 45, diximus, suisque legibus christianos omnes obstringant, hinc universo ex orbe catholico libri, de quibus aliqua suspicio suberat, ad Romanos Pontifices mittebantur, ut qui eorum iudicio probati essent, reciperentur, qui vero improbati ab omnium manibus eriperentur. Iam inde a saeculo tertio Dionysius Alexandrinus ad Dionysium Summum Pontificem libros quatuor misit, ut nosceret, an recte de Trinitate scripsisset. Et Augustinus libros quatuor contra duas Pelagianorum litteras ad Bonifacium Pontificem misit, significans sese ea scripta mittere « non tam discenda, quam examinanda,

et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda. » Libri Origenis ad Pontianum Pontificem, liber Pelagii ad Innocentium I, libri Priscillianistarum ad S. Leonem M. missi fuerunt, et eorumdem Pontificum iudicio condemnati. Athanasius Presbyter ad Gregorium Magnum confugit, ut suspicione haeresis se purgaret; Gregorius veritus, ne quid fraudis subesset, illius Episcopum Ioannem Constantinopolitanum interrogandum censuit. Ioannes autem se adversus Presbyterum commotum fuisse respondit, propterea quod apud eum codex inventus esset haeretica labe contaminatus, et codicem ipsum Gregorio recognoscendum misit: « quem quia, inquit, Pontifex ep. 66 lib., ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores eius partes sollicita lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo haereticae pravitatis venena reperimus, ne denuo debuisset legi vetuimus. » In quem locum Maurini: « Agnosce, inquiunt, antiquam in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem et consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiae alumni, Constantinopolitano Patriarchae, aut alteri alioquin subditi. » Mitto caetera exempla, quibus liquet, perversos ac noxios libros, postquam docti viri eos cognoverunt, diligenterque expenderunt, per bullas ac brevia, sive per SS. Indicis, et Supremae Inquisitionis congregationes a Romanis Pontificibus, omni aetate, fuisse damnatos iuxta diversam rationem, vel simpliciter vel cum clausula *donec corrigatur*, irrogatis etiam poenis spiritualibus, quae ubique Christianos obstringunt; qua in re non solum prospicitur ac consulitur saluti, ac utilitati Christianorum, verum etiam ab impetu et furore

perditorum hominum vindicatur veritas Christianae religionis, quam, si Dei filii esse velimus, venerari, diligere, ac vereri debemus.

Quum vero impossibile prorsus sit libros omnes noxios incessanter prodeuntes statim perspectos habere, ac censura percellere, Summi Pontifices nullo non tempore episcopos hortati sunt, ut ad fidei integritatem animum semper intenderent, errores vix ortos comprimerent, ac repellerent, librosque noxios, propria auctoritate, e manibus fidelium evellerent, atque per eos ipsi fideles edocerentur, quod pabuli genus sibi salutare, quodve noxium ac mortiferum ducere deberent. Vide mandatum Leonis XII, 26 Martii 1826.

Vide Const. Alexandri VII inter multiplices leges in Concilio Lateranensi V. latas, Const. Leonis X «EXSURGE DOMINE» Conc. Trident. sess. 18 et 15, Const. Clementis XIII, «CHRISTIANAE» 25 Nov. 1766, et Litteras encyclicas Gregorii XVI «MIRARI» 25 Aug. 1832, ubi dicitur: «Ex hac constanti omnium aetatum sollicitudine, qua semper S. haec Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare et de hominum manibus extorquere enixa est, patet luculentissime quantopere falsa, temeraria, eidem Apostolicae Sedi iniuriosa et foecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum, veluti gravem nimis et onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audent ecclesiae denegare.» De iure et modo libros fidei et moribus noxios prohibendi, diligenter disseruit Iacobus Gretserus Operum tom. 13, et Gabriel Putherbeus in suo Theotimo, qui sunt «libri tres de expurgandis malis libris;» Franciscus Ant. Zaccaria scripsit «Historiam polemicam de prohibitione librorum.» Vide etiam Ioannis Devoti Inst. Canon. lib. 4, litt. 7, A Heimans op. «De ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione disquisitio.» Bruxellis an. 1849 c. 1, 2. Bouix «de Curia Romana» p. 3, sect. 3, c. 1, p. 286, et Zinelli Episcopus Tarvisinus op.

• In doctrinam catholicam de librorum prohibitione, ut errores nonnulli recens vulgati refellantur, explanatio, de quo opere vide Civiltà Cattolica quad. 338, serie 6, vol. 1, 18 fol. 1865, p. 417.

§ 16.

De Iure definiendi facta dogmatica.

Cum paragrapho 45, loqueremur de infallibilitate Romani Pontificis in rebus fidei ac morum, asseruimus inter infallibiles definitiones recenseri debere etiam illas, quibus damnatae sunt propositiones quinque Iansenii, prout in suo libro, cui titulus Augustinus, continentur. De hoc iudicio Romani Pontificis, licet nonnihil simpliciter ac generatim indicatum fuerit, § 47, ubi sermo erat de quaestione facti, quae connexionem habet cum iuris quaestione ad fidem pertinente, specialem tamen ea de re sermonem consulto ad hunc locum reservavimus. Sed quoniam provinciam hanc vindicaverunt sibi, pro suo iure, Theologi, a fusiori huius privilegii expositione abstinebimus, nonnulla tantum adnotando, quae ad institutum nostrum spectare, pariterque sufficere videntur. Atque ut exordiamur a distincta rerum explicatione, quae necessaria prorsus est in hoc genere, ut veritas, quam cit. § 46 enunciavimus, in suo fulgore appareat, oportet duplex factum, hac in re probe distinguere; alterum *mere personale*, an nempe auctor ille, vel alius doctrinam proscriptam reapse docuerit, opusque damnatum exaraverit; alterum *dogmaticum*, an sensus propositionis, non in se ac separatim, sed in suo contextu spectatus, et habito respectu ad oratio-

nis ordinem et *parallelismum*, erroneus revera sit iuxta communem intelligentiam verborumque proprietatem. Iam verò de primo facto Sum. Pont. sollicitus non est, nullumque de eo iudicium emittit, quandoquidem disquisitionis, ac condemnationis obiectum non constituit, sed ex historia praesupponitur; unde fit, ut si quis opus damnatum auctori, cuius nomen verum praesefert, haud esse attribuendum perfracte denegaverit, is quidem contra omnes critices regulas peccare dicendus esset, sed Rom. Pontificis, qui de facto hoc minime laborat, auctoritati nullomodo adversaretur. De altero facto tantum Sum. Pontifex decernit, et quaeritur, an infallibilis sit? Ianseniani, Quesnellistae, et appellantes, ut damnationem quinque propositionum, quaę ex opere Iansenii, « Augustinus » excerptae erant, eluderent, distinctionem, duce Arnaldo, inter ius et factum excogitarunt, ut concluderent Rom. Pontificem posse quidem propositiones aliquas percellere, non eo vero progredi, ut statuat eas contineri reapse in aliquo libro, et sensu ac mente ab auctore intento falsas esse, utpote quod, aiunt, iudicium hocce factum humanum respicit, circa quod Sum. Pont. non solum iudex infallibilis, sed ne competens quidem est. Verum quum agatur non de facto solum humano, a quo ius determinatur, sed de iure fundato in facto, auctores plerique omnes R. P. iudicium, hac super re, non solum competens, sed etiam irreformabile esse tenent, quod tum ex ipso magisterio, quo Pontifex fruitur, tum ex fine primatus, quem a Christo acoepit, tum ex constanti ecclesiae praxi, tum ex luculentissimis Patrum testimoniis demonstrant. Vide Simonnet, Bossuetus, Veith,

Fenelonium, Tournely, Bolgenium, Perrone, aliosque, qui de hoc argumento fuso calamo disserunt. Pro nostro instituto haec indicasse sufficiat.

Vide etiam egregias Pii VI litteras ad Episc. Brixiens. 13 Sept. 1781 datas, quibus invicte ac perspicue demonstratur Constitutiones Clem. XI « VINEAM DOMINI » et « UNIGENITUS » ubi damnantur errores Quesnelli, ac Iansenii, irreformabile Sanctae Sedis iudicium continere, quod et Patres in Concilio Romano a Ben. XIII antea an. 1725 congregati definiverunt, et ipse Conventus Cleri Gallicani sua declaratione edita in comitiis 1765 agnovit, dum admisit « Constitutionem Unigenitus, tamquam iudicium dogmaticum Universae Ecclesiae, aut quod eodem recidit, tamquam iudicium irreformabile huius ipsius Ecclesiae in materia doctrinae, cui iudicio debetur sincera cordis et spiritus submissio. »

§ 17.

De iure dies festos de praecepto constituendi.

« Nemo inficiari potest, ait Bened. XIV, de Beatif. SS. t. 4, p. 2, c. 16, n. 11, olim ab episcopis dies festos, qui in dioecesi rite celebrari deberent, fuisse constitutos. » Id eruitur ex cap. Pronunciandum de consuet. dist. 3, et cap. Conquestis de feria, nec non ex Conc. Trid. sess. 25, c. 12, de ref., ubi dicitur: « Dies festi, quos in dioecesi sua servandos episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur. » Verum Urbanus VIII, const. *universa* indictis ac enumeratis diebus festis ex praecepto servandis, decernit ac declarat, « Christi fideles nequaquam teneri deinceps ad servandum ex praecepto reliquos dies, quos hactenus sive in ecclesia universa, sive in

quovis regno, aut natione, aut loco quocumque, sive ex praecepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione tanquam festivos celebrant; » et insuper « ne dies festos a locorum ordinariis nimia aliquorum facilitate aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, » ordinarios in Domino monet, « ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de caetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum abstineant. Quaeritur hic 1° an post hanc constitutionem, potestas novos dies festos indicendi, episcopis sublata sit? Qui negativam tuentur sententiam innituntur tum verbis ipsis, quae potius commonentia, quam praeceptiva sunt, ut observant Devoti l. 2, t. 5, § 5, nota 1, et S. Alphonsus de Ligorio l. 3, n. 266, tum auctoritate Ben. XIV, qui libro 4, de Beat. SS., p. 1, c. 13, tenet « episcopum posse in sua dioecesi, de consensu cleri et populi festum instituere de praecepto. » Qui affirmativam tenent sententiam proferunt in medium decisiones S. C. legitimis ritibus cognoscendis praepositae, diebus 22 dec. 1622 et 23 iunii 1703, editas. Ad dubium enim, an episcopus in sua dioecesi festa ab Urbano VIII suppressa possit confirmare, adeo ut sint obligatoria, et alia festa instituere de praecepto, praeter illa, quae in dicta Bulla expressa sunt? » responsum est: « Negative. » Quaeritur 2° an saltem episcopus festorum numerum imminuere queat? Nullum habetur, quod sciam, de hac re, Sanctae Sedis decretum; verum facto constat, a Summo Pontifice imminutionem huiusmodi peculiaribus regnis ac dioecesibus solum attribui ac concedi. Reapse Ben. XIV, ut alia exempla silentio praeter-

eam, const. *non multi* 14 nov. an. 1748, nonnullorum catholicorum principum et ordinariorum sibi porrectis precibus annuens, indulsit ut fideles populi quibusdam festivis diebus, servato in eorumdem festorum vigiliis, in quibus praeceptum est, ieiunio, ac audita tantum in iisdem festis missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, ac servilibus operibus vacare possent. Idem praestitere pro aliis dioecesibus ac nationibus, praesertim pro Italia et Poloniae regno Clem. XIV an. 1774, et Pius VI, an. 1775. Tandem Cardinalis Caprara, decreto 2 ap. 1802, festos omnes dies, pro universae Galliae territorio, ad quatuor, praeter dominicos, contraxit, nempe, ad dies Nativitatis Domini, Ascensionis, Assumptionis B. M. V., et solemnitatis Omnium Sanctorum, simulque concessit « ut posthac in reliquis festis diebus omnes eiusdem incolae non solum a praecepto audiendi missam vacandique ab operibus servilibus, sed a ieiunii etiam obligatione in diebus, qui festa huiusmodi proxime praecedunt, prorsus absoluti censeantur, et sint. » Ubi notandum est, obligationem ieiunii sublatam esse pro vigiliis festorum suppressorum, non vero pro iis, quae ad festa translata ad proximam dominicam referuntur. Unde adest in Gallia lex ieiunii pro vigiliis SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. C. Inquisitionis illud servandum esse decrevit an. 1835.

§ 18.

De iure ordinandi liturgiam.

Cum ex dictis superiori §§ 21 et 47 R. Pontifex vi primatus, seu institutione divina, legum de ecclesiastica disciplina ferendarum iure polleat, illud plane consequitur, quod ad ipsum etiam supremum ius quoque ordinandae immutandaeque liturgiae divina institutione in universa, qua late patet, ecclesia, pertineat. Liturgia enim cum non sit, nisi quidam symbolorum complexus fidem ipsam repraesentantium et exprimentium, vel forma cultus interni in Ecclesia constituti, atque catholici dogmatis expressio et professio, iam neminem fugere potest, quin ad Romanum Pontificem, cui de doctrina, fide, cultuque iudicium spectat, liturgici etiam iuris dicundi, eiusque actionum determinandarum potestas collata sit, praesertim quod nulla ratione ambigi possit, quin invisibilis Auctor et Institutor Ecclesiae Christus Romano Pontifici, tanquam suo visibili in terris Vicario, facultatem determinandi ac praescribendi modum, quo fides publica exprimitur ac profitetur, concedere noluerit, vel nequiverit. Haec veritas confirmatur ex constanti Ecclesiae praxi, Romanorumque Pontificum exemplis. Ecclesia namque illud semper in more habuit, ut rituum diversitatem, quae in particularibus quibusdam ecclesiis non sine magna fidelium admiratione, divinique cultus perturbatione conspiciebatur, ad uniformitatem reduceret, praesertim si illegitime ii ritus essent inducti et errorem continerent, aut in er-

rorem inducerent. Summi Pontifices vero ab antiquissimo inde tempore primas circa liturgiam partes gesserunt atque pro summa, qua Ecclesiam universam regebant, sollicitudine, nullo non tempore incubuerunt, ut in Ecclesia orientali propria ipsi praescripta liturgia, emendatis quibus ea continetur libris, integre servaretur, et in occidentali, ubi praeter romanam, aliae diversae aderant, constans, quantum fieri poterat, uniformisque sacrae quaepiam liturgiae norma ubique constabiliretur. Hinc factum est, ut ius ordinandi et immutandi liturgicos actus, quod primis temporibus ex pontificia potius indulgentia, quam ex iure proprio ac nativo ab Episcopis et Conciliis Provincialibus in suis dioecesibus exercebatur, ex quo tanta caeremoniarum et precum orta est varietas ac multitudo, quae a fidelibus aequo animo ferri nequibat, successu temporis, ob Ecclesiae utilitatem et ad mala et incommoda amovenda, quae ex diversis formulis oriebantur, opportune fuerit revocatum, ipsique tantum Apostolicae Sedi expresse reservatum, ita ut, gravissimis comminatis poenis, in Ecclesia orientali nemini liceret, inconsulta S. Sede, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque rituum observantiam imminuat; et in Ecclesia occidentali, alio omni ritu interdicto, breviarium romanum ac precandi psallendique formula in omnibus ecclesiis et locis etiam exemptis, in quibus officium ex more et ritu Ecclesiae romanae dici solet et consuevit, praeciperetur, simulque statutum esset, breviarium ipsum nullo unquam tempore vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse.

Idem prorsus dicendum de Missali, de Caeremoniali, de Martyrologio et etiam de Rituali. Vide de hac re Conc. Trid. sess. 25, c. 12, et Constitutiones tum S. Pii V, « QUOD A NOBIS, » 7 Idib. iulii 1568, « QUO PRIMUM TEMPORE, » prid. idus iulii 1570, « EX PROXIMO, » 12 kalend. octobris 1571, tum Gregorii XIII « EMENDATO, » 14 ian. 1584, tum Clementis VIII « CUM IN ECCLESIA, » 10 maii 1602, et « CUM NOVISSIME, » 14 iulii 1600, tum Pauli V, « APOSTOLICAE SEDI, » 17 iunii 1614, tum Urbani VIII « UNIVERSA, » idib. septembris 1642, et « CUM ALIAS, » 27 apr. 1443, tum Innocentii X, « ETSI ALIAS, » 30 iulii 1640, tum Benedicti XIII « LICET ALIAS, » 7 martii 1727, tum denique Benedicti XIV, Constitutiones « ETSI PASTORALIS, » t. 1, Bulla 57, « DEMANDATAM, t. 1, Bulla 87 « EX PASTORALI, » t. 4, « EX QUO PRIMUM, » et litteras « QUAM ARDENTI, » 25 martii 1752. Huc spectat decretum S. R. C. 5 april. 1638, quo decernitur, « non potuisse, nec posse locorum ordinarios tam saeculares, quam regulares addere kalendariis etiam propriis SS. officia, nisi ea duntaxat, quae Breviarii Romani rubricis, vel S. R. C., vel S. Apostolicae licentia conceduntur, » quod decretum « comprehendit etiam breviaria tolerata a Pio V, excedentia 200 annos, ita videlicet ut non possit iis addi aliquid festum SS., nec minus ratione reliquiarum, nisi modo et forma contenta in decreto et consulta S. Sede. » Eadem statuit S. C. C. die 28 oct. eiusdem anni.

Tria adhuc de hoc argumento ex cit. constit., ex pluribus declarationibus a S. Sede de re liturgica editis, et praesertim ex Brevi die 6 augusti

1842 ad Archiepiscopum Rhemensem dato, ex S. R. C. decisione 10 ianuarii 1852, et ex litteris ad Card. de Bonald 20 apr. 1863, et 17 martii 1864, scriptis, notanda supersunt. Primum est: « S. Pium V, in locis, in quibus officium divinum ex more et ritu Romanae ecclesiae dici debet, et consuevit, eos tantum ab obligatione Breviarii ac Missalis Romani recipiendorum exemptos voluisse, qui ab ipsa prima institutione a S. Sede approbata, aut consuetudine, quae vel ipso instituto 200 annos superaret ac antecederet, aliis certis missalibus ac Breviariis ab illis diversis usos fuisse constiterit; » ita videlicet, ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros huiusmodi, sed quibus utebantur, retinere possent, facta tamen facultate missalis ac breviarii romani in choro utendi « si id magis placeat, dummodo episcopus et universum capitulum in eo consentiant. » Alterum est: quotiescunque particularia Breviaria aut Missalia ob inductas, inconsulta S. Sede, varietates, diversa a primaevis, quae tempore Pii V, retinebantur, evasisse constiterit, Episcopos et Regulares Ordines a veteri, quo utebantur, privilegio excidere, severaque adeo obligatione adstringi Breviarium ac Missale Romanum adoptandi, ut ad veteres libros, quos praedecessores, inductis proprio nutu reformationibus, dimiserunt, regredi nullomodo concedatur. Exinde iure S. R. C. contra mentem S. Sedis eos agere statuit, qui privilegium antiquis huiusmodi libris affixum ad hodiernos quoque sic immutatos extendere se posse putant, simulque eos enixe hortatur non solum, sed et praecipere videtur, ut Breviarium Romanum quamprimum

assumant, ac laudes divinas iuxta illud persolvant, concessis, si id expedire iudicaverint, quibusdam indultis ac privilegiis et proprio Sanctorum officio. Tertium est: episcopis non inesse ius in suis ecclesiis, quae ab initio communiter cum caeteris veteri romano more, missali ac breviario uti consueverant, privatum sibi missale ac breviarium conficiendi, illamque communionem uni Deo una eademque formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se ac pene cuiusque episcopatus proprio officio discernendi, consuetudine qualibet hac super re remota, quae detestabilis abusus et prava corruptela dicenda est, ecclesiasticae disciplinae nervum disrumpens. Quae cum ita se habeant, iam pluribus opus non est, ut quisque videat quid sentiendum sit de distinctione excogitata a Clar. Auctore op. « Praelect. J.-C. habitae in Seminario S. S. » t. 2, p. 3, a. 2, n. 535, ut inde inferat Episcopos ac Regulares posse quaedam *accidentalia* in libris liturgicis immutare, ac nova inducere, quae *accidentalia sint*. Id autem nullomodo admitti ac sustineri potest.

Conf. Zaccaria Bibl. ritual. t. I, diss. l. c. 4, 3, Guéranger, « Instruct. Liturgicae, » et Bouix, de Iure Liturgico, Parisiis 1853. Quoad libros liturgicos, qui denuo praelo mandantur, praestat hic in memoriam revocare Decretum generale S. R. C. die 26 aprilis 1834 editum, et die 18 februarii 1843 confirmatum, quo statutum est, ut « Ordinarii locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur liturgici libri sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta, et quoad illos, qui huiusmodi attestatione destituuntur, et ab anno praesertim 1788, ac deinceps

cusi fuere, aliquod exemplar ex supradictis examini probatae personae ecclesiasticae subiiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe, iuxta morem, sunt impressi (exceptis tamen Breviario an. 1828, typis Contedini, et Missali an. 1826 praelo de Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fidei narratione revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc., etc., illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. » Conf. Analecta Pontificia, 12 livr., coll. 1847.

§ 19.

De iure tuendi Sacros Canones.

Ex cura totius Ecclesiae Petro eiusque successoribus concredita oritur officium et ius naviter curandi, ut sacri Canones ab omnibus observentur. Hinc Bonifacius I, ep. 5 ad Hilar. Arelat. ait: « Convenit Papas paternarum sanctionum diligentes esse custodes. » Romanis quidem Pontificibus perpetuo summae laudi datum est, quod sanctissimas Patrum regulas et ipsi coluerint summopere, et ab omnibus servandas diligentissime curaverint. Coluerunt ipsi quidem sanctissimas sacrorum Canonum regulas easque tum demum immutandas esse decreverunt, cum manifesta fieret variandi necessitas seu magna utilitas, eademque longi temporis experimento comprobata, cuius quidem rei luculenta exstant monumenta penes Thomassini de V. et N. Eccl. discipl., et Zaccaria

diss. « Lasciamo star le cose come stanno, » et diss. de Episc. in dispens. potestate c. 1, n. 6. Vide Honorium III c. 2, de capellis Monach. et S. Pium V in declar., quam refert Garzias p. 4 de Benef. c. 5, n. 32. Imo tanta fuit RR. Pontificum firmitas in tuendis canonibus, ut resisterent etiam pro auctoritate sua, frequentissimis Episcoporum coetibus, qui in aliquam illorum immutationem sine iusta causa consentirent. Quo spectant illa, quae a Leone M. gesta sunt contra institutionem Constantinopolitani Patriarchatus a Chalcedonensi Concilio decretam, quam institutionem improbarunt pariter Pontifices Leonis eiusdem successores, quoad Ap. Sedes ad paternam sui officii rationem spectare intellexit, ut ad graviora mala avertenda suum ei rei daret assensum. Alia in hoc genere exempla persequi nec per tempus licet, nec opus est.

Huic iuri cohaeret ius animadvertendi in eos, qui contra fecerint. Sunt enim Romani Pontifices non modo sacrorum canonum custodes, sed etiam vindices. Quid nimirum ea cura prodesset sine vi ad coërcendum idonea? Quapropter Coelestinus I, epist. ad Episcopos per Apuliam et Calabriam: « Quisquis, inquit, conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicae Sedis minime defuturam. Quae enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. » Et Leo Magnus in epist. ad Episcopos per Campaniam, Picenum, et Tusciam haec habet: « Omnia decretalia constituta tam beatae memoriae Innocentii, quam omnium Decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt di-

sciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. » Quis vero ignorat ea, quae contra Quarto-decimanos, Rebaptizantes, atque alios Ecclesiasticis legibus repugnantes a Victore Stephano, caeterisque Pontificibus gesta sunt? « Ille, Leo scilicet Pontifex Romanus, ait Auctor Defens. Declarationis Cler. Gallic. in Corollario ad calcem eiusdem operis, latrocinalem Synodum valere non est passus: imperatoria potestate fretum, Alexandrinum Dioscorum fregit, ad instaurandam cognitionem Imperatorem perpulit. Chalcedonensis Synodi auctor, ac deinde executor ad constabiliendam communem Ecclesiae fidem invicta potentia stetit. Eadem exsequendi auctoritate freti Gelasius, ac deinde sequuti Romani Pontifices adversus Imperatores, ac Regiae urbis Antistites in Chalcedonensem Synodum rebellantes nulla nova Synodo indigere se professi, tanta egere confidentia tantaque vi, ut Imperatores, totamque orientalem Ecclesiam ad condemnandos perduelles sola iam Sedis Apostolicae auctoritate perpulerint, Constantinopolitani Praesules alta spirantes, et Principum gratia ferocientes, et a Nestorianis Acacianisque temporibus Ecclesiae graves, tanquam in schisma erupturos animo providerent, qua gravitate poterant, coërcebant. Itaque eorum tanta vis fuit, ut Agapetus Papa exsul et supplex Constantinopolitanum Praesulem (Anthimum) ad pristinam Trapezuntinam Sedem contra Canones dimissam amandaret; ab hac quoque deiiceret, nisi rectam profiteretur fidem. »

Ex quibus satis superque refellitur eorum error, qui contendunt Summum Romanum Pontificem Sacrorum Canonum me-

rum exsecutorem esse; ideoque monere et hortari, sed nulla in contumaces, nisi in ipsis Canonibus sancita poena animadvertere posse. Et hi quidem impetum faciunt in Primatum iurisdictionis Sancto Petro eiusque Successoribus divinitus traditum, cum ab eo auferant coërcendi Ius, sine quo omnis actus iurisdictionis contemni impune potest.

§ 20.

De iure dispensandi super generalibus Ecclesiae legibus.

Generalis regula est, legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum, qui aut legem condiderunt, aut parem cum iis potestatem tenent, ex notissimo iuris axiomate « Cuius est legem condere, eius etiam est illius obligationem remittere. » Itaque Pontifex super omnibus ecclesiasticis legibus, et canonibus quoque Conciliorum Generalium ad disciplinam pertinentibus, dispensandi potestate potitur, utpote qui omnem iurisdictionem ecclesiasticam, seu plenitudinem potestatis ab ipso Christo accepit. Ad hoc ius comprobandum potest argumentum etiam duci ab ipsa dispensationum necessitate. Enimvero ad spiritualem fidelium gubernationem, atque adeo ad ipsam ecclesiastici regiminis rationem pertinet, ut in Ecclesia sit, qui, necessitatis aut utilitatis causa intercedente, potestatem habeat legis relaxandae. Cui autem melius quam Pontifici eam potestatem tribuemus? Quis adeo stultus est, qui omnem Episcoporum coetum rogari velit, quoties dispensatio aliqua concedenda est?

Huc accedit constans Ecclesiae Traditio, Patrum et Doctorum consensus, ac generalium Concilio-

rum testimonia, quibus haec Pontificis potestas comprobatur. Maximus Antiochenus, tanquam Episcopus in Concilio Chalcedonensi receptus fuit ex sola Apostolicae Sedis auctoritate, ac dispensatione a rigore canonum, ex quibus illius ordinatio ipsum repellebat. Quia tamen eumdem ipse S. Leo, dispensatione usus, tanquam Episcopum receperat, Synodus quoque inter Patres recepit. Generalis Synodus VIII dispensationes aliquas non quidem largita est, sed a Romano Pontifice flagitavit; qua de re Natalis Alexander diss. de Photiano schismate § 22 haec habet: « Scripserunt etiam ad eundem Pontificem (Hadrianum II) Basilius Augustus, et Ignatius Patriarcha, eius Sanctitatem rogantes, ut de lectoribus plurimis ordinatis a Photio sententiam diceret, de quibus non iudicarat Synodus, an a Sacerdotii ordinatione in perpetuum removendi essent, eisve gratiam faceret ob Ecclesiae necessitatem. Rogabant etiam, ut cum Theodoro Metropolita Cariae dispensaret, eique restitueret Episcopatum, quia multa pro Ignatio passus fuerat; nec defecerat ad Photium, nisi tormentis compulsus. Intercedebant denique pro Paulo Cartophylace, ut, concessa ipsi venia, posset ad Episcopatum promoveri. Magnificum sane pro Romani Pontificis Primatu testimonium, quod Synodus Oecumenica dispensationes a Summo Pontifice roget; eique, non aliis Patriarchis, potestatem a Christo concreditam agnoscat temperandi severitatem canonum, qui ab Ecclesia recepti sunt universa. » Ipsum Basileense Concilium, quod sane Romani Pontificis auctoritati minus favit, haec habet in epist. synodica : « Per Concilium autem statuta in nullo derogant potestati Summi Pontificis, quin pro tempore,

loco, causisque, et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit. » Quamobrem Auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani part. 3, lib. 2, cap. 16 professus est: « Sedis Apostolicae dispensationes nemo catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit, » et Magnin op. « Iuris Can. Instit. » Annecii an. 1850, 1, 2, t. 16, n. 4; « Ipsimet Scholae Gallicanae Theologi fatentur SS. PP. in omnibus etiam Conciliorum Œcumenicorum legibus iure dispensare. »

Verum non desunt quidam auctores, ii videlicet, qui sequuntur parisiensem declarationem an. 1682, qui etsi necessarium illud dispensationum ius in Romano Pontifice agnoscant, ponunt nihilominus in Concilio Œcumenico potestatem Romano ipsi Pontifici superiorem, adeoque contendunt usum pontificiae auctoritatis moderandum esse per canones totius mundi reverentia consecratos. Nos autem invenire non possumus potestatem in Ecclesia ullam, quae Pontificio Primatu maior est, ut patet ex dictis lib. I, § 41, proindeque nullum agnoscimus disciplinae canonem, quo Summus Pontifex, quasi Ecclesiae subditus constringatur, quemque ipse in Ecclesiae aedificationem, si iusta adsit causa, relaxare, aut restringere aliquando, vel etiam mutare, iure non valeat, liciteque non possit. Caeterum Pontifex Summus ad suum officium pertinere novit, ut decreta legesque communi antistitum iudicio firmatos, illas nimirum quae gravioris momenti sunt, et Ecclesiam universam vel magnam eius partem respiciunt, non facile ipse relaxet, multoque minus tollat, illas aut mutet. Sicuti enim earum utilitas plenior et omni-

bus notior esse solet atque earumdem exsecutio et custodia facilior, ita iisdem communi usu receptis, non adeo frequenter existent rationes ad relaxationem suadendam idoneae et raro admodum erunt graviores illae causae, quae ipsam inolitae consuetudinis immutationem exposcant. Novit item Pontifex Summus dispensandi potestatem datam sibi fuisse in aedificationem Ecclesiae, et non in destructionem, ut proinde ea aliquando uti, nunquam vero abuti debeat.

Gerson, ait Febronius, eam dispensandi facultatem in Romano Pontifice « non videtur admittere. » Sed admittunt praestantissimi quique Theologi et Canonistae, admittunt quotquot in orbe sunt Catholici, qui earum legum relaxationem ab uno Pontifice petunt; admittunt Concilia generalia. Num hi omnes et Gersoni et Febronio et eorum asseclis auctoritate non praestant? Confer Gerdilium Confutazione de' due libelli contra il breve Super soliditate t. 1, v. 2.

§ 21.

De iure approbandi ordines regulares.

Quidam Doctores putant approbationem Ordinum Regularium ad Pontificem pertinere ex iure tantum positivo, quatenus Concilia Lateranense IV, et Lugdunense II decreverunt, ne deinceps sine Apostolicae Sedis approbatione nullus novus Ordo institueretur ob pericula, et perturbationes, quae ex nimia Religionum frequentia oriri poterant (cap. fin. de relig. domibus, et cap. unic. eod. tit. in 6). Verum aliquae rationes proferri possunt, propter quas ea approbatio ad Summum Pontificem iure suo pertinere videatur. Primo quidem, quia huiusmodi ius ad rectam Ecclesiae

administrationem conducit; haec autem administratio ad Summum Pontificem in primis pertinet; deinde vero quia, ut ait Sylvius in 2, 2, q. 186, art. 1, « maiores causae, quae salutem animae tangunt, reservari solent Sedi Apostolicae; Religionum autem approbatio ad maiores causas pertinet: quia denique absque approbatione Religiones neque securitatem haberent, neque immobilitatem; possent enim errores in statutis continere, et facile possent Congregationes dissolvi. » Et sane « nec securitatem, » nec « immobilitatem » Congregationes religiosae olim habuerunt, dum monasteriorum conditores, pro suo quisque arbitrio monasticam disciplinam temperabant; non securitatem, quia contingere poterat, ut regulae ad evangelicam perfectionem comparandam minus essent aptae et accommodatae: non immobilitatem, quia tot erant regulae, quot monasteria, et regulae ipsae passim mutatae, et plures non raro in eodem monasterio propositae. Approbatio igitur Summi Pontificis adeo necessaria habita est, ut sine ea nec Religiones, nec vota solemnia consistant.

Melchior Canus in docto et eleganti opere *De locis theologicis* lib. 5, cap. 5 scripserat: « Ordines vel probare, vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit. » Cum autem ea verba aliquibus Theologis et Canonistis plena inconsideratissimae temeritatis viderentur, quo sensu, eoque recto, intelligenda essent, Hyacinthus Serry « in Praefatione, » quam ante illud opus praemisit, cap. 11 demonstrare studuit. Confer itaque utrumque auctorem, et si lubet etiam Suarezium de relig. s. 3, l. 2, c. 17, n. 18 et seqq. et de statu Regularium tract. 7, l. 2 c. 17, ex cuius sententia, approbatio ordinis religiosi alicuius res est dicenda complexa, duo capita di-

stincta involvens; unum quidem *speculativum*, quod est iudicium authenticum, quo decernitur vivendi modum a novo inductum ordine sanctum esse, sine ullo errore, vel superstitione, et tam in fine quam in mediis perfectionis viam obtinere, ideoque ordinem esse aptum, qui in religiosum statum erigatur et consecretur. Asserit autem Suarezius in hoc iudicio *speculativo* errare Summum Pontificem non posse. Alterum caput vero totum *practicum est*, quo huiusmodi vivendi modus in religionem erigitur, certique Christiani, qui illi instituto nomen dant, in communitatem ordinantur, potestate ipsis facta sese regendi, socios adsciscendi, et in communitatem pariter constituendi; circa quem actum, licet statui non possit Summum Pontificem specialem habere assistentiam, ut in eo etiam non erret, tamen praestat, aiente citato auctore « semper pro Pontificis iudicio praesumere, tum quia de quolibet principe vel superiore ita debent subditi cogitare, iuxta regulam Augustini contra Faustum l. 22, tum quia id specialiter de Pontifice asserendum, c. 1, dist. 40, tum denique quia haec negotia nonnisi post multas consultationes et maturam considerationem expediri solent, et ideo cum error aut nimietas non possit evidenter ostendi, non sine audacia praesumitur. »

§ 22.

De Iure canonizandi.

Duplex ratio est sacro et publico cultu eos prosequendi, qui ob martyrium, aut eximias virtutes magna cum sanctitatis fama obierunt, quarum altera *Beatificatio*, altera *Canonizatio* appellari consuevit. Gonzales in cap. AUDIVIMUS de reliq. et venerat. Sanctorum: « Canonizatio, inquit, nunquam licuit Episcopis; Beatificatio vero primis Ecclesiae saeculis ab illis fiebat. » Primis scilicet Ecclesiae saeculis Episcopi permittebant, ut alicui cultus et honor beatorum in suis peculiaribus Dioecesibus exhiberetur. Canonizatio autem, qua decernitur aliquem in Ecclesia universa pio cultu,

et honore colendum esse, nunquam nisi auctoritate Romani Pontificis fieri potuit; quod idem Gonzales citato loco sic explicat: « Cum Sanctus canonizatus proponatur ab omnibus fidelibus colendus, et nemo nisi Pontifex praesit cunctis fidelibus, tantum Pontifex potest Sanctos canonizare. Accedit quod solemnis canonizatio est una de maioribus causis, quae inter christianos proponi potest, et per consequens eius cognitio ad Pontificem spectat ex iuribus adductis in cap. MAIORES de baptismo. Deinde quia miraculorum approbatio inter fidei quaestiones recensetur, sed quaestio fidei ad Pontificem referenda est, igitur tantum per Pontificem canonizatus publice venerari potest. » Hinc Henricus Pirrhing ad eumdem titulum Decretalium: « Ex quo, inquit, infertur quod Episcopi non possunt canonizare aliquem etiam pro suis Dioecesibus tantum, imo nec Legatus a latere, ne quidem ex speciali commissione Summi Pontificis, quia is non potest delegare alteri res fidei. »

Itaque iure et merito Alexander III dum cap. AUDIVIMUS de relig. et venerat. Sanctorum his verbis usus est: « Etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae publice venerari, » et Innocentius III eod. tit. « Reliquias de novo inventas nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae, » ius canonizandi unius Apostolicae Sedis peculiare et proprium esse asseruerunt. An vero horum Pontificum ea mens fuerit, ut ius etiam beatificandi Apostolicae Sedi reservare voluerint, Doctores disputant. Papebrochius in Propylaeo Maii diss.

20 ait : Neque tunc putaverunt Episcopi sublatam sibi facultatem circa inferioris ordinis cultum, quem Beatorum dicimus, modo ab Officio et Missa abstineretur. » Sed Urbanus VII omnem dubitandi rationem omnino sustulit, facultate etiam beatificandi plane aperteque Romanae Sedi reservata.

Quaestio est, an decreta canonizationum sint, ut aiunt, *infallibilia*; et in utramque partem multa disseruntur. Communis est, ait Ben. XIV de serv. Dei beat. et can. l. 1, c. 45, theologorum et iuris pontificii peritorum sententia S. P. errare non posse in canonizatione. Nobis satis erit verba S. Thomae quodlib. 9 art. 16 in medium proferre: « Certum est, inquit, quod iudicium Ecclesiae universalis errare in iis, quae ad fidem pertinent, impossibile sit. In aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est, iudicium Ecclesiae errare propter falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum medium est inter haec duo. Quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod neque etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit. » Et in responsione ad 2 inquit: « Divina Providentia praeservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. » Veronius in Reg. fidei haec habet: « Temerarius omnino foret ac plectendus, qui post talem canonizationem, quae ex informatione exactissima miraculorum et vitae praeteritae sancti fit, negaret, canonizatum illum sanctum esse. » Melchior Canus de loc. theol. l. 5, c. 5 ait: «Nec impune licet huiusmodi decreta in dubium revocare, quia temerarium et irreligiosum est in divis consecrandis Ecclesiae abrogare fidem. »

De toto hoc argumento vide Benedictum XIV « de servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione, » et Ludovicum Muratori op. « de Sup. moderatione in Religionis negotio, ubi plura de pretio, rationabilitate et utilitate Canonizationis Ss. »

§ 23.

De Iure Episcopatuum erigendorum.

Novi Episcopatus eriguntur per Cathedrae Episcopalis institutionem, et per Territorii, seu Dioecesis circumscriptionem. Siquidem in loco apto, a quo Episcopatus nomen accipit, et unde Episcopus totam Dioecesim regit, Episcopalis Cathedra constituitur, ad eamque certum Territorium adiungitur, suisque finibus circumscribitur. Per hanc vero territorii, sive Dioecesis designationem atque circumscriptionem iurisdictio Episcoporum determinatur, ita quidem ut Episcopus ad Episcopalem Cathedram legitime evectus, mox Episcopalem iurisdictionem in fideles omnes, qui intra fines Dioecesis sunt, exercere possit, sed ultra eos fines ei progredi nunquam liceat. Hinc Concilium Antiochen. can. 9 statuit : « Episcopum nihil agere debere, nisi ea tantum, quae ad suam Dioecesim pertinent, secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam. » At vero antiqui Patres nostri eam regulam ab ipsis Apostolis acceperunt, quandoquidem Apostoli in fundandis Ecclesiis potestatem Episcoporum certis locorum limitibus coërcuerunt. Ita S. Paulus Timotheum Ephesi Episcopum fecit, Titum insulae Cretae, Dionysium Areopagitam Corinthi constituit Episcopos; ita S. Ioannes Polycarpum Smyrnae dedit Episcopum, atque ita ab Apostolis iugiter factum est : quamobrem lib. « de unit. Eccles. » praeclare scripsit S. Cyprianus : « Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet. »

Hoc loco quaeri solet, si Episcopus extra suam Dioecesim quidquam egerit, id erit ne ratum et firmum? Iam vero videndum est, utrum id quod egit, ad potestatem ordinis, an vero ad potestatem iurisdictionis pertineat. Si de potestate ordinis quaestio est, si ex. gr. Confirmationem, vel Sacramentum ordinis ministrarit, dummodo materiam et formam adhibuerit, quam ex Christi institutione Ecclesia Catholica semper adhibuit, idque facere sibi proposuerit quod facit Ecclesia, minime dubitandum est, quin Sacramentum confecerit, ideo quod potestas ordinis, cum nec auferri unquam possit, nec amitti, uti perpetuo manet, sic perpetuo vim suam et efficaciam retinet; Episcopus tamen illicite egit, poenisque obnoxius est per canones constitutis, propterea quod in alienas oves contra Ecclesiae leges officium Pastoris sibi arrogavit. « Nulli Episcopo liceat, decrevit Concil. Trident. sess. 6 de reform. cap. 5, cuiusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab exercitio ordinum sint ipso iure suspensi. »

Quod vero ad potestatem iurisdictionis attinet, cum ea profluat vel ex « publico munere » quocum coniuncta est, et « ordinaria » dicitur, vel ex alterius « delegatione » quae « delegata » vocatur, hinc manifestum est, Episcopum nulla iurisdictione praeditum in eos esse, qui neque ratione muneris Episcopalis, neque ratione delegationis ei subditi sunt, proindeque si quid egerit, omnia ab eo gesta ex defectu iurisdictionis non modo illicita habenda erunt, verum etiam nulla

et irrita, idque in foro tum interno tum externo, locum habet. Ad forum internum spectat decretum Concil. Trident. sess. XIV, cap. 7 de Sacramento Poenitentiae: « Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. » Ad forum autem externum spectat eiusdem Concilii Tridentini decretum sess. XIV, cap. 8 de reform., quo Praelati, etiam dignitate Episcopali praediti, vetantur contra Clericos sibi non subditos « quorumcunque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum Clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam resederit, aut personae ab ipso Episcopo deputandae interventu procedere debent: alias processus, et inde sequuta quaecunque viribus omnino careant. »

Verum ut eo unde discessimus, revertamur; quisnam erigendorum Episcopatuum ius habeat dicendum est. Dicimus autem, et sine ulla dubitatione affirmamus, Ecclesiam eamque unam eo iure praeditam esse: idque manifestum est ex natura ipsius rei, quae tota spiritualis est, ideoque potestati solius Ecclesiae obnoxia: agitur enim de spirituali regimine animarum, de portione gregis singulis Episcopis assignanda; de finibus spirituali eorumdem potestati constituendis, ut inter Ecclesiarum Rectores tum ordo, tum unitas servetur; idque facili negotio tum ex facto Apostolorum, tum ex decretis Conciliorum, tum ex Apostolicis Constitutionibus, tum denique ex perpetua

et generali totius Ecclesiae disciplina confirmatur.

Petrus de Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. II, cap. 9, quaestionem ponit, « an Principes potestate polleant novos Archiepiscopatus, aut Episcopatus instituere ? » Qua de re priusquam respondeat, illud scite animadvertit, quod ubi primum Imperatores aggressi sunt novis Archiepiscopatibus, vel Episcopatibus erigendis operam dare, Innocentius I in Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, nec non Generale Concilium Chalcedonense can. 11 vehementer obstiterunt, ne ullum Ecclesiae iuribus detrimentum inferretur. In Galliis Childebertus Francorum Rex Episcopatum Meloduni fundaverat ad petitionem plebis, eiusque rei oppugnatorem validum invenit Leonem Senonensem Episcopum in Epistola ad eumdem Regem data. Et consensu Sigisberti Regis in Castro Dunensi facta fuerat novi Episcopatus institutio, cumque Pappolus Carnotensis Episcopus aegre admodum id tulisset, res delata est ad Concilium Parisiense celebratum anno 573, quod acta omnia rescidit. Igitur « Gallicana Ecclesia, ut ipse ait, in eamdem sententiam cum Synodo Chalcedonensi, et Innocentii decreto conspiravit, putavitque nefas esse Regum imperio Episcopatus novos institui. » Totum vero caput hisce verbis concludit: « Quare non est quod a communi universalis Ecclesiae sensu recedamus foeda in Principes adulatione, ut contigit Marco Antonio de Dominis, qui Episcopatuum institutionem Regibus perperam, et contra ipsos Canones asseruit, cuius sententiam recentiores aliqui amplexi sunt. Tota rei istius disponendae ratio ad Ecclesiam pertinet, quemadmodum dixi. »

At vero Ecclesia quemadmodum Episcopatus erigit, sic etiam supprimit, coniungit, et dividit, namque « omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur » reg. 1 iuris in quinto Decretalium. Huc quoque spectat haec regula iuris civilis: « Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est » reg. 35, ff. de divers. reg. iuris. Non fit autem suppressio, nisi ob gravissimas causas, de quibus ad Ecclesiam pertinet diiudicare. Illud exploratum est in aliquibus civitatibus Episcopales Cathedras fuisse suppressas in vindictam et poenam alicuius atrocis sceleris cap. fin. caus. 25, quaest. 2, earumque Dioeceses instar fundi cum territorio alterius Episcopatus coniunctas, planeque confusas: quod coniunctionis genus a Canonistis vocatur « unio per confusionem. »

Quod vero ad unionem sive coniunctionem beneficiorum attinet, reliqui sunt duo modi, quibus beneficia coniunguntur; primo *per subiectionem*, ut aiunt, cum scilicet una Ecclesia tanquam inferior superiori subiicitur: haec autem coniunctio vix adhibetur in beneficiis, in Episcopatibus nullo modo; secundo *per aequalitatem*, quando nempe duae, aut plures Ecclesiae ita coniunguntur, ut earum quaelibet ab uno eodemque Pastore regatur, salvis singularum Ecclesiarum iuribus et privilegiis. Huius unionis per aequalitatem, quae etiam « unio aeque principalis vocatur, » non pauca exempla in Episcopatibus habemus. Coniunguntur autem duo, aut plures Episcopatus « quando non longo itineris spatio a se seiuncti sunt, nec tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes, » cap. 48,

caus. 16, quaest. 1; aut quando « hostilis impietas diversarum civitatum ita desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, deficiente populo, remanserit, » cap. 49, caus. 16, quaest. 1. Interdum etiam ad honorandam civitatem aliquam Episcopatus in ea constituitur, et si reditus Episcopali dignitati pares non suppetant, cum finitimo Episcopatu coniungitur, ut unus Episcopus utrique Dioecesi praesit.

Contra vero dividuntur Episcopatus, cum ex uno fiunt duo vel plures. Huiusmodi divisiones prohibentur c. MAIORIBUS, et c. DILECTO *de Praebend. et Dignitat.*, ideoque Canonistae docent, beneficia non esse dividenda, ne ratione quidem divini cultus augendi, eo quod, ut ait Lotterius lib. 1, quaest. 28, num. 63 et 64 « haec sola causa non est sufficiens ad inducendam divisionem beneficiorum et praebendarum, et si aliter diceretur, sequeretur quod semper, ex illa causa augmenti divini cultus, esset locus divisioni beneficiorum contra iura praedicta. Augmentum huiusmodi cultus divini ad hunc effectum non habetur in consideratione ex numero beneficiorum; nisi ubi Ecclesia propter defectum beneficiatorum suis debitis officiis defraudaretur. » Quae quidem in Episcopatibus dividendis multo magis ante oculos habenda sunt, atque tenendum nullam eosdem dividendi legitimam causam esse, praeter necessitatem, cum scilicet animarum saluti, quae suprema lex est, nulla alia ratione consuli ac provideri possit. Hinc Leurenius in Foro Beneficiali part. 3, sect. 2, cap. 2, quaest. 961 quaerit « qua de causa, et qualiter divisio Dioecesis cum erectione novae Cathedralis fieri et permitti possit? » et respondet,

cum ex Dioecesis amplitudine et itineris asperitate, nimiumque incommodum redditur Pastori oves statutis temporibus visitare, recognoscere, ipsisque ovibus pastorem adire, iustam censeri causam faciendi divisionem Dioecesium, ait Card. de Luca in Miscellan. d. 1, num. 115. Attamen certa et determinata regula cuicunque casui applicabilis desuper statui non potest; plura siquidem quam dicta causa requisita ad id requiruntur, ac praesertim ut antiquae Ecclesiae dignitas non vilescat, ac etiam nova convenientem quoque dignitatem sortiri et conservare valeat. »

Hactenus de Episcopatuum erectione, deque eorum suppressione, coniunctione, et divisione dictum est, et nobis quidem satis dixisse videmus, cum ea praesertim, quae in medium protulimus, adeo certa explorataque sint, ut a nullo Doctore catholico in controversiam vocentur. Sed quoniam potestatem eorum omnium agendorum praeditam unam Ecclesiam esse affirmavimus, reliquum est ut palam faciamus, quinam Ecclesiae nomine intelligendi sint, num Pontifices, num Patriarchae, num Metropolitae, num denique singuli Episcopi.

Huic quaestioni tum de facto, tum de iure respondebimus, eo vel magis quod alterum ab altero illustratur. Quod itaque ad factum attinet, operae pretium erit animadvertere, Ecclesiae disciplinam hac in re ter mutatam esse; alia enim fuit ab incunabulis Ecclesiae ad saeculum VI, alia ab hoc saeculo ad saeculum VII, alia denique a saeculo VIII ad nostra tempora.

Ab incunabulis Ecclesiae ad saeculum VI « novi erigebantur Episcopatus a Synodis Provincialibus, consentiente Metropolitano, postulante Episcopo vel

annuente, ad cuius Dioecesim pertinebat Ecclesia, in qua Sedes Episcopalis collocabatur. Id ex canone 15 Concilii Africani compertum est ; et ex facto S. Augustini, qui Fussalensi Castello millibus quadraginta ab Hippone seiuncto Episcopum ordinari curavit a Primate Numidiae, Romano Pontifice inconsulto, ut constat ex ipsius Augustini Epistola 261. » Ita Natalis Alexander historiae ecclesiasticae sec. V, cap. 6, art. 2.

Cum vero in scholion 1 eiusdem articuli religiosi Censores notassent haec verba: « Romano Pontifice inconsulto erigebantur Episcopatus, » respondit, « hanc disciplinam quinto saeculo viguisse probavi: » citato nempe Canone Concilii Africani, tum facto S. Augustini, aliisque ab historia ecclesiastica ductis argumentis. Quam quidem controversiam Constantinus Roncaglia in suis notis ad historiam ecclesiasticam eiusdem Natalis Alexandri cum praeterire nollet, nec etiam deberet, non immerito amplexus est P. Thomassini sententiam, quam expressit hisce verbis: « Maxime ante sextum saeculum non semper accessisse Romani Pontificis expressum consensum in novorum Episcopatuum erectione, animadvertit Thomassinus de N. et V. Eccles. discipl. part. 1, lib. I, cap. 54. Liberum integrumque dixi fuisse Conciliis Generalibus, ac Metropolitis novos erigere Episcopatus, dummodo quas pro hac re Ecclesia leges instituerat, servarentur. Cum in iis servandis minus religiosi fuissent Antistites Africani, etiam in exiguis pagis Episcopos creando, illos monet S. Leo ep. 87 NON IN QUIBUSLIBET CASTELLIS EPISCOPOS ESSE CONSECRANDOS, iussitque minutulos huiusmodi Episcopatus, cum deinceps vacarent, omnino supprimi. »

At vero in Ecclesia orientali erigendorum Episcopatuum tota cura atque sollicitudo concredita fuit Patriarchis Antiocheno et Alexandrino, a quibus postquam Provinciae Ecclesiasticae illic constitutae fuerunt, ad Metropolitas et Concilia Provincialia dimanavit. In Ecclesia vero occidentali non solum a Metropolitis et Conciliis Provincialibus, verum etiam « bene multas Episcopales Sedes, ait Thomassinus, iam inde ab incunabulis Ecclesiae ab Antistitibus Romanis constitutas fuisse prolixe docui part. 1, lib. I, cap. 14, et part. 2, lib. I, cap. 11. » Praesertim vero, in Provinciis ad professionem christianam traductis, novi Episcopatus a Sede Apostolica, eiusve auctoritate erigebantur; quo spectabat Innocentii I epistola ad Episcopum Eugubinum, ubi ait: « Manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, et insulas interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, vel eius Successores constituerunt Sacerdotes. » Et haec satis de quinque primis Ecclesiae saeculis dicta sint.

Saeculis vero VI, VII et VIII non amplius Metropolitis, et Conciliis Provincialibus integrum fuit, ut antehac, Episcopatus erigere, nisi simul auctoritas Romani Pontificis intercederet. « Pluribus autem ex causis, ait Constantinus Roncaglia cit. loco, Romani Pontificis auctoritas exigebatur. Et primo si novi erigendi erant Episcopatus iis in locis, ubi noviter fidei lumen illuxerat, cum nova haec Evangelii promulgatio fieri soleret, promovente ac mandante Romano Pontifice, non poterant viri Apostolici novis ovibus novos dare pastores, nisi idem consuleretur. Cumque pariter Ec-

clesiae aggregandae essent novae Provinciae, quo non se protendebat caeterorum Episcoporum auctoritas, ibi novas extollere Sedes illius tantum erat potestatis, quae nullis finibus coarctatur. Deinde quidquid peculiares Synodi decernebant non ita inconcussum firmumque est, ut quandoque posteriores Synodi non infirmarent, vel Principes ipsi infectum vellent. Contra id vero quod prima Sedes statuerat, inferiores Sedes insurgere haud poterant, et Principes ipsi religioni ducebant infringere. Non raro etiam, dum novis Episcopis propriae Dioeceses erant assignandae, cum finitimis Episcopis de sibi usurpata conquerentibus iurisdictione lites poterant oriri, ad quas dirimendas nulla magis idonea potestas, quam Romani Pontificis. Illud demum in novis constituendis Ecclesiis poterat intercedere, quod necessaria foret aliqua Canonum dispensatio, ac proinde primam Sedem fuisse adeundam, cuius est, dum ita exposcant vel necessitas, vel utilitas, Canonum rigorem emollescere. »

Sed postquam Occidentis Imperium saeculo V extinctum est, Imperatores Orientis, aliique Summi Principes coeperunt in suis quisque Provinciis de Episcopatibus erigendis sollicitos se ostendere, ad eosque dotandos tuendosque sese paratos exhibere. « Prima Iustiniana, ait Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. p. 1, lib. I, cap. 19, n. 2, patria erat Iustiniani, quaeque Acrida ante vocabatur, suberatque Archiepiscopo Thessalonicensi. Hanc, urgente Imperatore, Vigilius Papa in Archiepiscopatum, sive Exarchatum erexit, subiectis ei Provinciis, quae Thessalonicensi Exarchatui detractae sunt, et attributo ei Vicariatu Sedis Ro-

manae, qualem iam olim habuerat Episcopus Thessalonicensis. » His itaque saeculis, atque etiam in omne posterum tempus, praecipua quoque Summorum Principum ratio in erectionem Episcopatuum habita est propter Ecclesiae utilitatem; «idque circumstantiis tribuendum, tum quod Principes insigni saepe munificentia atque liberalitate Ecclesias dotaverint, tum quod ecclesiis saepius pressis, qua consilio, qua auctoritate ad obices propulsandos adfuerint; proindeque utroque respectu peropportunum visum fuit, ut Ecclesia in erectione episcopalium sedium indulgentiorem se principibus viris praeberet, » ut opportune observat Roskovany op. cit.

At exacto saeculo VIII, non quidem illico, nullaque interposita mora, sed sensim ac pedetentim Ecclesiae disciplina hac in re usque eo mutari coepit, ut tandem potestas erigendorum Episcopatuum ad solum Pontificem rediret. Praeclare Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. lib. I, part. 1, cap. 56, n. 14: « Longa, ait, temporis serie rerumque vicissitudine factum est, ut constituendi Episcopatus novos potestas penes solum Romanum Pontificem esset. Non quod id sibi iuris ipse reservaverit, ut imminuta Episcoporum iurisdictione augeret suam; sed quod aut negligentiores essent Episcopi alii in proferendis christianae Religionis finibus, aut quod id honoris primae Sedi haberent, aut quod Pontifici Principes confiderent magis, aut quod Petri Sedem frequentius populi adirent, aut quod zelo fidei magis arderet Pontifex. Nisi ita mavis, quod divino ita consilio provisum sit, ita haec omnia, dispensante spiritu illo ipso Christi, qui Ecclesiam formans

fingensque, et Caput illi praestituens, Capitique virtutem indens, legemque addens confirmandi caetera, et illustrissima quaeque sui corporis membra, iam inde ab incunabulis Ecclesiae praelusit praemonstravitque, quod illi augurandum esset de futuris per Capitis maxime sui vim et caritatem incrementis, quando Petri una et altera concione tam numerosa plebium multitudo christianae se causae et religioni adiunxit. His causis fieri potuit, ut ad Petri Successores tota haec rediret potestas, non ante eis legis ullius imperio reservata, quam usus et consuetudo plurimum saeculorum propriam illis fecisset. »

Sed iam eo loci pervenimus, quo oportet quaestionem iuris instituere. Quaeritur itaque quo iure Summi Pontifices, Metropolitis, Conciliisque provincialibus amotis, erectiones Episcopatuum, suppressiones, divisionesque, et id genus alia sibi solis tribuerint? Dicendum est autem id iure optimo fecisse; namque communis Doctorum, certaque et explorata sententia est eam Potestatem ad Summos Pontifices pertinere iure Primatus, idque perspicuum est ex divina Ecclesiae institutione: quod quidem argumentum admodum docte cumulateque tract. cl. Petrus Ballerini de Potest. Eccl. cap. II, n. 5, hac forma: « Potestas illa illimitata in totum mundum Apostolis ab ipso Christo tradita, necessaria quidem fuit in illis initiis, ut sua citius aedificaretur Ecclesia ac proinde omnes poterant ubique praedicare Evangelium, ubique Ecclesias particulares et Episcopatus erigere, consecrare Episcopos, Presbyteros, etc.; et quaelibet alia Apostolatus officia exercere. At hoc ius immediatum in totum mundum, et in o-

mnes Ecclesias ex peculiari necessitate, ac utilitate illis initiis tributum, in aliis Apostolis extraordinarium fuit, quod bono eiusdem unitatis non debebat in Episcopos eorum successores transire; in Petro autem, cuius auctoritas ratione Primatus ob ipsius unitatis bonum debebat esse perpetua, et in Successores eius propagari, ordinarium esse debuit, et in Successoribus eiusdem Romanis Pontificibus ordinarium debet agnosci. Cum vero extraordinaria aliorum Apostolorum potestas in universum mundum illis initiis necessaria, non deberet Episcopis ipsorum successoribus aequo iure competere, ne magna in Ecclesiis iam aedificatis confusio fieret, si, aeque ac Apostoli, omnes Episcopi omnia possent ubique, sed potius expediret diversas dioeceses designare, et Episcopatus diversos erigere, ita ut singuli Episcopi suae cuique Dioecesi praeficerentur, gregique adsignato facilius prospicerent; haec designatio Dioeceseon et subditorum, quam Christus non instituit, sed Apostolis eorumque successoribus commisit, non est divini immutabilis iuris, sed ecclesiastici, ac proinde ad disciplinam mutabilem pertinens, subest potissimum dispositioni Successorum S. Petri, qui cum ex eodem S. Petri primatu ius ordinarium habent in universam Ecclesiam, tum vero eodem ordinario iure uti possunt in Dioeceses singulas, aeque ac in illas Apostoli extraordinario iure uti poterant. Ex hac potestate in Dioeceses omnium Episcoporum, quae in solis Petri successoribus ex divini iuris primatu est ordinaria, Romana Sedes potest, si expediat, Episcopatus aliquos supprimere, novos erigere, unum dividere in duos. »

Id confirmatur auctoritate S. Bernardi epist. CXXXI: « Plenitudo potestatis, inquit, super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est... Potest, si utile iudicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit. » Et in cap. Sicut de excess. Praelat. haec habentur : « Sicut unire Episcopatus, atque potestati subiicere alienae ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur; ita Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio et subiectio earumdem. » Sed undenam dignoscitur uniones Episcopatuum, et subiectiones ad Summum Pontificem pertinere, Episcopum vero uniones et subiectiones Ecclesiarum suae Dioecesis tantummodo efficere posse? Id certe quidem dignoscitur, spectata utriusque potestate. Pontifex enim Episcopatus ubique erigit, unit, supprimit, et dividit, quia ratione Primatus in Ecclesiam universam iurisdictionem obtinet. Episcopus autem solas unit suae Dioecesis Ecclesias, propterea quod eius potestas finibus Dioecesis continetur. Ex quibus illud quoque perspicuum est, uniones Episcopatuum, subiectiones, et caetera id genus alia ad Summum Pontificem Primatus ergo pertinere.

Acta Cleri Gallicani in erectione Episcopatus Blesensis hoc prooemio, veluti totius rei fundamento et cardine nituntur, « Cum pro Ecclesiae bono et augmento, Dioecesium divisio, et Ecclesiarum Cathedralium erectio ad Summum Pontificem, Sanctamque Sedem Apostolicam de iure pertinere dignoscatur. » Mémoires du Clergé t. II,

col. 91). Postrema verba ex superiori canone sumpta sunt, atque adeo ad Primatum referuntur. Clerus Gallicanus in op. « Exposition des principes sur la Constitution civile du Clergé 1790, » cui 140 Episcopi subscripsere: « Il n'y a pas, ait, un exemple de la réunion de plusieurs diocèses, de la séparation de deux diocèses unis, de la division d'un évêché, de la translation même d'un Siège épiscopal, sans l'intervention de la puissance ecclésiastique. »

Verum, ne longus sim, postquam Thomassinus ex monumentis rerum Ecclesiasticarum diligenter exposuit, quemadmodum potestas erigendorum Episcopatuum per varios ecclesiasticae hierarchiae gradus transivit, ac denique tota in uno Pontifice constitit, part. 1 de nov. et vet. Eccl. discipl. lib. 1, cap. 55, n. 15 scribit his verbis: « Diximus iam supra, simillima haec esse fluminum, quae post decursa ingentia spatia in mare redeunt, unde exiere . . . Nihil igitur accessit ad Pontificem, cum solus totam eam potestatem exercere coepit; est ea propria et nativa Primatus, quem Pontifex in Ecclesiam universam ab ipso Christo accepit. » Quapropter ut solus eius potestatis usus delegari potuit, ita quoque revocari. Praeclare Schelestratius Antiq. Eccl. tom. II, diss. 6, cap. 4, art. 1: « Aliud est usus iuris, aliud ius ipsum per se alicui competens. »

Praeter citatos Auctores vide Innocentium I ep. 25 ad Decent. Eugubin. n. 2, apud Coustant, epistol. Roman. Pontif. col. 756; Argiro discept. eccl. discept. 11; Barruel (*Du Pape et de ses droits religieux* tom. II, part. 4, cap. 4); Febronium abbreviatum tom. II, cap. 4, §. 9; Antifebronium vindicatum part. 3, dissert. 7, cap. 2 et 3.

§ 24.

De iure creandi Episcopos.

In primis ob oculos habenda est definitio Tridentinae Synodi sess. 23, can. 8 : « Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. » Ex qua dogmatica definitione intelligimus, praestantissimum ius esse Romani Pontificis nullis aut loci, aut temporis limitibus circumscriptum creandi ubique Episcopos, qui legitimi ac veri Episcopi sint, et haberi omnino debeant. Hinc doctissimus Hallier de sacris elect. p. 3, lib. I, sess. 5, cap. 4, § 1, num. 18: « Certe, inquit, non dubitant catholici, quin, iuxta definitionem Tridentini, Episcopi, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, sint veri et legitimi Episcopi. » Et art. 3, § 6, num. 45: « Certum est, Romanum Pontificem summam habere potestatem, ut per totum christianum orbem Episcopos constituat. »

Haec autem catholica veritas confirmatur atque illustratur can. 7, eadem sess. 23 : « Si quis dixerit . . . eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate RITE ORDINATI NEC MISSI SUNT, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit. » Igitur Episcopi non ex sola ordinatione legitimam exercendae auctoritatis Episcopalis facultatem consequuntur, secus vel ipsi schismatici ea potestate legitime uterentur; sed insuper legitima MISSIO necessaria est, per quam iurisdictionem obtineant, ri-

teque exerceant. Erit itaque in Ecclesia potestas aliqua, quae missionis tribuendae ius habeat: non enim Christus satis Ecclesiae suae consuluisset, si, imposita necessitate missionis, potestatem non designasset, a qua missio petenda et obtinenda esset. Atqui ea potestas solius Romani Pontificis propria est, idque ex iure divino, quod multis rationibus comprobatur. Enimvero potestas creandorum Episcoporum ad Romanos Pontifices pertinet, eodem iure, quo ad S. Petrum, caeterosque Apostolos pertinuit, propterea quod Romanus Pontifex est S. Petri successor, totiusque Apostolicae potestatis haeres; atqui ea potestas ad S. Petrum et Apostolos pertinuit iure divino, scilicet ex ipsius Christi institutione; ergo eodem iure ad Romanum Pontificem pertinet.

Praeterea in omni bene ordinata societate munus constituendi magistratus qui provincias administrent ad eum pertinent, qui toti communitati praeest; atqui ex divina institutione toti Ecclesiae Romanus Pontifex praeest; ergo institutio Episcoporum, qui singulas Dioeceses administrent, ad Romanum Pontificem pertinet, qui, ut verbis utar Concilii Tridentini sess. 24 cap.: « muneris sui officio debet idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficere. »

Et ea quidem potestas propria est unius Romani Pontificis, quippe qui unus Petri successor et totius Apostolicae potestatis haeres, eique uni « pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a I. C. D. N. plena potestas tradita fuit. »

Sed aiunt olim Patriarchas, Primates, et Metropolitas ea potestate usos esse. Ita quidem. Ve-

rum undenam eius potestatis usus ad eos pervenit? Certe quidem non a Deo; enimvero ex divina institutione Episcopi omnes sunt pares inter se ordine et potestate, idque exploratissimum est. A quonam igitur Patriarchae, Primates et Metropolitae eam Potestatem acceperunt? Ab Apostolica Sede, a qua una eius potestatis usus concedi potuit, ideo quod in ea una ex divina institutione et ius creandorum Episcoporum, et plenitudo ecclesiasticae potestatis residet, et cui Episcopi omnes debent esse obsequentes. Et revera ex Cathedra Petri profecta est ea dignitatis potestatisque praerogativa, qua primum illae sedes auctae fuerunt, quae deinde Patriarchales appellatae sunt, eiusdemque potestatis praerogativa, labentibus annis, certo cum discrimine graduum ad Metropolitas permanavit, ut divisis iam Provinciis ecclesiastica negotia facilius et commodius expedirent.

Hinc Patriarchae, Primates et Metropolitae in constituendis Episcopis non erant omnino liberi; sed in eius potestatis usu formam ab eadem Apostolica Sede praescriptam, vel probatam sequi, accurateque servare debebant. Quapropter Romani Pontifices potestate sua usi sunt « primo, ut ait Nat. Alex. Hist. Eccl. sec. IX et X, cap. 5, art. 3, n. 3 et 4, cum iure suo Metropolitanus abusus erat, confirmando contra canones. Secundo, cum dispensatione opus erat, quae a solo Pontifice Romano, qui unus per totum orbem de canonibus dispensare potest, concedi posset. Tertio, cum Metropolitanus officio suo non fungebatur. »

Praeterea Romani Pontifices institutionem Episcoporum, ubi et quando id optimum factu rati sunt, sibi penitus reservaruut: qua in re, quo-

niam iure suo usi sunt, nemini iniuriam fecerunt. Namque Patriarchae, Primates, et Metropolitae ius creandorum Episcoporum, sive eius potestatis usum Apostolicae Sedi divinitus datum, neque ulla institutione humana sibi acquirere, neque Romani Pontifices eodem se abdicare potuerunt, quia ius divinum nullo hominum facto et institutione abrogari, immutari, inverti potest.

« Ex quibus, ut rem concludam non meis, sed hisce Hallierii verbis de sacr. elect. et ordinat. part. 3, art. 3, § 6, num. 55, duo ista Summis Pontificibus competere colligimus, Episcoporum ubique terrarum creandorum curam et potestatem, qua si aliquando usi non fuerunt, moderationi eorum ac prudentiae tribuendum, utpote qui melius ac commodius per alios a se constitutos Patriarchas, Primates, Metropolitanos ordinationem, aut delectum fieri posse censuerint, quam per se ipsos. Si quando autem uti voluerint, et expedire iudicaverint, nemo quaerere possit, qui auctoritate Petri id facturi deprehenduntur . . . Haec est ea, quam toties inculcavimus, Romanae Ecclesiae praerogativa, ut ordinationibus firmitatem auctoritatemque ob principatum ecclesiasticum conciliet, nec absque eius communicatione plenitudinem officii, ut loquitur Bernardus, seu exsecutionem legitimam aliquis consequatur. Haec Apostolicae Cathedrae praerogativa est; haec Primatus dignitas; hoc non novum, sed ipsius Ecclesiae constitutioni coaevum, quod semper viguit, privilegium. » Huc spectat, quae habet Pius VI Brevi « *Charitas* » die 13 aprilis 1791: « Episcopalis iurisdictionis conferendae potestas, ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a Con-

ciliis generalibus et ab ipsis Concordatis confirmata, ne ad Metropolitanos quidem nullo modo attinere, utpote quae illuc reversa, unde discesserat, unice residet penes Apostolicam Sedem, ita ut hodie Romanus Pontifex, ex muneris sui officio, Pastores singulis Ecclesiis praeficiat. »

Initio Clemens V Sedi Apostolicae reservavit Ecclesias, quarum Episcopi in Romana Curia decedunt « Extrav. ETSI IN TEMPORAL. de Praeb. inter communes. » Benedictus XII alias reservationes fecit « Extrav. AD REGIMEN eodem tit. » Denique per regulas Cancellariae collatio omnium Ecclesiarum Cathedralium Summo Pontifici reservata fuit. Quae quidem reservationes factae sunt ad avertenda complurima mala, quae ex ambitione hominum, ex studiis partium, ex populi factionibus oriebantur. Vide Ben. XIV Const. « In postero, » Thomassinum de veter. et nov. Eccles. discipl. tom. 2, lib. 2, cap. 33, n. 5, et Corn. Paul. Hoynckt van Papendreck op. cit. diss. 22.

§ 25.

De iure ferendi censuras.

« Excommunicationis gladius, ait Concilium Trid. sess. 25 cap. 5 de reform., nervus est ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris. » Namque, ut ait Cyprianus ep. 62, « hoc gladio superbi et contumaces necantur, cum de Ecclesia eiiciuntur. » Iam vero non modo Cathari et Albanenses, Wicleffus, Husius, aliique haeretici, sed aliqui scriptores etiam, qui catholici haberi volunt, omni studio conati sunt huiusmodi gladium e manibus Sacrorum Antistitum auferre, aut ita eius aciem retundere, ut amplius feriendo par non esset. Horum errores modeste refutabimus.

Itaque Excommunicatio bifariam dividitur. Una est excommunicatio ita dicta, quia communicationi, seu communioni opponitur, et definitur *communionis negatio* et *ἀφορισμός*, hoc est separatio dicebatur. Ecclesiae enim inter se communicabant tum per litteras *communicatorias*, quae etiam *canonicae* et *formatae* dicebantur, invicem datas et acceptas, tum per benignam in communionem et synaxim admissionem eorum, qui ab una ad aliam Ecclesiam veniebant. Itaque propter haeresim, aut aliud grave crimen interdum factum est, ut una Ecclesia segregaret sese a communione alterius Ecclesiae, eamque veluti excommunicaret. Verum huiusmodi excommunicatio non erat actus auctoritatis et iurisdictionis ecclesiasticae; namque eum possumus in communione non recipere, in quem nullam iurisdictionem, potestatemque habemus. Ita S. Epiphanius Salaminae Episcopus Ioanni Episcopo Hierosolymitano, neutiquam, sibi subdito, communionem denegavit, eo quod compertum habuisset, eumdem Origenis dogmata, erroresque defendere. Vide Epist. Epiphanii ad Ioan. Episc. Hieros. t. 2.

Alia vere proprie dicta Excommunicatio, seu *παντελὴς ἀφορισμός*, hoc est *omnimoda separatio*, quae etiam *anathema* dicitur, in potestate Clavium fundata est, per quam graviorum criminum rei a communione Ecclesiae, et totius populi christiani tanquam membra contaminata et putrida abscinduntur et omnium spiritualium bonorum communione privantur. Anathema vero ab excommunicatione non differt, nisi propter solemnitates, quae in eo ferendo adhibentur; de quibus

vide Pontificale Romanum titulo de Ordine excommunicandi.

Potestas vero ferendi excommunicationem maiorem, sive anathema, ad Ecclesiae Praepositos pertinet, ut ea poena animadvertere in eos possint, qui gravius delinquunt: quemadmodum enim ad continendos in officio homines unicuique reipublicae ius est expellendi sontes a societate sua; sic etiam Ecclesiae, utpote perfectae reipublicae eamdem potestatem esse pro certo habendum est. Verum huiusmodi potestas ex alio nobiliori fonte in rectores Ecclesiae manavit.

Apostolus Paulus I ad Corinth. V, 3-4 dum incestuosum Corinthium excommunicavit, his verbis usus est: « Ego iudicavi, ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi Satanae etc. » Igitur sententia excommunicationis pronuntiatur a Paulo « in nomine et in virtute Domini nostri Iesu Christi, » hoc est potestate ab ipso Christo accepta. Quam quidem potestatem Christus Ecclesiae dedit, cum ligandi solvendique potestatem Petro et Apostolis impertitus est, eamque plane significavit, cum iussit eum, « qui Ecclesiam non audiret, tanquam ethnicum et publicanum haberi. » Quid enim aliud est aliquem tanquam ethnicum et publicanum habere, nisi eum ab Ecclesia sacrisque omnibus repellere? Et quid aliud est aliquem ab Ecclesia sacrisque repellere, nisi eum excommunicare? Igitur, ex illis Christi verbis, facta Antistitibus Ecclesiae potestas est christianos graviter peccantes, contumacesque excommunicandi. Praeterea hanc excommunicandi

potestatem a Christo Ecclesiae traditam fuisse perspicuum est ex perpetua ipsius Ecclesiae traditione, scriptis Sanctorum Patrum, decretis Pontificum, et Conciliorum canonibus evidenter confirmata; eaque potestate usae sunt antiquae Synodi, Nicaena adversus Arium, Ephesina adversus Nestorium, aliaeque passim. Quemadmodum itaque homo per baptismum fit membrum Ecclesiae, in qua est bonorum omnium spiritualium communicatio, ita per excommunicationem ab Ecclesia eiicitur, atque adeo sacramentis, sacrificiis, sacris officiis, pietate ecclesiastica, uno verbo iuribus omnibus privatur, quae per baptismum acquisiverat.

Atque hi sunt ex iure divino excommunicationis effectus; proindeque haec Lutheri propositio: « Excommunicationes sunt tantum poenae externae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus » a Leone X Const. « EXSURGE » an. 1821, merito ac iure damnata fuit. Cuius magistri doctrinam praesertim Iansenistae sequuti sunt, atque adeo in Pistoriensem Synodum, quae Iansenistarum erroribus a primo capite usque ad extremum referta est, eadem propositio verbis fere totidem translata fuit, nempe « effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiae: » quae quidem propositio a constitutione dogmatica «AUCTOREM FIDEI» reprobata fuit N. 46, his notis et censuris appositis, « falsa, perniciosa, in articulò 23 Lutheri damnata, ad minus erronea. » Hac de re Estius in libri quarti sententiarum distinctionem decimam octavam ita scribit: « Erat haec

Lutheri ratio; per fidem, spem, et caritatem, reliquasque virtutes, quae bona sunt spiritualia, homo efficitur membrum Ecclesiae. Ea vero bona non possunt ulla Ecclesiae potestate auferri, sed deperduntur propria cuiusque voluntate. Non igitur excommunicatio spoliat hominem bonis spiritualibus. » At vero idem Estius praeclare animadvertit, « alia esse bona spiritualia, in quibus substantia vitae spiritualis consistit, uti fides, spes, caritas, et reliquae virtutes et virtutum opera; alia vero esse accidentalia, quibus scilicet homo ad priora illa bona adipiscenda adiuvatur; talia sunt aliena merita, orationes, suffragia, quibus etiam sacramenta connumerantur. » Quibus praepositis concludit, « prioris quidem generis bona, cum sint hominis interna et ab eius voluntate dependeant, non posse per ecclesiasticam potestatem ab homine auferri; posterioris autem generis bona posse auferri statim ac a corpore, in quo talia bona communicantur, aliquis excluditur, quemadmodum et in aliis communitatibus contingit, cum qui excluditur a communitate, simul excludi atque excidere privilegiis, et commodis eiusdem societatis. »

At vero praeter dictos excommunicationis effectus ex iure divino manantes, Apostoli quamcumque societatem, communicationem, commercium etiam civile cum excommunicatis interdixerunt (ep. II Ioan. v. 10 et 11, I. Pauli ad Corinth. V, 5, II ad Thessal. III, 14, et ad Titum III, 10), idque ad avertenda perversionis pericula, ne scilicet catholicorum animi erroribus pravisque excommunicatorum opinionibus inficerentur. Mitto monumenta priorum saeculorum, quae hanc di-

sciplinam mirifice confirmant, quaeque collecta habentur non modo apud eruditos viros catholicos, sed etiam apud heterodoxos nonnullos, quos inter est Binghamus in suis Orig. et Antiq. Eccl. lib. 16, c. 2, § 11, et Grischovius, qui Binghami opus ex anglico idiomate in latinum transtulit et notis ampliavit. Ipse Van-Espenius I. E. U. p. 3, t. 2, c. 5 hanc disciplinam agnovit, ac fassus est. Verum huiusmodi lex quum libertatem humani commercii non leviter coarctaret, praesertim quod auctus esset numerus illorum, qui excommunicationem, ipso facto, incurrerent, in nova disciplina aliquantulum relaxata fuit; namque per canonem Concilii Constantiensis a Martino V approbatum, qui incipit AD EVITANDA « quique, ut ait Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. 6, cap. 5, in suo robore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Conciliorum Basileensis, et Lateranensis, » ii tantummodo excommunicati vitandi sunt, in quos excommunicationis sententia « a iudice pronuntiata, et insuper publicata vel denuntiata specialiter et expresse fuit, » itemque ii qui in clericum violentas manus iniecerunt, quos etiam a iudice non denuntiatos vitare debemus. Atque hinc ortum discrimen est inter excommunicatos *vitandos* et *non vitandos*. Igitur cum iis excommunicatis, qui per Iudicis sententiam nominatim et publice denuntiati fuerunt, aeque ac cum publicis clericorum percussoribus minime licet ullam sive in sacris, sive in civilibus rebus communionem habere. Et quidem quod pertinet ad res sacras et divinas, omnis cum iisdem communicatio semper et quibuscumque sine ulla exceptione vetita est, commercium vero civile interdum

permittitur quibusdam certis gravibusque de causis, quae enumerantur hoc trito versiculo:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima itaque causa excusans est *Utile*, hoc est utilitas animae vel corporis omnino gravis; secunda *Lex*, nempe coniugii, propter quam coniux cum coniuge conversari potest: tertia *Humile*, scilicet debitum subiectionis, ex. gr. filiorum erga parentes, clericorum erga proprios antistites, militum erga duces: quarta est *Res ignorata*, videlicet *iuris* vel *facti ignorantia:* quinta denique *Necesse*, nempe gravis aliqua necessitas. Qui vero sine ulla ex hisce causis cum excommunicato vitando communicat, is excommunicationem *minorem* contrahit, per quam a Sacramentis suscipiendis, obtinendisque beneficiis arcetur. Atque hoc unum est, in quo si quis deliquerit, excommunicatione *minori* irretitur; nam reliqua delicta omnia quotiescumque a iure vel ab homine excommunicatione mulctantur, semper tenendum est excommunicationis vocabulo intelligi excommunicationem *maiorem*, eam nempe, de qua supra diximus, et dicendum est adhuc. Caeterum excommunicatio minor a quolibet Sacerdote ad excipiendas confessiones approbato tolli potest, et Clericus ea irretitus non fit irregularis, si in ordine ministraverit.

Cum excommunicatis vero *toleratis*, seu *non vitandis*, ex. gr., cum haereticis, schismaticis, aliisque excommunicatis, qui expresse et nominatim a iudice denuntiati non sunt, communicare licet in rebus civilibus, caute tamen, prudenterque, ne ex eorum consortio eorum quoque erroribus im-

buamur. Verumtamen non defuerunt theologi, qui in certis rerum eventibus « ab omni culpa, ut ait Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. 6, cap. 5 et seqq., absolvunt catholicos, qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denuntiatis communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab iisdem recipiunt. » De qua communicatione in divinis multa erudite lateque disserit laudatus Pontifex citato loco et nos pauca lib. 4 dicemus.

Caeterum excommunicatio maior cum poenarum ecclesiasticarum gravissima sit, non debet nisi ob magnum crimen infligi; namque « gladius excommunicationis sobrie, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem. » ut ait Conc. Trid. sess. 25, cap. 3 de reformat. Quae quidem verba, imo vero totum illud caput, non cursim raptimque legendum, sed perlegendum, intentaque mente considerandum omnibus est, et praesertim in ferendis excommunicationibus, quae dicuntur ab *homine*, non *a iure*, quando nempe homo potestate praeditus, ex. gr. Episcopus, ob factum vel crimen aliquod, de quo nihil in iure statutum est, excommunicationis poenam intentat. Magnopere enim cavendum est, ne sine admodum gravi et urgenti causa, sine idoneis et legitimis probationibus, sine monitionibus, aut non servata forma iudiciali, quemquam excommunicatione percellat.

Quod vero pertinet ad excommunicationes, quae sunt a iure, videndum est, utrum canones, sive leges ecclesiasticae ad quaedam coërcenda graviora crimina excommunicationem comminentur, an

vero inferant. Lex excommunicationem comminatur, dum his, vel similibus verbis utitur: « excommunicetur, ab ingressu Ecclesiae arceatur sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis, » quibus verbis excommunicatio non fertur, sed ferenda decernitur, et proinde excommunicatio *ferendae* sententiae nominatur. Si vero lex hasce, vel id genus alias verborum formulas adhibeat, « excommunicationis statim illico incurrendae, excommunicationi ipso facto subiaceat, » perspicuum est, excommunicationem ab ipsa lege inferri, ideoque dicitur excommunicatio *latae sententiae* quae legis simul et sententiae vim habet. Dum ex verbis, quibus lex utitur, non satis intelligitur, utrum excommunicatio sit ferendae, an latae sententiae, censenda est ferendae, quia « in poenis benignior est interpretatio facienda » ex Reg. 45 in 6.

Luculentissimum habemus utriusque excommunicationis exemplum in Concilio Antiocheno anno 341; namque canone 1 ita statuitur: « Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est de salutifera solemnitate sacratissimi Paschae, excommunicandos, et de Ecclesia pellendos esse censemus. » En excommunicatio ferendae sententiae. « Si quis autem eorum, prosequitur canon, qui praeesse noscuntur Ecclesiae, aut Episcopus, aut Presbyter, aut diaconus post hanc definitionem tentaverit ad subversionem populorum, Ecclesiarumque perturbationem seorsum colligere, et cum Iudaeis pascha celebrare, S. Synodus alienum iam hinc ab Ecclesia iudicavit. » En excommunicatio latae sententiae.

Verum de utraque excommunicatione seorsum aliqua dicenda sunt. Itaque excommunicatio ferendae sententiae, praemissis monitionibus et probationibus, et audito reo infligenda est. Concilium Lugdunense, quod Gregorio X Pontifice habitum est, iudicibus permiserat aut tres monitiones adhibere, aut unam pro tribus; sed Tridentina Synodus cit. loco duas saltem praemittendas decrevit. De hac excommunicatione quaestiones alicuius momenti nullae sunt.

Sed excommunicationes latae sententiae varie a nonnullis scriptoribus exagitantur. Eas Van-Espenius Iur. Eccl. univers. part. 3, tit. 11, cap. 17 novitatis insimulat, atque autumat ad recentioris aetatis disciplinam pertinere ac seculo XII aut ad summum XI in Ecclesiam invectas esse. Contra hanc opinionem, praeter canonem 1 Concilii Antiocheni supra relatum, et Concilium antiquius Episcoporum Africae, quod memorat Cyprianus Epist. 66 ad Furnenses, apertissime faciunt Concilii Laodicensis canon 29: « Qui reperti fuerint iudaizare anathema sint in Christo; » Synodi Gangrensis viginti canones, quorum singuli concluduntur his verbis «anathema sit;» Concilii Illiberitani canones 1, 2, 3, canon 9 Concilii Turonensis I, pluraque alia antiquitatis monumenta. Verum non est operae pretium in re adeo explorata diutius immorari. Vide Gerdilium « Esame dell'opposizione del Vescovo di Noli, » p. 2, lib. 3, art. 1.

Hisce vero excommunicationibus valde infensus fuit Godescalchus Rosemundus Theologus Lovaniensis, qui eas censuit plus noxias esse, quam utiles, proindeque prorsus tollendas, et in suo Con-

fessionali cap. 20 ita scribit : « Expediens esset, ut omnes excommunicationes latae sententiae in Iure vel statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest quam prodest, expressa revocatione cassarentur in Provinciis, et Dioecesibus, et in Ecclesia universa. » Verum quantum haec assertio audax sit, ex eo fit manifestum, quod usus aliquis huiusmodi excommunicationis semper in Ecclesia utilis fuit, et iustae fuerunt causae, ut posteriori aevo frequentius haec sanctio adhiberetur. Et ad primum illud quod attinet, ut facile agnoscas, quanta semper fuerit excommunicationis utilitas, animo attendere debes ad eius vim, ex qua fit, ut sanctio poenarum, quae ipso facto incurruntur, idonea inveniatur ad imminuendam, tum communem illam delinquendi facilitatem ex impuritate ortam, quam sperant homines propter suam in facinore occultando cautionem, tum illam in patrandis delictis impunitatis spem, quam non pauci habent sive in sublimitate et potentia conditionis suae, sive in aliorum potentium patrocinio, sive in correorum multitudine, quoniam his quoque in casibus, licet vexationis timor, seu periculum gravioris scandali sacros Antistites deterrere possit a iudicio in delinquentes instituendo, nunquam tamen impediret, quominus delinquentes ipsi in facinore patrando iam poenis praecedenti sanctione obstricti fuerint. Ad causas autem quod spectat, quae sanctionum huiusmodi, posteriori aevo, frequentiam postularunt, duas hic commemorare sufficiet. Hac enim ratione refutabimus nonnullos etiam nostrae aetatis auctores, qui directe improbant eas sanctiones, quasi per generalem abusum multiplicatas et sanctam Ecclesiae

disciplinam, hac in re vindicabimus, qua frequentior ille usus inductus, probatusque est. Altera causa posita est in maiori admodum multitudine praepotentium hominum, qui in Christianorum numero existentes et peccarent in christianam disciplinam graviter et non possent facili negotio coërceri ab Ecclesia per sententiam contra illos expressam. Scilicet post Romanum Imperium in plura regna divisum, atque adeo in feuda, seu minores principatus pene innumeros discissum, nimis saepe contigit ut Episcopi deterrerentur, atque impedirentur ab instituendo speciali iudicio contra eos delinquentes, qui essent ex numero principum, quique principibus forent propinqui, aut gratia apud illos valerent. Altera vero causa deinceps accessit ex quo recentioribus Politicis cogitatum est, ut per novum nefas in omnia ferme potestatis ecclesiasticae gesta introspicere auderent, vexando etiam non leviter sacros Ecclesiae Pastores, qui sine venia civilis pòtestatis aliquid facerent. Itaque in his recentiorum temporum adiunctis, si non fuissent frequentius adhibitae sanctiones illae, quibus statuuntur poenae ipso facto incurrendae, cessaret profecto omnis ferme coercitio ecclesiastica vix exercenda identidem in humiliores homines, in illos scilicet, qui propter infelicitatem conditionis suae maiori potius indulgentia digni sunt. Quae cum ita sint, iam quisque facile intelligit, quantum a veritate absit citata auctoris assertio. Quapropter Benedictus XIV de Synod. dioec. lib. 10, cap. 1 antiquissimi earumdem excommunicationum et constantis in Ecclesia usus ratione habita, « haec Gotescalchi assertio, inquit, qua parte omnes excommunica-

tiones latae sententiae tamquam perniciosas deleri et abrogari vellet, audax est; communem enim Ecclesiae usum condemnat, et Concilia, Summos Pontifices, omnesque Ecclesiarum Praesules tacite carpit. »

Restat modo ut pauca dicamus de summa prorsus illorum audacia, qui sanctiones, de quibus loquimur, naturali divinoque iuri contrarias esse pronunciant. Aiunt nempe reprobari illas per naturalem quandam legem, quae neminem permittit ullis illigari poenis, nisi antea speciatim monitus fuerit, ac peculiari iudicio convictus; atque idipsum expresse a Christo Domino praescriptum fuisse notissimis illis verbis: «Si peccaverit in te frater tuus,» Matth. c. 18, v. 15. At vero haec Christi verba non exhibent iudicialem quemdam ordinem, quem servare iubeantur sacri Magistratus, sed continent omnino regulam fraternae correctionis, qua privati fideles utantur, quemadmodum ex integro apparet illorum contextu et fusius exponit S. Thomas 2. 2, q. 33. Lex autem illa, quam adversarii proferunt, tanquam naturali iure ipso publicae cuivis auctoritati impositam, plane merum est ipsorum commentum. Etenim licet certissime extet lex naturalis atque divina, quae insontes damnari prohibet, exinde tamen non sequitur, ut qui vere deliquerint, non possint eo ipso constringi, iustis poenis, praecedenti sanctione irrogatis. Adversarii qui legem naturalem affirmant ad liberandos ab hac sanctione poenarum homines delinquentes comparatam nullum suae affirmationis idoneum fundamentum afferre unquam potuerunt. Ipsi insuper legem comminiscuntur, quae nedum catholicis semper omnibus, sed civilibus etiam ethni-

corum legislatoribus ignorata fuit. Nam explorata res est, profanos quoque legislatores diversarum civitatum adhibuisse non raro eas sanctiones, quae hominem in ipso delicti facto afficerent, iis praesertim poenis quae in mera quorundam iurium privatione consistunt. Aliqua hic tantum ex Civili Romanorum iure exempla indicabo. Itaque huc spectat Lex Iulia et Papia Poppaea; eo in primis capite quod erat de poenis caelibatus. Vide Gravina Orig. I. C. l. 3, § 41, item sanctiones, quae coërcebant viduas intra annum nubentes ex posteriore Iure l. 1 et 2 Cod. de sec. Nuptiis, uti et aliae quaedam ex illis, quae ad irrogandam infamiam pertinent, leg. 1 et 4, § pen. et ult.; et leg. V, ff. de iis, qui notantur infamia, et leg. 18. Cod. ex quibus causis infamia irrogetur, quibus adde Leg. Palam 43, § pen. ff. de ritu nupt.; nec non et ea quae statuta fuerunt in maiestatis reos, Leg. 6, 7, 8 Cod. ad Leg. Iuliam Maiestat. iuxta edit. Gothofredi.

Porro vis et sanctitas ecclesiasticae disciplinae in sanctionibus, de quibus loquimur, speciatim quoque per expressam Ecclesiae definitionem declarata est.

Cum enim Pistoriensis Synodus non dubitaverit asserere, « necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas IPSO FACTO non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu, » huiusmodi propositioni per constitutionem dogmaticam AUCTOREM FIDEI haec nota inusta fuit: « Falsa, temeraria, perniciosa Ecclesiae potestati, iniuriosa, erronea. » Excommunicationes

vero latae sententiae iniustas omnique effectu carentes ea synodus notavit, quia pro certo posuit (utrum ex ignorantia, an vero ex malitia, Dei sit iudicium) per illas excommunicationes non monitos, non auditos, non reos legitime probatos e numero christianorum segregari, atque extra Ecclesiam eiici. Id est falsissimum. Namque admonitio canonica est ipsa promulgatio legis, quae aliquid fieri iubet aut vetat, indicta poena in eos, qui contra fecerint excommunicationis latae sententiae, proindeque ipsa lex est veluti loco perpetuae monitionis, cum omnibus obiecta sit et contineat legis simul et sententiae vim. Qui ergo legem frangit, qua scit excommunicationem illico et ipso facto irrogari in eos, qui non obtemperaverint, is profecto suam contumaciam et Ecclesiae contemptum satis aperte declarat, et quantum ad forum internum pertinet, et coram Deo excommunicatione irretitur, sed in foro externo et coram hominibus non est habendus excommunicatus, nisi per iudicis sententiam reus criminis legitime probetur ac declaretur. Declaratio porro criminis non solum utilis est ad pleniorem criminum coërcitionem, sed pluribus in casibus, est etiam necessaria ad quosdam effectus. Gerson in tractatu *De vita spirit. anim.* lect. 4, corollario 14, praeclare observat, excommunicationem latae sententiae hoc efficere, « ut absque processu alio iudiciali, aut nova constitutione possit iudex statim probato facto, vel confesso, ferre iuris sententiam, et eamdem publicare: non sic ubi canones essent solum ferendae sententiae quoniam monitiones et processus secundum terminos iuris requirerentur multiplices. » Hac de re prae caeteris legendus est

Theophilus Raynaudus *de monit. eccl.* part. 2, c. 20 opp. tom. 14.

Initio diximus potestatem excommunicandi Antistitibus Ecclesiae, scilicet Episcopis, eoque magis Antistiti supremo Romano Pontifici a Christo datam esse, ad quos proinde ea potestas iure divino pertinet. Praelati vero saeculares cum Territorio separato, Moderatores Ordinum Religiosorum, et generatim omnes iurisdictionem habentes in foro externo possunt eadem potestate uti ex iure ecclesiastico; non vero Parochi: namque, ut optime disserit Hurtad de Excommunic. disputat. 12, difficult. 1, num. 21 : « Communiter Doctores negant Parocho potestatem ordinariam excommunicandi. Et merito, quia nec ex suo munere, nec ex iure habet potestatem, seu iurisdictionem in foro contentioso. » Ubi notanda sunt ea verba « negant Parocho potestatem ordinariam; » nihil enim impedit, quominus Parochorum aliquis potestate extraordinaria, ex. gr. ex privilegio, vel legitime praescripta consuetudine, excommunicationem in suos Parochianos ferat. Quod si cap. CUM AB ECCLESIARUM de offic. Iud. ordin. excommunicationem a Plebano S. Pancratii de Lucar in suos Clericos et Laicos latam Alexander III ratam habuit, tenendum profecto est, Plebanum vel extraordinaria potestate egisse, quemadmodum Theologi et Canonistae fere omnes eam Decretalem interpretantur, respectu habito ad ipsius Ecclesiae sensum, sive praxim, quatenus eam potestatem ordinariam nusquam Parochi exercuerunt, vel ideo censuram tulisse, ut Nardi op. cit. putat, quia eminentiore, qua insignitus erat praelatura, tanquam Capituli collegialis caput, Plebanus pot-

erat ordinaria potestate excommunicationis poena delinquentes plectere. At vero Petrus Mengonius disceptatione Florentiae edita an. 1732 « De eminentiori Parochorum dignitate supra Canonicos » non dubitavit Alexandri III mentem aliter interpretari, atque interpretatione sua, quasi certo solidoque fundamento nixus, probare contendit, Parochos potestate ordinaria in foro externo esse praeditos, ideoque excommunicare posse. Eum confutavit Ioannes Dominicus Larius dissertatione Pisis edita an. 1733. Confer Gonzalez ad cit. cap. de offic. Iud. ordin., et Benedictum XIV de Synod. Dioec. l. V. cap. 4, num. 2. Qua de re haec satis sint.

Nunc videndum nobis est quid intersit inter Pontificis et Episcoporum potestatem, sive spectentur personae, quae a communione Ecclesiae segregari possunt, sive causae propter quas segregantur. Quod ad personas pertinet, iam diximus excommunicandi ius in potestate ligandi fundatum, et iurisdictionis ecclesiasticae partem esse; ideoque Antistiti potestas est excommunicandi eos, qui suae iurisdictioni obnoxii sunt; Pontifex vero ea potestate in omnes Christianos utitur, quia quotquot in Ecclesia sunt ratione Primatus subiectos habet. Sed Febronius in hac re eamdem Pontifici potestatem tribuit, ac Episcopis. Negat enim ullam Pontifici potestatem esse in eos, qui extra suam Dioecesim versantur, et propriis Episcopis subiiciuntur; ex quo fit, ut tum Pontifex, tum Episcopi in sua quisque Dioecesi, non in aliena, excommunicandi, eiiciendique a propriae duntaxat Ecclesiae communione ius habeant. Qui quidem perniciosissimus et capitalis

error tum Primatum iurisdictionis, tum centrum unitatis funditus evertit. Praeclare Ballerinus in vindiciis auctoritatis pontificiae cap. 7, num. 7: « Febronius ex falso sui systematis principio Romano Pontifici subditos negat, qui aliis Episcopis subiiciuntur; quod evertit ipsam Primatus naturam, quia idem Pontifex praesidet singulis et omnibus tum Episcopis, tum ovibus gregis dominici . . . Et cum ille, qui in omnes et singulos catholicos ius habet, aliquem excommunicatione et anathemate plectit, eum non solum a sua, et Romanae particularis Ecclesiae communione eiicit; verum etiam praecidit et eiicit a communione et unitate totius Ecclesiae catholicae, quae ipsi tanquam capiti catholicae communionis adhaerere debet iure primatus, nec fieri potest, ut quisquam ab eo praecisus, non sit etiam praecisus ab ipsa Ecclesia, quae eidem communionis centro ex institutione Christi immobiliter adhaerescit. »

Eos vero, qui a proprio Episcopo excommunicati fuerunt, certum est ab alio, excepto Summo Pontifice, neque absolvi, neque in communionem recipi posse; namque recta regiminis Ecclesiastici ratio postulat, ratas fixas manere poenas, quibus una Ecclesia in sontes animadverterit: idque etiam Sacris Canonibus sancitum fuit. Proinde Episcopi ex antiquo more institutoque per epistolas *communicatorias*, sive *formatas*, de quibus initio diximus, caeteris Episcopis eos denuntiabant, quibus Sacrorum communione interdixerant, eamque disciplinam Pontificale Romanum servari iussit; sic enim parte 3 de Ordine excommunic. et absol. praescribit: « Epistola Presbyteris per Parochias, et etiam vicinis Episcopis

mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet.

Confer de hoc argumento Mamachium, « ad auctorem op., quid est Papa op. 4, n. 2, t. 2, » et Zaccariam, « le storte idee raddrizzate » et diss. 5 « Delle forze obbligatorie della disciplina. »

§ 26.

De iure casuum reservandorum.

Ad Sacramentum Poenitentiae administrandum non modo necessaria est potestas Ordinis, qua remittuntur peccata, vel retinentur, verum etiam potestas Iurisdictionis; neutraque sine altera satis est. Ea siquidem est Sacramenti Poenitentiae natura, ut instar iudicii conficiendum sit; ideoque Sacerdos cum iudicis personam gerere et sedere pro Tribunali debeat, atque diiudicare, utrum peccata remittenda sint, an retinenda, perspicuum est ad illud iudicium rite recteque instituendum perficiendumque necesse esse, ut potestatem habeat tum cognoscendi de culpa poenitentis, tum etiam praescribendi aliquid, vel imperandi quod poenitens praestare omnino debeat.

At quonam iure Sacerdos poterit cognoscere de culpa poenitentis, ut eum absolvat, eique praescribere, vel imperare aliquid, si poenitens eius iurisdictioni non subsit? Nullo quidem iure. Restat igitur, ut cum Ordinis potestate coniungenda sit potestas iurisdictionis, sine qua Sacramentum neque licite, neque valide administratur.

Praeclare S. Thomas lib. 4 contra Gent. cap. 72: « Minister, inquit, Ecclesiae in usu Clavium

iudicium quoddam exercet: nulli autem iudicium committitur, nisi in sibi subditos : unde manifestum est, quod non quilibet Sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, ut quidam mentiuntur, sed eum tantum, in quem accipit potestatem. » Et in supplem. quaest. 8, art. 4: « Oportet quod ille qui dispensator huius Sacramenti constituitur, sit talis, qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alienum, nisi ei qui habet super eum iurisdictionem; et ideo de necessitate huius Sacramenti est non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis Sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem. Et ideo sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest Sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet iurisdictionem. »

Verum hac de re dubitare amplius non licet, postquam Tridentina Synodus sess. XXIV, cap. 6 definivit absolutionem Sacerdotis a Christo Domino institutam esse « ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut iudice sententia pronuntiatur: » et cap. 7: « Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, PERSUASUM SEMPER IN ECCLESIA DEI FUIT, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. » Quod antea a Concilio Florentino definitum fuerat, in decreto, scilicet, « Ministrum Sacramenti Poenitentiae esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel ex commissione Superioris. »

At vero isthaec doctrina catholica, quam tota

antiquitas tenuit, primo quidem in Galliis oppugnari coepta est: quapropter Sacra Facultas Parisiensis hanc propositionem « Validitas Sacramenti Poenitentiae non pendet a iurisdictione » hac censura notavit: « Haec propositio est erronea, et sapit haeresim a Concilio Tridentino damnatam; » item hanc propositionem: « Sacerdotes omnes sive Pastores sint, sive non sint, coniuncti sunt in potestate ligandi et solvendi, et ex Christi institutione subditos habent: hi subditi sunt christianus Orbis; » ita notavit: « Haec propositio, quae asserit omnibus Sacerdotibus ex institutione Christi attributos esse subditos, in quos ligandi et solvendi potestatem in ordinatione acceptam exerceant independenter ab Episcopi missione, hosque subditos esse orbem christianum, falsa est, ecclesiasticae hierarchiae destructiva et erronea. » Vid. Collect. iudic. tom. 3, part. 1, pag. 211. Et cum quidam Edm. Amiot in Theologica Facultate licentiandus eamdem propositionem defendere ausus esset, eam retractare coactus fuit, et publice profiteri, « in unoquoque Sacerdote praeter illam omnem potestatem, quam accepit in ordinatione, adhuc requiri iurisdictionem ab Ecclesia sive ordinariam, sive delegatam, ut valide absolvat. » Ibidem part. 2, pag. 280.

Verumtamen huiusmodi errore Gallia depulsus in Italia patronum invenit Aloysium Litta Canonicum Mediolanensem, quem Ioannes Baptista Guadagnini, et Georgius Siccardi cum paucis assentatoribus sequuti sunt. Igitur Aloysius Litta veritus non est asserere, Sacerdotem potestatis iurisdictionis expertem valide absolvere, et si a casibus

reservatis absolvat, eius absolutionem illicitam esse, non invalidam, apertissime contradicens Tridentinae Synodo, quae pronuntiavit huiusmodi Sacerdotis absolutionem nullius momenti esse; et can. 11 anathemate ferit, « qui dixerit, casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat. »

Sed non hic finis errorum. A Concilio Tridentino definitum fuit sess. 14, can. 9: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum iudicialem, anathema sit. » Id quidem fateri Aloysius Litta visus est; verumtamen ait sine ulla potestate iurisdictionis actum fieri iudicialem posse per quoddam *compromissum*, propterea quod poenitens, dum Sacerdoti se subiicit, eum constituit sibi arbitrum, adeoque iudicem cum potestate sententiam proferendi et iudicandi. Ex quo quam multi et quam graves errores, imo haereses, atque impietates consequantur, solide luculenterque ostendit doctissimus P. Herm. Christianopulus in egregio opere « Della nullità delle assoluzioni nei casi riservati. » Edita de hac re Aloysii Littae epistola in pravorum librorum Indicem relata fuit decreto S. Congregationis die 2 augusti 1790.

His positis, ad rem nostram proxime accedamus. Potestas iurisdictionis, sine qua Sacerdos nec licite, nec valide absolvit, est potestas in subditos, adeoque ad eos solum pertinet, qui subditos habent. At non quilibet Sacerdos ex iure divino subditos habet, sed tantummodo Pontifex in Ecclesia universa, et Episcopi in sua quisque Dioecesi: ideoque ab iis iurisdictio ad absolutionem valide impertiendam necessaria in Sacerdotes inferiores descendit, ita tamen ut auctoritati superiori

semper obnoxia maneat, sive, ut aiunt, subordinata, atque adeo coarctari, atque etiam auferri potest. Praeclare Gerson, in tractatu de Statibus Ecclesiae, Consideratione tertia: « Status, inquit, Praelationis Episcopalis, habuit in Apostolis et Successoribus eius; tamquam sub habente vel habentibus plenitudinem Episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores Praelati subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur vel arcetur, et sic a Papa posse fieri circa Praelatos maiores ex certis et rationabilibus causis non est ambigendum. » Itaque Pontifex in Ecclesia universa, et Episcopi in sua quisque Dioecesi coarctare possunt inferiorum Sacerdotum iurisdictionem, et quaedam graviora crimina sibi, suoque iudicio relaxanda reservare. Quam catholicam doctrinam Tridentina Synodus tradidit sess. XIV, cap. 7 de Casuum reservatione: « Magnopere, inquit, ad christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi, in aedificationem tamen non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati,

non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. » Et eadem sessione can. 11: « Si quis dixerit Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam: atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit. » Itaque Ludovicus Habert de Poen. cap. 7 haec habet: « DE FIDE EST Summum Pontificem, et Episcopos posse sibi reservare casus, a quibus inferiores Sacerdotes absolvere nequeunt etiam in foro conscientiae, nisi potestate ab illis delegata: Episcopi absolvere possunt a peccatis Summo Pontifici reservatis subditos, qui prae infirmitate, aut alio impedimento ad Sedem Apostolicam recurrere nequeunt. » Illi igitur qui recurrere possunt, ab Episcopis absolvi nequeunt. Et Sylvius Commentario in tertiam partem S. Thomae quaest. XX, art. 2: « Sacerdotem, inquit, non semper posse absolvere suum subditum, eo quod Superior possit aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat. Esse autem in Ecclesia potestatem reservandi quaedam peccata, eamque reservationem non tantum in foro externo, sed etiam coram Deo vim habere, DOGMA CATHOLICUM est definitum in Concilio Tridentino sess. 14, cap. 7, et can. 11. » Et ne quis forte putaret, huiusmodi reservationibus eos tantummodo teneri, qui delegatam, non autem eos qui ordinariam iurisdictionem habent, idem Auctor citato loco ad quaestionem: « Qui possint peccata reservare? » respondet, id eos posse, qui habent ordinariam iurisdictionem in foro conscientiae. Cum enim possint iurisdictionem aliis delegare, possunt etiam ampliorem, vel strictiorem con-

cedere. Neque solum hoc possunt respectu eorum, quibus delegant, sed etiam respectu habentium iurisdictionem ordinariam, si illi sint ipsis inferiores. Unde Romanus Pontifex potest reservare sibi casus respectu quorumcumque Praelatorum, et Episcopus respectu Parochorum. » Hinc Martinus V in Concilio Constantiensi circa finem, inter reliquas interrogationes ponit hanc: « Utrum credat auctoritatem iurisdictionis Papae, et Episcopi esse maiorem in solvendo, ligandoque, auctoritate simplicis Sacerdotis etiam habentis curam animarum? »

Febronius, de statu ecclesiae lib. II, pag. 283, edit. Francof. et Lipsiae an. 1770 ea qua solet asserendi audacia « Papales, inquit, quorumdam criminum reservationes suam originem, et fundamentum habent non in iure divino, et proxime a Christo, sed in consensu Episcoporum, et auctoritate Ecclesiae; siquidem pluribus saeculis penes Episcopos fuit plena et omnimoda auctoritas absolvendi in foro poenitentiali cuiuscunque, quantumvis enormis sceleris, reos, neque iis saeculis ulla erat reservatio papalis in foro illo poenitentiali nota. At circa saeculum undecimum coeperunt Episcopi ipsi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, idque vel ut a Pontifice reconciliarentur, vel ut a Pontifice poenitentia imponeretur, qua demum peracta, ab Episcopis absolverentur. Nec tantum in particulari aliquo casu poenitentes ad Sedem Apostolicam mittebant, sed subinde etiam generali decreto alicuius criminis reos non ab Episcopis, aut Archiepiscopis, sed a solo Pontifice absolvendos decernebant. Hoc vero hac ratione factum videtur, ut

hac reservatione difficilior esset obtinendi a crimine commisso absolutio, atque hac difficultate a crimine committendo retraherentur. »

Duo hic affirmat Febronius: Primum est, reservationes papales circa saeculum undecimum ex facto Episcoporum originem duxisse: addendum tamen erat, aliqua reservationum exempla longe ante saeculum undecimum reperiri. Alterum est, huiusmodi reservationibus homines a peccando deterreri. Sane bene: verum « hoc confirmat tales reservationes non iniuste, non fraudulenter introductas fuisse, quando ipsi Episcopi sua praxi testabantur talem disciplinam salubrem fore, » ut scite animadvertit Auctor operis quod inscribitur: « Febronius abbreviatus cum notis » tom. VI in notis ad § VI.

Denique Febronius ita concludit: Per mox enarratas illas, et successive communes redditas quorumdam reorum ad Sedem Apostolicam pro absolutione remissiones, tandem quaedam universalis consuetudo, et in hac fundata iuris Papalis species enata est, suum habens in Ecclesiarum consensu fundamentum. »

Haec conclusio falsis et inanibus coniecturis nititur. « Num, ut verba Ballerini de potest. Eccles. pag. 186 mea faciam, quorumdam Episcoporum observantia, qua initio particulares casus Apostolicae Sedi detulerunt, probare potest consensum omnium, qui de tali potestate abs se abdicanda ne cogitarunt quidem? Num qui initio detulerunt eos casus ad eamdem Sedem, potestatem, quae isti Sedi non competeret, eidem quasi suo iuri renuntiantes tribuisse dicendi sunt? Num S. Petrus, qui omnia solvere, et ligare poterat ex

institutione ipsius Christi, non potuisset in illis casibus absolvere, nisi hanc potestatem sibi Episcopi concessissent? Num minor erat Romanorum Pontificum auctoritas, in quos idem Primatus ac iurisdictio transivit? Nonne ipsum Tridentinum Concilium totum reservandi ius non in delationem Episcoporum, sed in supremam potestatem sibi (Summo Pontifici) in Ecclesia universa traditum expresse retulit? »

Ad haec Febronius: « Bono, inquit, iure dicere potuit, dixitque S. Synodus, Summum Pontificem pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, potuisse quaedam graviora crimina reservare, abstrahendo a quo haec ei portio potestatis tradita sit, » utrum nempe a iure divino, an a consensu Episcoporum.

Haec postrema animadversio facile diluitur. Concilium *abstrahit*, hoc est reticet, non meminit a quo ea potestas Pontificibus tradita fuerit. Ita quidem. At Concilium non reticet, sed meminit, sed apertis verbis docet, qua potestate Pontifices quaedam sibi graviora crimina reservare possunt; cuius quidem potestatis indole et natura cognita, plane intelligitur a quo eadem potestas manaverit. Concilii verba haec sunt: « Merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Igitur Pontifices Maximi, in quibusdam criminibus reservandis, « suprema potestate utuntur in Ecclesia universa sibi tradita; » atqui suprema potestas, quam Summi Pontifices in Ecclesia universa tenent, non eis ab Ecclesia, sed ab ipso Christo tributa fuit, quod catholici omnes profitentur;

ergo causas criminum graviores sibi reservant iure divino, sive ex ea potestate, quam ab ipso Christo acceperunt.

Sed de casuum reservatione satis. Qui plura desiderat, praeter Auctores supra citatos videat, Thomassinum de vet. et nov. Eccles. discipl. tom. I, lib. 2, cap. 13; Mansium Animadvers. in Thomas. tom. III, edit. Luc. 1728, pag. 636; Pontas in Diction. de casuum reserv.; Petrum Ballerinium in Vindic. Auctorit. Pontific. cap. IV, n. 5; Card. Gerdil Animadv. in comm. Febronii in suam retract. proposit. 24; Zaccariam in Antifebronio vindicato part. III, Dissert. VII, cap. 4; et passim Theologos in Tractatu de Sacramento Poenitentiae.

§ 27.

De reservatione beneficiorum.

« Generalis regula est, inquit Zallinger lib. III, tit. V de Praebend. et Dignit., Episcopum in sua Dioecesi omnia conferre Beneficia saltem non collegialia, eoque iure tamdiu utitur, donec alius sibi competens ostendat; atque hoc est, quod Doctores aiunt, Episcopum pro conferendis Beneficiis habere intentionem fundatam in iure, » cap. 1 de Capell. Monach. Gratianus can. OMNES 10... « Sed intentio fundata in iure, quam Episcopi habent pro conferendis beneficiis suae Dioecesis, spectato ipso iure, id est verbis et mente SS. Canonum, minime obest iuri et potestati RR. PP. beneficia conferendi, » cap. 2 de Praebend. et Dignit. in 6 Clement. 1 ut lite penden. nil. innov.

Quo quidem iure conferendi aliarum Dioecesium beneficia Summi Pontifices usi sunt, in primisque S. Gregorius M., quem suspicari non licet ius alienum invadere voluisse; sed cum esset antiquarum

regularum studiosissimus, id profecto egit, quod ab Innocentio I, Leone M., aliisque Pontificibus actum fuisse compererat. Plurimas S. Gregorii M. epistolas, quibus ea res comprobari potest, Thomassinus congessit p. II, lib. 1, cap. 41. Ex iis vero unam satis sit in medium proferre lib. 2 epistolam 10, in qua ad Episcopum Importunum ita scribit: « Ea quae provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Ecclesiam Sanctae Mariae quondam CAMPISONIS in tua Parochia positam Presbytero vacare cognovimus, praesentem portitorem Dominicum Presbyterum in eadem Ecclesia, ut praeesse debeat, nos scito deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta eiusdem Ecclesiae facias sine cunctatione praestari, et decimae fructus indictionis, qui iam percepti sunt, praedicto viro fac sine mora restitui, quatenus eiusdem Ecclesiae utilitates, cuius emolumenta consequitur, Deo adiuvante, sollicite valeat procurare. »

Pontifices autem solebant hanc agendi rationem tenere: primo namque litteras sic dictas *monitorias* ad Episcopum dabant, quibus nempe Episcopus monebatur, ut beneficium vacans certo viro ecclesiastico conferret. Si Episcopus monitionem pro nihilo duxisset, litteras *praeceptorias* adhibebant; et quatenus Episcopus ne praeceptis quidem parere voluisset, litteras *exsecutorias* mittebant, constituto nempe Exsecutore, qui Pontificis iussa exsequeretur.

Huiusmodi litteris affinia erant *mandata de providendo*, quibus mandabatur Episcopo, vel alii Collatori, ut designato Clerico beneficium aliquod conferret. Horum mandatorum auctor extitisse Ha-

drianus IV aliquibus videtur. Erant autem ista mandata duplicis generis; alia enim dabantur pro beneficiis, quae iam vacarent: alia vero pro beneficiis vacaturis: atque haec posteriora mandata etiam *gratiae expectativae* dicebantur. Sed postea visum est Pontificibus certa quaedam beneficia sibi reservare, hoc est suae collationi addicere, ita ut reliquorum omnium collatio ad Episcopos pertineret.

His positis, quaestio fit, quo iure Summi Pontifices beneficia aliarum Dioecesium sibi reservent? Respondemus eodem profecto iure, quo « graviora quaedam crimina suo peculiari iudicio reservare potuerunt, scilicet iure Primatus pro sua in Ecclesia universa sibi tradita potestate, » tum pro supremo si non dominio, at certe suprema Ecclesiasticorum omnium bonorum administratione, ita ut, quod singulis Episcopis in sua cuique Dioecesi agere licet, id, quin Summo Pontifici in qualibet Dioecesi liceat, dubitandum minime sit, cum ipse Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem gerat, et bene de Ecclesia meritis, pro ea laborantibus, litteratis, et pauperibus ad eum confugientibus consulere, ut par est, et prospicere debeat. Ad haec adde Sacrorum Canonum praescripta, de quibus omnibus late disserunt Pichler in lib. III, decret. tit. 5, num. 41, Biner dissert. 1 de iure beneficiali, Pirrhing de praeb. et dignit. sect. 3, § 1, num. 74, Thomassinus tom. II, lib. 1, cap. 31, Card. Gerdil in Comment. a Iustino Febronio in suam retractationem edito animadv. 31, Zaccaria in Antifebronio vind. diss. VII toto cap. 5 aliique permulti.

Sed aiunt: si Summi Pontifices illud ius pote-

statemque, qua in conferendis beneficiis usi sunt, tum ratione Primatus, tum ratione supremae bonorum Ecclesiasiasticorum administrationis, tum denique Sacrorum Canonum praescripto habuissent, quomodo fieri poterat, ut non solum aliquot Ecclesiae, verum etiam integra regna, ipsaque generalia Concilia eius mandatis et reservationibus obsisterent? Atqui vehementer obstiterunt. Priusquam iis, qui haec obiiciunt, satisfaciamus, praeponendum est in hanc rem, quemadmodum in caeteras res humanas, irrepere quosdam abusus potuisse. Id fatetur Innocentius IV, namque in eius Bulla, quae exstat in additionibus ad Matthaeum Parisium, reservationes mandataque omnia irrita fecit, «quae, ut ait, et qualitas temporis, quod diebus istis potissimum fuit, ob eorum malitiam modis variis redimendum, et nonnullorum importuna instantia extorsit.» Itaque regna integra non de iure conquesta sunt, sed de iuris ipsius usu, nempe ut est apud Rigantium Commment. in reg. 1, Cancellar. § 1, n. 12: « Pontificis reservationibus utcunque specialibus obsequutae sunt Nationes omnes, quamdiu servata regula boni et aequi, aut pauperibus, aut indigenis beneficia distribuebantur. Sed restitere Angli, dum earum Provinciarum opes deferri videbant in Italiam, et rursus obstitere tum Angli, cum Hispani, quum a Pontificibus Avenione residentibus hominibus Gallis sua sacerdotia conferri viderent.» Igitur de iure Pontificum nulla exstitit controversia: de eius usu contentiones inciderunt, quae deinde sublatae sunt per concordata, seu pacta conventa, quae Apostolica Sedes cum summis Principibus inivit.

Quod vero ad Concilia generalia pertinet, Pri-

mum in Constantiensi, sect. 20, 26, 40 apud Von Der Hardt Conc. Const. t. 6, pag. 56, deinde in Basileensi Concilio, sess. 31, decr. de collat. benef. de moderandis reservationibus actum est; res tamen ad exitum non pervenit. At Concilium Tridentinum sess. XXIV, c. 19 mandata de providendo, quae *expectativae* dicuntur, et alias quascumque gratias ad beneficia vacatura prorsus abolevit, reservationesque integras reliquit. Quae quidem omnia magis favent Summorum Pontificum iuribus, quam eis obsint. Papa, ait De Alliaco, iure potuit ordinationes maiorum et electivarum dignitatum ac collationes aliorum beneficiorum sibi et Apostolicae Sedi reservare, quia haec sibi antiquissimo iure competebant. Haec etiam non solum iure universalis administrationis papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiae subiectae, utpote quia inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in suis beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem saepe iure suo non libere uti permittebantur, seu aliqua speciali ratione.» Quibus positis, non est, cur plura dicamus ad refellendam assertionem Gersonii, qui tract. de ref. Ecclesiae c. 23 effutire ausus est per mille annos numquam Pontifices Romanos has reservationes affectasse, easque eorum avaritiae, aut ambitioni esse tribuendas, et rapinas manifestas, ac consuetudines ad omne malum inductivas constituere.

Rationes et causas, quibus Pontifices moti sunt ad reservationes sive generales, sive speciales faciendas, multiplices fuisse Glossa in extrav. ad regim. de praebendis enumerat, easque refert Riganti op. cit. Praecipuae hae sunt; 1 ut mala quae in collationibus irrepserant, averterentur; 2. ut PP. viros de Ec-

clesia meritos remunerare possent. 3. Ut principes pro digno rogantes, ecclesiae devincirent; et 4. ut ecclesiae unitas magis firmaretur ac consisteret. Verum si fas est aperte dicere quod sentimus, quotiescumque agitur de quavis reservatione, qua facultates Episcoporum coarctantur, in animo tum Pontificum, tum Episcoporum quasi insculpta esse oporteret haec Petri Ballerini verba in vindic. auct. Pontif. cap. 4, n. 4 magni consilii et prudentiae plena: « Non debent quidem Pontifices passim ac temere Episcoporum facultates et iura quavis de causa diminuere, limitare, sibique attribuere; id enim in publicum damnum, et magnam Ecclesiarum perturbationem deflecteret. At si causa iusta occurrat, qua utile vel necessarium bono publico iudicent aliquid, tale efficere, sibive nonnulla reservare, quis id Pontificiae supremae potestati negare auserit? Ecclesiae certe bonum et naturalis ordo postulant, ne primatui totius ecclesiae haec potestas in ipsas Episcoporum facultates negetur. Quum enim Episcopi, cum suis facultatibus instituti fuerint a Christo in bonum Ecclesiae, non vero Ecclesia in Episcoporum, hi utilitati vel necessitati Ecclesiae ita debent studere, ut non inique ferant, si ex utilitate vel necessitate eiusdem Ecclesiae aliquot facultatum suarum restrictionem, moderationem, aut reservationem suprema potestas faciendam censuerit. »

§ 28.

De Iure concedendi exemptiones.

Natalis Alexander dissert. 12, in saecul. XVI de Syn. Trid. art. 16, num. 41, quamvis putet Episcopos immediate a Deo iurisdictionem accipere, attamen « Dioecesium, inquit, divisio subditorumque designatio a Romano Pontifice pendet, qui et iustis de causis immunitates ac privilegia, ecclesiis vel monasteriis concedere potest, quibus ab ordinaria iurisdictione solvantur et eximantur. » Sicut itaque in potestate Romani Pontificis positum est, portionem gregis, ex. gr. oppidum eiusque

incolas, uni Dioecesi subtrahere, et alteri subiicere, sic poterit Ecclesias, et Monasteria in aliqua Dioecesi sita, suae iurisdictioni reservare.

Exemptiones autem huiusmodi veteri more institutoque Ecclesiae nituntur. Patriarchae Orientales, iam inde a priscis Ecclesiae saeculis, nova monasteria in Episcoporum Dioecesibus aedificata, iure *Stauropegii* declarabant sibi in posterum subiecta fore, quamobrem Thomassinus de nova et vet. Eccl. disciplina part. 1, lib. 3, cap. 31, num. 15, affirmat, dubitandum non esse, « quin saeculo iam VII essent in Patriarchatu Constantinopolitano bene multa coenobia, ab Episcoporum Dioecesanorum spirituali iurisdictione prorsus absoluta, et uni immediate subiecta Patriarchae Constantinopolitano, et Exarcho Patriarchali, quem ille ad omnium monasteriorum administrationem delegabat. » In Synodo etiam Carthaginiensi, sub Bonifacio Episcop. an. 525 apud Labbeum legimus, exemptionem a iurisdictione Liberati Episcopi, quantumvis dissentientis, monasterio Abbatis Petri concessam fuisse, prolatis in medium antiquioribus exemptionum monumentis, decretisque Synodorum: « Neque enim, respondit Bonifacius, poterimus statuta mutare, quae per tot Sacerdotes instinctu divino servata noscuntur. » Quis porro inficias ibit, quod Patriarchis, Synodisque provincialibus olim licuit, id Romano Pontifici non licere?

Denique in quinque Conciliis, nimirum Viennensi, Constantiensi, Lateranensi IV, Lateranensi V, et Tridentino de exemptionibus actum est, neque istud ius Summi Pontificis in dubitationem adductum, neque exemptiones sublatae, sed ali-

quae tantummodo regulae mira sapientia conditae, quae ad legitimas causas, et usum exemptionum pertinent. Ex iisdem etiam Conciliis apertissimum est, ius exemptionum concedendarum nunc uni Romano Pontifici reservatum esse.

Quamquam Episcopalis ordo divinitus institutus sit, sive, ut ait Apostolus, « Episcopi positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, » portio tamen eius gregis, quem quisque regat, a Christo determinata non fuit, sed prudenti Ecclesiae arbitrio relicta; id quod infra demonstrabimus. Itaque divinis Episcoporum iuribus nulla fit iniuria, dum Ecclesia, Monasterium, vel persona aliqua ratione muneris, aut dignitatis, aliave iusta de causa a iurisdictione alicuius Episcopi eximitur. Illud accedit, quod Concilia et Pontifices semper caverunt, « ne privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitarent, et exemptis occasionem laxioris vitae praeberent: » Conc. Trident. sess. 24, cap. 11 de reform. Notandum hic est, exemptis onus incumbere sua privilegia probandi, ubi dubium aliquod exoriatur, summumque Pontificem adeundi, si dubium perseverat. V. Const. ab Innoc. X data, «Cum sicut.» Exemptiones Regularibus concessae sunt, a Ss. Canonibus, a Conc. Trid. et a Constitutionibus Pontificum. Adsunt praeterea instituta religiosa cum votis simplicibus, quae ex speciali indulgentia ac gratia exemptione omnimoda gaudent, ut sunt Congregationes excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. Chr., et SS. Redemptoris a S. Alphonso de Ligorio. Porro cum privilegia praeter ius commune, et specialem concessionem, etiam per communicationem acquiri possint, non erit abs re quaedam super hac re, notare, quae prae oculis habenda sunt. Ac 1. Mendicantes communicant inter se, et cum aliis non mendicantibus in omnibus privilegiis quocumque tempore ordini concessis; 2. omnes moniales gaudent privilegiis monasteriorum sui ordinis nec non aliorum, ubi sint capaces. 3. Privilegia personae concessa, ratione officii, vel ratione concedentis, intelliguntur concessa omnibus eiusdem officii, et communitatis, et consequenter omnibus aliorum ordinum, qui communicatione fruuntur. 4. Communicatio non datur inter Congregationes, quae vota tantum simplicia nuncupant. Conf. S. Alph. de Liguorio app. ad Privil. c. An exemptiones, et privilegia

huiusmodi odiosa in iure, adeoque strictae interpretationis, iuxta reg. 15 et 28 in 6 habenda sint, praecipue quum iuribus Episcoporum ac Parochorum derogare videntur, quaestio est, et in utramque partem multa disseruntur. Vide praeter caeteros, qui hanc materiam pertractarunt, si lubet, pro sententia affirmativa M. Verhoeven « De regularis et secularis Cleri iuribus et officiis, liber singularis, » Lovanii 1846, c. 1, §. 3, n. 7, et pro sententia negativa opus « Examen historicum et canonicum libri Mariani Verhoeven, » Bruxellis, 1847, c. 15, anctoresque apud ipsos citatos, et Mélanges Théologiques, an. 1847, cahier 1, pag. 44 et seqq., et cahier 3, p. 45 et seqq. Pro nostro instituto sufficiat notare exemptiones esse duplicis generis; aliae quippe ex mera liberalitate dimanant, propterea que *gratuitae* dicuntur et vera privilegia constituunt; aliae intuitu meritorum, ac servitii praestiti conferuntur, adeoque onerosae seu remuneratoriae audiunt, et privilegia lato sensu appellantur. Priores illae exemptiones cum a iure communi exorbitent, et Episcoporum iuri derogent, strictae interpretationis sunt; istae vero quum meritum, aliqua ratione, exaequent, late interpretari debent in thesi generali. Unde earum tenor sedulo inspiciendus est, secundum quem in concesso usu procedendum est, aut ampliative, aut restrictive, prout ipsius materiae diversa exposcit indoles, aut natura privilegiorum, ut ait Barthel op. iurid. op. 3, c. 2, §. 7.

§ 29.

De Iure percipiendi annatas.

Annatae sunt certae pensiones, aut certae pecuniae quantitates, quae ex Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus primi anni Romano Pontifici, sive Camerae Apostolicae solvuntur. Iam vero naturali et divino iure docemur subsidia illis, qui in Ecclesia operantur, impertienda esse, ideoque in primis Romano Pontifici, qui omnium Ecclesiarum curam et sollicitudinem gerit, et maxima onera et sumptus sustinere co-

gitur. Qua de re Apostolus I ad Cor. IX, 11, 13: «Si nos, inquit, vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » Quemadmodum itaque Summo Legis veteris Sacerdoti a minoribus Sacerdotibus, et Levitis suarum decimarum decimae, ex divino praecepto, solvebantur, « ita simillimo quoque munere a praelatis inferioribus colendum esse Romanum Pontificem, idque convenienter per annatas perfici, » fatetur ipse Gersonius in opusc. de simonia.

At vero non defuerunt, qui exactionem annatarum tanquam simoniacam, vel iniustam traduxerunt. Tournelius in locis theologicis de Concilio Basileensi haec habet: « Respondeo cum ill. De Marca, Natali Alexandro, Fagnano iuris pontificii peritissimo, Fevret et aliis, annatas solvere nec simoniacum, nec iniustum. Responsio haec est contra Molinaeum, Launoium, etc. » Tum allatis in eam rem Conciliorum Viennensis et Constantiensis, et Apostolicarum Constitutionum auctoritatibus sic conficit argumentum: « Omnibus curam animarum habentibus pie solvuntur decimae. Porro Romanus Pontifex iure divino constitutus est Pastor omnium fidelium, et omnium Ecclesiarum curam gerere debet. Ergo annatas absque ullo vitio recipere potest, easque pie ac rationabiliter conferunt Praesules designati. » Et Barthel Dissert. Praelim. de Concord. cap. 3, sect. 3, n. 5 rectissime ratiocinatur hoc modo: « Doctrinale

iudiciorum de hac quaestione, utrum exactio annatarum sit simoniaca, non Magistratus politici, sed Praelatorum et Doctorum Ecclesiae proprium est, et finitiva ea de re sententia ad Episcopos, Pontificem ipsum, et Concilia pertinet, iuxta gravissima verba Basilii Imperatoris in allocutione Synodi VIII. Oecumenicae: Laico cuicunque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico, haec enim excutiendi, et in utramque partem agitandi Patriarcharum, Sacerdotum, et Doctorum est officium, quibus a Deo ligandi et solvendi potestas est concessa. Nam laicus, etsi omnis pietatis, et sapientiae laude praestet, tamen laicus est, et ovis, non pastor. Porro Doctores, Episcopi, Pontifices Maximi, Ecclesia per orbem diffusa, annatas subventionis titulo exigi, solvique posse agnoscunt, sentiunt, iudicant, sive ante, sive post Bullarum concessionem exigantur. Horum itaque iudicio standum est quoad iuris quaestionem in hac causa, » quandoquidem hi, ut verbis utar cl. Roskovany, op. cit. §. 133, sat superque docent « bona ex annatis taxisque collecta, nonnisi in Ecclesiae utilitatem, ad imperii christiani contra infideles defensionem, ad subveniendum Christianis principibus, dum factionibus sectariorum, aut perduellium coniurationibus eorum maiestas et regna in discrimen versarentur, ad fovendos praedicatores, qui in terram infidelium, verae fidei propugnandae causa, mittebantur, impensa profusaque fuisse, hodieque impendi et profundi exemplis conspicuis palam reddi posset. Quo factum est, ut Protestantium quoque nonnulli, non solum annatarum vetustioribus temporibus exigi solitarum iustitiam et aequitatem in genere

agnoverint, sed etiam praesenti aetate taxas iure desumi posse censuerint. »

De annatis copiose diligenterque scripserunt Thomassinus de vet. et nov. Eccles. discip. part. 3, lib. 2, cap. 36, n. 5, Natalis Alexander Hist. Eccl. saec. XV et XVI diss. 9 de annatis art. 3, et Fagnanus in cap. PRAETEREA 1. Ne Praelati vices suas. Vide etiam Const. Pauli II DECET, Innoc. VIII INCUMBENTIA, Pauli IV APOSTOLICAE, Pii V CAMERAE NOSTRAE, Sixti V ALIAS, et Urbani VIII POSTQUAM.

§ 30.

De iure recipiendi relationes.

Ex cura et sollicitudine omnium Ecclesiarum, quae divinitus Romano Pontifici commissa fuit, illud etiam consequitur, maiores omnes causas, quae in singulis Ecclesiis, vel provinciis inciderint, ad Apostolicam Sedem referendas esse, ut Pontifex undique possit, quae sunt sui muneris partes implere. Glossator Decretalium ad cap. QUOD TRANSLATIONEM *de off. Legati*, duas de viginti eius generis causas enumerat. Generatim vero causarum maiorum nomine, non tantum dubiae fidei et disciplinae causae, sed universim causae omnes et negotia, quae gravioris momenti sunt, intelliguntur. Itaque ius hoc Romani Pontificis, non modo singuli quique Ecclesiarum rectores et Patres, verum etiam peculiares Ecclesiae, ipsaque Concilia Oecumenica agnoverunt. Huiusmodi relationum exempla sunt, Corinthiorum primo iam saeculo de exortis inter ipsos dissensionibus ad Clementem I; S. Cypriani in controversia de reconciliandis lapsis ad Cornelium; Cyrilli Alexandrini in causa Nestorii ad Coelestinum: « Vetus

Ecclesiarum consuetudo suadet, ait Cyrillus ad Coelestinum, ut huiusmodi res Sanctitati Tuae communicentur. » Et Concilium Sardicense anno 341 in epist. ad Iulium Pontificem ita scribit: « Hoc optimum et valde congruentissimum iudicabitur, si ad Caput, id est ad Petri Sedem de singulis quibusque provinciis referant Sacerdotes. » Et Ephesina Synodus in epist. ad Coelestinum Pontificem: « Est hoc vobis adeo magis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra Ecclesiarum firmamenta constituatis. Quia vero necesse est, ut omnia, quae consequuta sunt, Sanctitati Tuae significentur, non potuimus non scribere. » Merito itaque Innocentius I in epist. ad Victricium Rothomagensem diserte ait: « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Apostolicam Sedem, sicut Synodus statuit et vetus consuetudo exigit, referantur. » Et Bonifacius I epist. 15 ad Rufum ita scribit: « Maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiori, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exigit, eius auxilium postulasse. Sanctae memoriae Athanasius et Petrus Alexandrinae Sacerdotes Ecclesiae huius Sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum tempus laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum saepe discursus, primo sub Miletio, postea sub Flaviano Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam. » Mitto caetera argumenta, quae Mamachius collegit «Del diritto libero della Chiesa l. 3, p. 2, c. 3. »

At vero maiores causae non ideo ad Sedem Apostolicam referendae sunt, ut nihil ipsa inconsulta definiatur, sed praesertim ut eiusdem Sedis

iudicio et auctoritate dirimantur. Hinc Vigilius Pontifex epist. 7: « Si qua, inquit, certamina aut de religione, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine, diligenti ratione discussa, rationis ad nos seriem destinantes, Apostolicae Sedi terminanda servate. » Et S. Gregorius Magnus ad Episcopum Larissensem: « Si qua, inquit, mediocris est quaestio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostrae audientiae sententia decidatur. » Hinc octoginta Galliarum Episcopi an. 1671 aperte fassi sunt « Petri fides, quae non deficit iure, ac solemni perpetuoque Ecclesiae more, exigit, ut ad Apostolicam Sedem causae maiores diiudicandae referantur. » Parisiensis Curia, subdit Corn. Paul. Hoynck van Papendrecht op. Historia Ecclesiae Ultraiectinae Mechl. 1725, vulgo parlamentum dicta in libello supplici Ludovico XI oblato, de pragmaticis sanctionibus agens, agnovit causas eiusmodi S. Sedi reservatas esse. »

His generatim praemissis, non est huius loci, nec instituti nostri de singulis harum causarum speciebus verba facere: tantum de causis fidei et morum pauca disseremus. Iam vero in quaestionibus fidei et morum solum R. P. aut solum Gen. Conc. ius habet controv. fidei et morum definiendi. Episcopi in rebus fidei et morum magistri quidem et iudices sunt in Conciliis Œcumenicis; at in propria Dioecesi doctores et magistri sunt veritatum fidei et morum quaein Ecclesia definitae sunt, iis autem, quae a gravissimis theologis in controversiam vocantur, ipsi nequeunt sibi partes iudicis arrogare. Ad rem Gersonius de exam. doct. consid.

triplex causarum genus distinguit, dum ait: «Aliquae sunt doctrinae palam haereticales apud omnes; aliae dubiae simplicibus, sed manifestae sapientibus et peritis; tertiae, veluti neutrae habentes pro se doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus; nec in una tantum Dioecesi vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis et secundis auctoritas inferiorum praelatorum se extendit, et in suos tantummodo; in tertiis vero nequaquam, quoniam hae merito dicuntur maiores causae fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali; ideo sunt ad S. Sedem vel ad sedentem in ea referendae.» Quod autem primum genus spectat, nullus dubitandi relinquitur locus, quin in doctrinis iam definitis, seu palam haereticalibus Episcopi possint haereticos homines ad suum tribunal deducere, in eosque, debitis poenis, animadvertere. « Apud omnes in confesso est, ait Van Espen I. Ecc. U. p. 3, t. 4, cap. 2, crimen haeresis esse crimen ecclesiasticum, ipsisque Episcopis de haeresi cognitionem primario competere, cum eorum sit ministerii de dogmatibus iudicare, ut ait S. Ambr. ep. 32: sed praestat audire Bellarmin. de Conc. auct. l. 2, c. 10: Duobus modis potest iudicari de haeresi: uno modo de ipsa haeresi secundum se, et quasi in abstracto, ut cum quaeritur, an sit haereticum hoc, aut illud dicere. Altero modo in ordine ad hominem haereticum, ut cum quaeritur, an hic inciderit in haeresim ab Ecclesia damnatam. Quamvis igitur Concilium particulare (idem dicito de singularibus Episcopis) non possit dogmata fidei constituere, tamen potest iudicare, an aliquis inciderit in haeresin manifestam

sicut etiam iudicant inquisitores. » Quod pertinet ad secundum genus causarum citatus auctor sic prosequitur : « posse etiam Concilia particularia censere de haeresi secundum se, quando res est facilis, et in qua omnes fere doctores conveniunt, quomodo Conc. Antioch. olim iudicavit de haeresi Pauli Samosateni apud Eusebium l. 7, inf. c. 24, denique in tertio genere causarum unus, aut alter Episcopus numquam iudicat; at vero Episcopi congregati in Conciliis generalibus, atque etiam, si res postulaverint, in Concilio particulari sunt veri iudices fidei, et morum: eorum tamen iudicium non est irreformabile, nisi sententia, vel confirmatio R. P. accesserit.

Theodoretus Cyri Episcopus in Epistola ad S. Leonem M. quae est n. 52 inter ipsius Leonis epistolas tom. I, morem referendi ad Apostolicam Sedem graviora quaeque ecclesiastica negotia ab ipsa Apostolorum aetate repetit, quandoquidem Apostolus Paulus, ut ait, « ad Magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret. ». S. Hieronymus epistola 123 ad Ageruchiam n. 10, op. tom. I scribit: « Cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romanae Urbis Episcopum, et Orientis Occidentisque Synodicis consultationibus responderem etc. » Huiusmodi responsa, quae Hieronymus memorat, pluraque alia antiquissima documenta iniuria temporum intorierunt, sed tamen multa eaque certissima supersunt, quae diligenter collegit auctor operis : Quis est Petrus? seu qualis Petri Primatus? » parte 3 corollario 2, ubi Romanorum Pontificum ius recipiendarum relationum omni argumentorum genere tuetur. Roschovany l. c. §. 58: « Ideo, ait, fiunt relationes ad Apostolicam Sedem, tum ut quaenam sit in propositis quaestionibus Ecclesiae Romanae sententia, fidesque cognoscatur, tum ut Apostolica auctoritate et error condamnetur, et errantes ad catholicam mentem revocentur. Scissiones nimirum, et schismata tum fidem plerumque in periculum coniiciunt, tum conservatricem ecclesiasticae communionis pacem funditus convellunt. »

§ 31.

De iure appellationum.

S. Bernardus lib. 3 de Consideratione ad Eugenium cap. 2: « Appellatur, inquit, de toto mundo ad Te. Id quidem in testimonium singularis Primatus Tui. » Quod quidem ius recipiendarum appellationum, non humana, sed divina institutione Primatui inhaerere, ita praeclare comprobat Benedictus XIV de Synodo Dioecesana lib. 4 cap. 5: « Est huiusmodi appellationum ius adeo necessario adnexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari. Etenim cum Primatus praerogativa Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia iudex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem; ab inferioris quippe sententia superioris tribunal adire omnibus concessum esse, ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet. »

Nihilo tamen minus divinam Romanae Sedis praerogativam nonnulli Doctores in controversiam adduxerunt; nam Petrus de Marca, Launoius, Dupinius, aliique negant ius recipiendarum appellationum ab universa Ecclesia inter divina Primatus iura habendum esse, et ideo tenent non semper in iudiciis ecclesiasticis licuisse ad Romanam Sedem appellare. At vero in omnibus non plane consentiunt inter se. Petrus de Marca lib. 7 de Concord. Sacerd. et imper. c. 6 causas solius disciplinae a causis fidei separat, atque putat in

prioribus supremam fuisse Synodorum auctoritatem, ut ab eorum sententiis appellare non liceret, secus autem in causis, quae ad fidem pertinerent. Ait enim: « Auctoritas Conciliorum Orientalium his limitibus circumscribi debet, ut decernere tantum potuerint de administrationibus et gubernationibus Provinciarum, ut loquuntur Canones, idest de Controversiis, quae incidunt in executione Canonum de disciplina ecclesiastica latorum. Nam quoad causas, quae fidem spectant, aut regulas generales Ecclesiae universae, certum est eas definiri non potuisse absque interventu auctoritatis Episcopi Romani; quoniam quum Cathedra Petri ea sit, ex qua unitas Sacerdotalis exorta est, ut loquitur Cyprianus, par erat, ut reliquae Ecclesiae necessitate communionis unirentur cum Ecclesia Romana, eamque colerent tamquam Caput et centrum unitatis. » At Dupinius nec in causis fidei Pontificem appellatum fuisse contendit. Alii demum existimant in solis causis Episcoporum ad Romanam sedem appellare licuisse, non vero in causis Presbyterorum, et aliorum Clericorum, quae ex veteri disciplina coram propriis Episcopis, aut Concilio Provinciali definiebantur.

Autumat porro De Marca ius appellationum in rebus disciplinae a Sardicensi Concilio primam originem habuisse, sed ita tamen, ut vi Canonum Sardicensium non vere proprie dictae appellationis, per quam iurisdictio inferioris Iudicis suspenditur, et integra causae cognitio et definitio ad Superiorem Iudicem transfertur, sed revisionis duntaxat ius apostolicae Sedi tributum sit, ac proinde « si Episcopus damnatus Romanum Pontificem appellaverit, in potestate eius esse appella-

tionem respuendi, quo pacto sententia Episcoporum Provinciae confirmabitur; aut eam admittendi, quo casu debet Episcopus Romanus iudicium integrum remittere ad Episcopos Provinciae, et ad finitimos, ut illius causae cognitionem suscipiant, praesente Legato Summi Pontificis, si is existimaverit mittendum esse.» Haec De Marca cit. lib. 7, c. 3, ubi addit: « Fateor equidem hactenus universis persuasum fuisse repertam esse in Synodo Sardicensi legem de Appellationibus adversus Episcoporum iudicia, easque a Summo Pontifice iudicandas esse ex praescripto huius Concilii. Sed huic persuasioni occasionem dedit ipsa Synodus Sardicensis, quae vocibus appellandi et provocandi improprie utitur, quod retractatio vicem suppleat appellationis. Unde factum est, ut sequens aetas existimaverit in his Canonibus agi de vera appellatione iuxta propriam huius vocis significationem. »

Adversus Petrum De Marca Natalis Alexander dissertat. 28, in sec. 4 multa argumentorum copia et perspicuitate demonstrat ius appellationum ad Sedem Romanam esse appendicem Primatus S. Petro, et eius Successoribus a Christo collati; Canones vero Sardicenses non solum ius concedendi revisionem, sed potestatem iudicandi appellationes Romano Pontifici asseruisse et confirmasse.

Et sane quod attinet ad ipsum ius, idem Petrus De Marca lib. 3, cap. 7 illud cum Catholicis omnibus fatetur, quod Romanus Pontifex vi primatus tum possit, tum debeat Canonum observantiam et exsecutionem promovere, quandoquidem plane constat ecclesiasticam unitatem, cuius conservan-

dae causa Primatus institutus est, ex unanimi eorumdem Canonum sive dogmaticorum, sive disciplinarium observantia pendere. Cum autem eos, qui a Iudicibus ecclesiasticis contra Canones opprimuntur, Pontifex tueri nequeat, nisi possit etiam causam omnem rite recteque cognoscere, et latam sententiam revocare, ac rescindere; omnino consequitur Pontificem vi Primatus iure et auctoritate potiri veras appellationes recipiendi, ac definitive iudicandi eorum causas, qui contra Canones se gravatos ab inferioribus Iudicibus conqueruntur. Igitur ius appellationum in causis tum fidei, tum disciplinae inde profectum est, unde Primatus institutio ortum habuit, videlicet non adventitium, non a Concilio Sardicensi datum, sed ab ipso Christo collatum. Multa sunt appellationum exempla Sardicensi Concilio antiquiora, quae in primis collegit cl. Stefanucci, auctor Dissertationis de Appellationibus ad Romanum Pontificem Romae edit. an. 1768, et Marchetti diss. « Del Concilio di Sardica e de' suoi canoni Romae an. 1783. » Ex his autem illud manifeste comprobatur, quod ius appellationum ad Romanam Sedem originem suam Sardicensibus Canonibus acceptam non referat; nullum enim earumdem appellationum exemplum his canonibus antiquius exstitisset. Quisquis praeterea non praeiudicata opinione, sed amore veritatis ductus, vel ipsa Canonum Sardicensium verba perlegere attente voluerit, statim animadvertet, ne unum quidem esse verbum, ex quo vel coniectura ad suspicandum quis duci possit, novum aliquod inde ius fuisse constitutum. Opportune itaque cl. Devoti I. P. U. app. De Appell. c. 4 ait:

« Non loquendi modus, non verba, neque tacita voluntas Patrum argumento esse possunt, quod Summo Pontifici tunc primum tributum fuerit ius accipiendarum appellationum, aut Episcopis earum interponendarum facultas; imo vero utrumque ponitur tanquam exploratum, et iam ante receptum; ac solum Can. V et VII designatur modus agendi iudicium appellationis, ita tamen ut Summo Pontifici integrum sit ea in re arbitrio uti. »

At vero Sardicenses Canones non attentius considerarunt, qui affirmant eosdem Canones non ius verae appellationis, ac finalis et supremi iudicii, sed solam causae remissionem Romano Pontifici tribuisse. Nam tertius Canon haec habet: « Si iudicaverit (Romanus Pontifex) renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit pro confirmatis habeantur. » Et Canon IV adiicit: « Ut si quis Episcopus a vicinis Episcopis fuerit depositus, et negotium defensionis sibi competere dicat, non alius substituatur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata. » Iam vero si Romanus Pontifex vel priorem sententiam revocare, et dare Iudices, vel eamdem confirmare potest, iam ipsius iudicium supremum et finale est. Si praeterea in locum Episcopi depositi, qui ad Pontificem appellaverit, alius Episcopus substitui nequit, antequam Pontifex sententiam dixerit, manifestum est, quod ea sit propria et vera appellatio, quandoquidem prioris sententiae executionem suspendit, eiusdemque sententiae confirmatio, vel rescissio a Pontifice omnino pendet. Mitto, ne longius in hac re progrediar, Conciliorum,

caeterorumque graecorum interpretum prosequi auctoritates, qui Canones Sardicenses de veris appellationibus semper intellexerunt.

Quod denique Presbyterorum et Clericorum appellationes spectat, cum Pontifex ratione Primatus non solum in Episcopos, sed etiam in Clericos aliosque fideles supremam et immediatam potestatem habeat, iure potestatis et imperii sui poterit singulorum appellationes recipere, omnemque controversiam iudicio suo dirimere. Monumenta autem Ecclesiae praesertim Africanae, quibus damnati videntur Clerici, qui ad transmarina, hoc est ad Romanam Sedem appellaverint, non ius ipsum afficiunt, sed modum et praxim appellandi, quae duo probe distinguenda sunt. Quamvis enim summum hoc ius Romano Pontifici convenire perpetua Catholicae Ecclesiae sententia fuerit, modus tamen appellandi, ipsis Pontificibus sic volentibus, nunc maiorem, nunc minorem amplificationem accipere potest, salvo Primatu. Ita Innocentius I probavit Concilium Milevitanum, quo Clerici vetabantur ab Episcopis Provinciae suae appellare; poterat tamen Pontifex appellantes audire, si voluisset. Neque ex controversia, quae in Appiarii causa saeculo V exorta est, quis inferat, Africanos Episcopos ius ipsum in dubium revocasse. Eo enim nunquam progressi sunt, ut ius recipiendarum appellationum Romano Pontifici denegarent, aut in discrimen adducerent, solum in disputationis aestu arbitrati sunt iuris exercitium locum habere in casu non potuisse, vigentique contrariae in Africa consuetudini prorsus congruere, si Pontifex hoc iure non uteretur, causaque omnis, ubi fuerat exorta, finiretur. Canone vero XXII Concilii Mi-

levitani, ut loquar cum cl. Devoti loc. cit. cap. 5, §. 29, Patres Africani « avertendam esse putaverunt nimiam appellandi licentiam, qua presbyteri, aliique e Clero abutebantur, et qua fiebat, ut Episcopi ius suum exercere non possent, negotiaque minus commode, ac minus cito et accurate expedirentur. At quale huic licentiae remedium adhibetur? An statuunt Afri, nefas esse appellare? An lex directo fertur in eosdem clericos, ut non appellent? An appellantes depositionis, privationis clericatus, aut simili poena plectuntur? Nullum de his omnibus verbum est. Lex directo fertur in legislatores ipsos Episcopos, qui sua sponte suam constringunt potestatem, sibique ipsis legem dicunt, ut qui putaverit appellandum, a nullo eorum intra Africam in communionem recipiatur. Unde ille canon pactum conventum respicit inter Episcopos, qui sibi ipsis mutuo consensu legem imposuerunt, ut eorum nemo in communionem susciperet Presbyteros, ac caeteros clericos, qui putaverint appellandum. Hac agendi ratione non interdixerunt absolute appellationes, quoniam compertum hoc ius Romani Pontificis erat, nec plectebant Clericos privatione clericatus, quia nullius criminis rei esse poterant propter appellationem, sed tantum modum imponere appellationibus putarunt, a quibus abhorrentes erant, quia exinde multa sequi incommoda existimabant. » Conf. praeter Bellarminum de Rom. Pontif. 1, 2, c. 24, Marc. Ant. Capelli, de appellationibus Ecclesiae africanae ad Sedem Romanam diss., Romae 1722, Bolgeni, l'Episcopato 1, 4, c. 3 p. 94.

Nemini vero licet a sententia Pontificis appellare. « Cuncta per mundum novit Ecclesia, quo-

niam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus: » ita epist. 7 ad Episcopos Dardaniae scripsit Gelasius Papa, cuius auctoritatem Nicolaus I epist. 8 ad Michaëlem Imperatorem adhibuit. Reapse absurdum est inferiorem iudicem delere et emendare sententiam eius, qui in terris nemini subest. Itaque a Summi Pontificis iudicio ad Concilium generale appellantes iure meritoque damnati sunt, ut diximus lib. I, § 47, pluribus SS. Pontificum Constitutionibus. Ipse Petrus De Marca fateri cogitur, a Pontifice ad Concilium appellationes a veteri disciplina alienas esse. Certe quidem huiusmodi appellationes id unum spectant et moliuntur, ut auctoritatem Pontificis illudant, et ecclesiastica iudicia frustrentur. Itaque perniciosae sunt regimini Ecclesiae, quia auctoritas legitima Pontificis labefactatur, imperandi vis inhibetur, et inobedientia inulta manet. Exitiosae sunt paci et unitati, quia facilis schismati panditur aditus, difficilior autem fit medela: exitiosae sunt fidei, quia haereses impune grassantur, propterea quod nec semper, nec quacumque de causa Concilia haberi possunt. Uno verbo a sententia Pontificis ad Concilium appellare numquid aliud est, quam impune velle in errore et iniquitate perseverare, alios corrumpere, et Ecclesiam perturbare? S. Antoninus doctrina et sanctitate clarissimus part. 3, sum. tit. 23, cap. 3 de Appellat. Papae §. 3 affirmare non dubitavit: « *Sentire*

quod ad Concilium a Papa appellari possit, est haereticum, et contra illum articulum SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, *nam si licitum esset appellare a Papa, et ille ad quem appellatur esset Caput; sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.* » Pius II cit. concl. addit: « Ridiculum est appellare ad id, quod non est, nec scitur quando futurum est. Eo obtentu remanent scelera impunita, nutritur adversus S. Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis disciplina confunditur. »

De tota hac re copiose admodum accurateque disserunt Stefanucci cit. diss.; Ballerini observationes in primam partem diss. Quesnelli op. 8, Leonis Politi Iuris Eccl. l. 3, Marchetti l'autorità suprema del R. P., ossia dissertazioni polemico-canoniche sopra il Concilio di Sardica, Roma 1789, et Devoti Iur. Can. Univ. l. 2 in append. ad tit. decret. de appellationibus.

§ 32.

De appellatione ab abusu.

Operae pretium est, ut pauca hic de appellationibus ab abusu dicamus. Qui putant Curiam episcopalem, aut iudicem ecclesiasticum sua potestate in aliqua ferenda sententia abusum esse, ii solent in aliquibus regionibus ad principem laicum, sive eius curiam appellare, quae *appellatio ab abusu* nuncupatur, ac definiri solet a iudice ecclesiastico sua potestate abutente ad iudicem saecularem provocatio. Quaeritur itaque, an huiusmodi appellatio valeat et liceat? Qua de re aliqua dicenda sunt. Iam vero iudex ecclesiasticus sua potestate abuti potest, vel iniustam sententiam pronuntiando, vel iudicialem ordinem non servando. Si appellatio

fiat ratione iniustitiae, vocatur *appellatio simplex* et *mera;* si autem appellatio ob non servatum iudiciorum ordinem interponatur, *appellatio tamquam ab abusu* nominatur. Inter utramque appellationem illud intercedit, quod in priori appellatione princeps, sive iudex laicus, de re ecclesiastica cognoscit et iudicat, an scilicet sententia cum sacris canonibus congruat, nec ne: in appellatione vero tamquam ab abusu non de iure, sed de facto cognoscit, utrum ex. gr. ecclesiasticus iudex legitimos testes et ipsos litigantes audierit, an sufficientem defensioni locum dederit, an denique alia in re, quae ad iudiciorum ordinem pertineat, potestate sua abusus sit. Communis vero est Canonistarum sententia, meram et simplicem appellationem in qualibet causa spirituali et ecclesiastica illicitam et nullam esse, cum earum rerum cognitio ad solam Ecclesiam pertineat. Petrus de Marca, lib. 4, cap. 19, §. 5 de Concordia Sacerdotii et imperii, haec habet: « Simplicem et meram appellationem a Curia ecclesiastica ad Curiam regiam in Galliam nunquam admissam fuisse fatentur Petrus de Cugneris art. 14; Masuerius tit. de appellat. § 22; et Ioannes Galli quaest. 161. » Et Ioannes Petrus Gibert potestati laicae admodum addictus prima parte Prolegom. ad Ius canonicum tit. 8, sect. 3: « Magistratus, ait, usurparent auctoritatem, quae sibi non competit, si appellationes tamquam ab abusu admitterent, cum sententia non est evidenter contraria legibus Ecclesiae, quia in hoc casu agitur de interpretatione canonum, quae non competit principi: legis interpretatio pendet ab eo, qui eius ferendae auctoritatem habet. »

Quaestio igitur in eo vertitur, an appellationes tamquam ab abusu proprie dictae, in quibus nempe appellans de violato ordine iudiciali conqueritur, licitae rataeque habendae sint? Huiusmodi vero appellationum patroni tribus argumentis utuntur. Primum est inter christiani principis officia illud esse praecipuum, quod curam et defensionem Ecclesiae, sacrorumque canonum respicit; ideoque principem non modo posse, sed etiam curare debere, ne contra canones et recepta Ecclesiae iura quidquam perpetretur, et si quid huiusmodi a iudice ecclesiastico commissum fuerit, propulsare et emendare. Alterum argumentum est, summis principibus ius potestatemque esse, eos omnes, qui in ipsorum ditione sunt, a vi et oppressione defendere; et idcirco si iudex ecclesiasticus iniuriam inferat, fas erit et oppresso ad principem confugere, et principi appellationem recipere. Tertium denique argumentum sumitur ex can. NOS SI INCOMPETENTER, causa 2, q. 7, c. 41, quo Leo IV Ludovico imperatori sic scribit: « Nos si incompetenter aliquid egimus, et subditis iustae legis tramitem non conservavimus, vestro, ac missorum vestrorum volumus emendari iudicio. » Iidem auctores addunt appellationes ab abusu vel ab antiquioribus temporibus semper in usu fuisse.

Verum quod ad primum attinet, princeps saecularis si custos est et executor canonum, omnino debet eorumdem canonum regulas sequi, suaque auctoritate tueri, et propterea « quando etiam iudices ecclesiastici in canones peccarent, cum ipsi canones mandaverint Superiorem esse adeundum, qui illatas iniurias corrigat, si principes velint es-

se canonum custodes et exsecutores, in hoc incumbere debent, ut qui de inferioribus iudicibus iure queruntur ad superiores Ecclesiae iudices confugiant: quod praeclare dictum est a Roncaglia in diss. 21 Nat. Alexandri Hist. Eccl. saec. IV, § 2.

Ex quibus in promptu responsio est ad secundum argumentum; siquidem qui vim passus est, poterit a sententia iudicis inferioris ad superiorem iudicem ecclesiasticum appellare. Sed aiunt, si iudex superior aut nolit, aut, quod facilius evenire potest, iniuriam ab inferiori iudice illatam comprimere nequeat, nonne licebit Magistratus laici praesidium quaerere? Id quidem necessariae defensionis iure aliquando licere nonnullorum sententia est, qui tamen tres postulant conditiones: 1° quod vis illata et iudicii iniquitas sit notoria, publica ac manifesta; in dubio enim praesumptio favet ecclesiastico superiori; 2° quod superioris ecclesiastici iniusta oppressio per aliud medium declinari nequeat, secus enim defensio non esset cum moderamine inculpatae tutelae; 3° quod tranquillitas reipublicae christianae in discrimen non adducatur; privatus enim aliquid pati debet, ne publico bono officiat. Verum plures doctores, concurrentibus adhuc, si fieri potest, hisce conditionibus, iure merito dubitant, utrum appellatio ab abusu licitus sit defensionis modus, propterea quod laico magistratui occasio datur iurisdictionem et ecclesiae regimen invadendi. Namque acta ab ecclesiastico iudice confecta ad suum tribunal tradere, eisdemque inspectis, aut sententiam ferre aut ipsi ecclesiastico iudici praecipere, ut iudicium instauret, et priorem senten-

tiam, si opus fuerit, emendet, quidnam est aliud quam iurisdictionem potestatemque in res ac personas ecclesiasticas exercere? Quare audiendus est Ivo Carnut. ep. 159: « Si qui, ait, aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium. » Hac de re legendae sunt animadversiones eiusdem Roncaglia in cap. 2 Synopsis hist. eccl. IV saec. Natalis Alexandri § 3.

Quod denique spectat ad canonem INCOMPETENTER, is falso tribuitur Leoni IV; probabilius videtur Leoni III adscribendus. Quare ignotus est eius canonis auctor, neque etiam comperta res est, de qua agebatur, an scilicet ecclesiastica fuerit, an civilis. Nihil ergo concludi ex eo poterit.

Ad id quod addunt, negamus in tota retro antiquitate appellationem ab abusu receptam esse. Nam ut verbis utar ipsius Van Espenii op. Iur. chr. p. 3. t. 3 c. 4: « Convenit inter zelantissimos huius appellationis patronos appellationes has vix fuisse in usu ante tempora Ludovici XII et Francisci I regis Franciae, ut multis ostendit Fevretus. » Lequeux op. Inst. I. C. n. 156 ait: « Appellationes ab abusu in Gallia non sunt antiquae. » Unde Clerus Gallicanus expostulationibus ad Ludovicum XIV an. 1663 porrectis animadvertebat: « Les appellations comme d'abus, sont en France du même âge que l'hérésie de Calvin, et au même temps que les hérétiques commencèrent d'accuser l'Église d'abus dans sa doctrine et sa discipline, comme si les officiers de la justice eussent été d'intelligence avec eux, et qu'ils les eussent voulu seconder dans la jurisdiction. Sire, les

rois prédécesseurs de votre Majesté n'ont jamais autorisé cette nouveauté dans ses commencements; ils s'y sont même opposés dans ses progrès. Mais la pente du siècle infecté de la plus étendue et de la plus libertine de toutes les hérésies tournait trop de ce côté là . . . Nous lisons que les empereurs Théodose, Charles Magne et Louis le Débonnaire ont permis à leurs sujets qui plaidaient devant leurs juges pour des causes temporelles de demander le jugement ou l'arbitrage paternel de leurs Évêques; mais nous ne trouvons point qu'il ait été jamais permis d'appeler d'une cause spirituelle aux tribunaux temporels, principalement dans les causes ecclésiastiques. » Mémoires du Clergé, t. 7 n. 1526. His consonant quae habet Fleury opusc. publiés par Émery. Iure itaque Leo XII ad Ludovicum XVIII scribebat : « On médite d'ouvrir des nouvelles plaies dans le sein de l'Église, en remettant en vigueur les appels comme d'abus inconnus à la vénérable antiquité, source de désordre éternel et de vexation continuelle contre le Clergé, usurpation des droits les plus sacrés de l'Église. »

Praestat hic referre gravissima Cardinalis Richelieu verba. « La prétention, qu' ont les Parlements lorsque les juges ecclésiastiques jugent contre les canons et les decrets, dont les rois sont exécuteurs et protecteurs, que c'est à eux de corriger l'abus de leur sentence, est en effet une entreprise si dénuée de toute apparence de justice, qu'elle est tout-à-fait insupportable. La première chose qu' il faut faire pour se garantir de tels déréglements est d' ordonner qu'à l' avenir les appels comme d'abus ne soient pas admis. » Test. Polit.

Antonius Faber, lib. VII in Cod. tit. 28, def. 8, num. 3 observat, « hunc appellationum usum plerumque magnas inter utriusque iurisdictionis Magistratus rixas, interdum etiam

tragoedias excitasse, non sine magno totius Reipublicae christianae et scandalo et detrimento : quam ob causam fuisse hanc appellandi speciem antiquis omnibus iurisconsultis incognitam. » Vide allocut. Pii VII in consist. 24 Maii 1802; et litteras Leonis XII ad Ludovicum XVIII 4 Iunii 1824. Vide etiam Affre « De l'appel comme d'abus, » Paris 1845, André « Cours de droit canon » art. appel comme d'abus, Paris 1845, et Magnin op. Iur. Can. Institut. l. 4, t. 6.

§ 33.

De Iure Romani Pontificis in temporalia, ut aiunt, principum.

Ex pluribus iisque luculentissimis monumentis notius est, quam ut probari debeat, vel a primo inde mediorum saeculorum exordio, Romanos Pontifices, temporales inter poenas, quibus lata excommunicationis sententia, principes ob notorium horrendumque scelus plectebant, eas etiam, imperantibus ipsis non denegantibus, cunctisque vero e populo assentientibus et approbantibus, adnectere ob bonum rei tum civilis, tum ecclesiasticae fuisse solitos, quae iurium civitatis amissionem, regiaeque dignitatis privationem, nisi intra anni unius spatium resipuissent, suapte natura importarent secumque traherent. Hoc posito facto, iam quaeritur quonam iure Romani Pontifices id praestiterint? Nimis longum esset hac de quaestione pro rei gravitate disserere, eo vel magis, quia eius solutio ex duplici capite, tum ex facto ipso historico, inspectis rerum adiunctis, vigentique medii aevi iure civili, tum ex iure divino, consideratis Romanorum Pontificum praerogativis, desumi potest ac debet. De utroque ta-

men aliqua pro nostro instituto seorsim dicenda. A primo itaque ut exordiamur, tota quaestio eo reducitur, ut inquiramus, an opinio quae mediis saeculis, nemine contradicente, apud omnes diffusa Romano Pontifici potestatem attribuebat principes exauctorandi, solido humano fundamento inniteretur ac superstrueretur? Alii negativam, affirmativam alii sententiam sequuntur. Priorem illi amplexantur perversi scriptores, qui nil intentatum relinquentes, ut Romani Pontifices aut exosi reddantur fidelibus, aut gravem in suspicionem apud civiles rectores veniant, in eo toti versantur, ut sive unius Gregorii VII factis rebusque gestis, sive Pontificum ambitioni vel aviditati, sive ignorantiae superstitionique illius temporis, sive excogitatae Constantini Magni donationi, sive demum male conceptae inordinataeque Pipini, caeterorumque Principum christianorum regendi arti, illam opinionem adscribendam ineptissimis argumentis, quae ne refutari quidem merentur, petulantissime asserant, atque haeretica perfidia profiteantur. Secundam qui sententiam sequuntur in explananda origine, fundamentoque indicando inter se non conveniunt. Alii enim fundamentum omne ex speciali illo titulo apud omnes tunc temporis admisso repetendum censent, quo Romani Pontifices ob altius dominium (comme suzerains) in reges, utpote Sedis Apostolicae tributarios, iurisdictionem omnem explicare, ac iure plenissimo exercere poterant. Alii vero, quod varias sententias, quibus Theologi Romano Pontifici potestatem spiritualem in principes iure divino adscribunt, de quibus infra erit dicendi locus, vel a mediorum saeculorum exordio in vulgus

sparsas ac diffusas iam fuisse existimaverint, veram exinde expositae opinionis germanamque originem se reperiisse fateri non dubitarunt. Alii denique totum ac solum fundamentum ponunt in publico, quod saeculis mediis receptum erat, iure, vi cuius Imperantibus vera fidei professio et cum S. Sede communio, tamquam essentialis ad regnandum conditio praescribebatur, et ad Summum Pontificem de adimpleta hac conditione decernendi iudicium ita spectabat, ut populis reclamantibus, quibusdam in casibus, quibus princeps in Deum vel in populum iniuriose agebat, iudicare illum, ac etiam, ob enorme crimen e throno deponere iure posset, quum tunc iure gentium (ipsis fatentibus heterodoxis) R. P. veluti patrisfamilias in fideles anctoritate pollere censeretur. Si hoc in sententiarum discrimine, fas nobis est aperte dicere quod sentimus, haec postrema opinio, si eo tantum sensu intelligatur, ut ius publicum, de quo agitur, certum quidem ac solidum, non autem unicum et totum fundamentum constituat, veritati magis consentanea videtur. Sequimur itaque eorum iudicium, qui pro hoc iure stant, non eo tamen progredimur, ut contendamus huiusmodi ius, etiamsi quaestio historice consideretur, ex iure divino aut ex praerogativis Romanorum Pontificum exoriri haud potuisse. Quibus quidem sic positis, ac enucleatis, antiquissimum primum huiusce iuris publici monumentum exhibet illud privilegium, quod Gregorius Magnus monasteriis et Xenodochio Augustodunensi, saeculo sexto ad finem vergente, hac ratione concessit: « Si quis regum, iudicum, personarumque saecularium hanc Constitutionis nostram

paginam aggrediens, contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. » Secundum monumentum deducitur ex crebris illis ab antiquissimis inde temporibus excommunicationis latis sententiis, in quibus Romani Pontifices *ab omni ditione Regni, absque ulla spe recuperationis* Principes removerunt, ea quidem ratione, quia id *humanarum legum testabatur auctoritas*. Tertium argumentum consurgit ex ipso Principum facto, qui suis legibus hoc ius Romanis Pontificibus et palam admiserunt et sanctione confirmarunt. Quarto tandem id confirmat populorum omnium consensus, qui saeculis mediis professi sunt, ut verbis utar antiqui scriptoris: « *quodam speciali iure habere se Papam intromittere de destitutione, seu depositione Imperatoris ratione enormis et notorii delicti.* » Quid quaeso est aliud hoc speciale ius, nisi illud publicum, de quo loquimur? Quae cum ita sint, unusquisque facile perspicit iam non pluribus opus esse, ut concludatur ius hoc publicum, sive ex natura et indole guberniorum, quorum tunc pleraque electiva erant, sive ex imperantium voluntate, qui pontificiam potestatem maximi faciebant, sive ex apposita de fide catholica servanda ad regnandum conditione, sive ex miserrimo, in quo tunc Europa versabatur statu, sive ex ipsa, qua Romani Pontifices ubique fulgebant auctoritate, observantia, ac doctrina, sive demum, si placet, ex praeclaris S. Sedis praerogativis et legitime exortum, et pro maiore Ecclesiae ac reipublicae bono stabilitum, et ab omnibus lubenti animo admissum fuisse ac receptum. Post haec admiratio sum-

ma subit animum, quî fieri tandem potuerit, ut recentiores quidam historici, dum de hoc facto publico dubitare nequeunt, simulque fatentur nostris hisce diebus apud nonnullas nationes iure quidem statutum esse, ut fidei certae professio Principi ita essentialiter ad regnandum praescribatur, ut si ab ea defecerit, aliamve amplecti voluerit, illico suprema potestate decidere dicendus sit, adhuc tamen S. Gregorium VII, Alexandrum III, Innocentium III, Innocentium IV, Gregorium IX, Bonifacium VIII, Pium V et Sixtum V, acerrime impetunt, et calumniis iniuriisque exagitant. Vide Gosselin, op. cit., De Maistre, Du Pape, t. 1, c. 9 et 11, Voigt, Histoire de Grégoire VII, Hurter, Histoire d'Innocent III, De Falloux, Histoire de S. Pie V, Tosti, Histoire de Boniface VIII, aliosque.

Iam eo loci pervenimus, quo oportet eamdem quaestionem ex altero capite considerare. Quaeritur itaque, utrum potestas Romanorum Pontificum in temporali dominio Principum iure etiam divino aliqua ratione innitatur? Triplex de hac celeberrima quaestione adest sententia. Alii enim potestatem politicam ita ab ecclesiastica potestate in temporalibus exemptam ac liberam asserunt, ut Romanus Pontifex nec Principi seculari imperare unquam, nec eum, auctoritate clavium, directe, vel indirecte deponere, nec eiusdem subditos ab obedientia, ac fidelitatis vinculo solvere ulla ratione queat. Alii ex adverso plenissimam, eamque directam iure divino potestatem Summo Pontifici in civile Principum regimen competere putant, propterea quod omnis ei potestas a Christo data est, ita ut medii aevi Pontifices, dum reges

deponebant, id potestate a Christo tributa se facere assererent, qua ligatum esset, quidquid ligassent, solutumque quid solvissent. Alii tandem licet duas potestates invicem summas agnoscant, tamen spiritualem in remedium abusuum, qui ex temporali potestate oriri possent, natam esse ita vindicant, ut ob religionis emolumentum iuramento fidelitatis subditi ipsi aliquando, raro quidem, et in quibusdam gravioribus rerum adiunctis absolvi queant, si eius observatio in animarum, vel fidei perniciem vergere censeretur. Qua postrema in sententia explicanda auctores dissentiunt. Quidam enim, ut Bellarminus, Pereira, de Castro, Roncaglia, Bianchi, Mamachi et De Lamennais, op. « La Religion dans ses rapports avec l'ordre politique, » arbitrantur Romanos Pontifices, vi potestatis a Christo ipsis concessae, quam indirectam vocant, vinculum Principes inter ac subditos reapse dissolvere. Alii vero, ut Dupeiron, Fénelon, Gerson, du Puy, de Maistre, Gosselin et Kempenars, contendunt Pontificem solummodo declarare subditos tuta conscientia Principibus obedientiam abnuere posse, vel debere, fidelitatisque iuramentum nullam amplius in casu vim habere. Postremam hanc opinionem sic exponit Cameracensis Episcopus, dissertatione de auctoritate Romani Pontificis, c. 39: « Ecclesia neque destituebat, neque instituebat laicos principes, sed tantum consultantibus gentibus respondebat, quid ratione contractus, vel sacramenti, conscientiam attineret. Haec non iuridica et civilis, sed directiva tantum et ordinativa est potestas. » Et cap. 27: « Haec autem potestas, quam Gersonius directivam et ordinativam nuncupat in

eo tantum consistit, quod Papa, utpote princeps pastorum, utpote praecipuus in maioribus christianae moralis disciplinae causis Ecclesiae director et doctor, de servando fidelitatis sacramento, populum consulentem edocere teneatur. » Hoc sensu, ipso fatente Fenelonio, intelligi potest celebris Bonifacii VIII bulla « UNAM SANCTAM, » sive spectetur ipse contextus, ubi dicitur gladius spiritualis *ab Ecclesia*, et temporalis *pro* Ecclesia exercendus ad nutum et potestatem sacerdotii, sive ipsa conclusio consideretur, qua simpliciter affirmatur, « subesse R. P. omnem creaturam esse de necessitate salutis » quod de ordine spirituali et religioso intelligitur, sive demum prae oculis habeantur verba ipsius Bonifacii in ipso concilio: « dicimus quod in nullo volumus usurpare iurisdictionem regis: non potest regere rex, seu quicunque alius fidelis, qui sit nobis subiectus ratione peccati. » De Marca ait ad rem, l. 4, c. 16, 5: « Bonifacius sibi liberum putavit, quaecunque a regibus peccarentur, non solum quatenus sunt privati homines, sed etiam in regni administratione, decretis suis corripere et constitutionibus a se latis statum publicum Ecclesiae et regni, concilii in eam rem coacti sententia disponere, contumacesque reges excommunicationibus et tandem ipsa regni privatione plectere. » Clemens porro V non revocavit hanc bullam, sed solum declaravit, nullum ex ea regi praeiudicium generari, neque regem, regnum et regnicolas Ecclesiae Romanae amplius subiici, quam antea existebant, adeoque omnia in eodem esse statu, quo erant ante praedictam definitionem. De toto hoc argumento plura dabunt theologi. Ad

propositum nostrum haec indicasse sufficiat. Ulterius enim progredi nec necessarium est, nec utile, eo vel magis quia nonnullis abhinc saeculis nulla fortunate ac felicissime sese obtulit occasio, qua Romani Pontifices impulsi fuerint, ut hoc iure uterentur, nec ut faciant in posterum, licet feliciter ominari. Concludendum itaque cum S. Francisco Salesio, lib. 7, epist. 48: « Praetermisso, gravius scelus admitti non posse, quam ut in parentibus amor erga filios, et in filiis pietas erga parentes extinguatur.... Summus Pontifex hac super re nihil postulat a Regibus ac Principibus, omnes diligit amore praecipuo... Quidquid agit in eorum ditionibus, etiamsi agat de rebus, quae omnino ad religionem pertineant, iis consentientibus agit ac probantibus. Quid igitur opus est elaborare in examinanda civili Pontificis auctoritate, eoque pacto litibus ac dissidiis viam praebere? Quid nobis excogitanda iura adversum eum, quem amore maximo prosequi debemns, ut filii, ac veluti patrem nostrum et Pastorem Ecclesiae venerari? Profecto excruciat animum audire hanc de Pontificis auctoritate disputationem ineptorum sermonum, solatiique causam esse tot hominibus, qui eam explicando haud apti, dilacerant potius quam decidant, et, quod peius est eam dilaniando, catholicorum animis pacem exturbant, eorumque concordiam disiungunt. »

Vide, si placet, praetèr citatos auctores, opus Cardinalis Litta, cui titulus: « Lettres sur le quatre articles dits du Clérgé de France, » Avignon 1828; Litteras Cardinalis Antonelli ad Antistites Hiberniae die 23 Iunii 1791 datas, quae habentur in « l'Ami de la Religion, » t. 8, p. 198, ett. 27, p.

735 ; et Audisio, « Diritto pubblico ecclesiastico della Chiesa, » Roma, 1863, t. 2, p. 2, tit. 25.

§ 34.

De potestate temporali Summi Pontificis.

Romanus Pontifex, praeter plenam divinitus acceptam potestatem regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam, obtinet etiam, more aliorum principum, potestatem temporalem in aliquas provincias, sive ex summorum Imperantium munificentia et liberalitate comparatam, sive ex voluntaria et libera populorum deditione, sive ex diuturna praescriptione et vetusta per tot iam continentia saecula possessione, quam principes a catholica etiam religione alieni comprobarunt, sive tandem ex pactis conventis totius Europae auctoritate sancitis, et confirmatis, aliisque nominibus, quae luculenter demonstrant, *in origine sua iuridica*, eam tam iustam ac legitimam esse, quam quae inter homines optimo iure habentur ac possidentur. *Origo* eius *historica* a seculo octavo, et quidem ab anno 727, modo imperfecto, quoad Romae principatum, ab anno vero 754, secundum magis probatam sententiam, tum perfecte quoad dictum principatum, tum quoad Pentapolim et Exarchatum repetenda videtur, ut eruitur ex Athanasii testimonio, ex pacto convento Papiae habito, ac solemni Pipini donatione, quae etiamnum in archiviis Ecclesiae Romanae asservatur. Vide Theiner « Codex diplomaticus dominii S. S. » Romae 1861; et P. Brunengo in op. « Origini della sovranità temporale, » Romae

1862; et « I primi Papi Re e l'ultimo de' Re Longobardi » Romae 1864.

Verum excedit omnem scribendi modum inhaerens alte cordi meo acerbus dolor, dum mente revolvo, quae vaferrimi homines, omnibus cuiusque generis suffulti auxiliis, atque ideo audaciores facti, non minus occultis insidiis, quam ausu, post hominum memoriam, summe temerario, contra tam antiquum legitimumque principatum, nostra hac aetate adorti sunt ac perpetrarunt, atque etiamnum impudentissime machinantur et exsequi non reformidant. Doleo sane, acerbissimeque lugeo apostolica dominia, paucis exceptis provinciis, quae libere et nemini obnoxius Summus Pontifex quiete, pacateque obtinebat, summoque imperio administrabat, internis excitatis seditionis motibus, civibusque ad sacrilegum periurium dolo sollicitatis, a legitimo paternoque regimine subducta, et suffragio, ut aiunt, populari, pecuniis, minis, terrore, aliisque callidis artibus contra omne ius ac fas a paucis tantum extorto, caeteris sollicite abstinentibus, Sabaudi Regis regno adnexa esse, subque eius imperio redacta.

Dolor vero meus in immensum excrescit, dum video homines, rabidiori usque conatu et vafritia abominabiles facti in studiis suis ac loquentes in hypocrisi mendacium nunc moliri, ut Christi in terris Vicarius, principis Apostolorum successor, Pater amantissimus, universique christiani orbis Pastor vigilantissimus vel ab Urbe exulare, vel captivus in ea, sub ipsius spoliatoris oculis, remanere cogatur. Quanto haec omnia animum meum dolore afficiant, maxime dum video fremere gentes, et Acheronta moveri, ut horrendum

facinus consummetur, nec ullam adesse vim, nullamque nationem, quae validissimo suo patrocinio S. Sedis ditionem tueatur, et subdolam artem, nefariamque violentiam viriliter frangat, nemo est qui, me etiam tacente, non videat, ac persentiat. At cur talia conantur, et quo potissimum spectant civilis Sanctae Sedis principatus osores, quid cupiunt, quid exoptant? Dicam confidenter: potestas temporalis torquetur, non ut una indivisa ac indivulsa Italia, amore patriae ac spiritu libertatis sub imperio Regis Sabaudi, qui proclamatus iam est Rex Italiae, constituatur, verum, ut spiritualis potestas, odio in religionem deprimatur, et si fieri posset unquam, penitus evertatur ac destruatur, ut saepe ipse Pius IX fassus est.

In tanta temporum acerbitate, inter tot, quibus S. Sedes premitur, angustias, in praesentissimo, quo Summus Pontifex versatur discrimine, dum ex qualibet mundi plaga boni omnes et clamant, et orant, et qua voce, qua scriptis, qua largitionibus aliisque miris factis iura S. Sedis docte sapienterque asserunt ac defendunt, officii nostri esse duximus de gravissimo hoc argumento nonnulla satius animadvertere, quam disputare.

1° Itaque temporalis Summi Pontificis dominatus neque in sua integritate, neque in sua existentia a spirituali primatu directe promanat, neque ipsi necessario et essentialtter inhaeret.

Primatus spiritualis et dominium temporale duo sunt, quae licet in Romano Pontifice absque repugnantia et oppositione simul copulentur, intimoque nexu cohaereant, ut iure et facto liquet, inter se tamen substantialiter distinguuntur et

origine, indole, et stabilitate apprime discriminantur, ita ut ille sine isto non solum concipi, verum etiam consistere possit. Ad rem ait Sacy: « Loin de confondre deux choses essentiellement distinctes, la souveraineté temporelle et la souveraineté spirituelle, j'avoue qu'au point de vue de la foi, l'une peut absolument exister sans l'autre, et qu'en ôtant au Pape son diadème, on ne lui ôterait pas les clefs de St-Pierre. » 23 Ian. 1860.

Reapse primatus spiritualis divinitus institutus et Christi promissionibus fultus, usque ad consummationem saeculi, nativa sua divina virtute, sartus, tectus futurus semper erit. Coelum et terra transibunt, verba autem Dei non praeteribunt; obumbrari ipse potest, deficere non potest, ait S. Ambrosius, supra petram fundatus, nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur, ait Hieronymus, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus eius, idest Ecclesiae, eum se fulturum pollicitus est, cuius promissio lex naturae est. Portae inferi adversus eum vim facient, sed numquam praevalebunt, quandoquidem auctoris ipsius omnipotenti virtute continenter sustentatus, nullo unquam tempore convelli potest, et persecutionibus non vincitur, non imminuitur, sed augetur, novisque semper ac splendidioribus exornatur triumphis. Hoc est de spirituali Summi Pontificis primatu Ecclesiae catholicae dogma.

De imperio S. Pontificis civili nemo unus ex catholicis talia asserit, nemo unus dixit institutionis divinae id esse, et ad finem mundi, ex promissione Christi, indubitate permansurum; nemo unus docuit

Pontificis maiestatem a maiestate principis necessario dependere, primatumque spiritualem absque politica, ut aiunt, autonomia, labi, ac funditus interire. Omnes catholici priorum saeculorum historiam probe noscunt, simulque compertum habent singulari prorsus divinae illius omnia regentis et moderantis providentiae consilio « factum esse, ut cum romanum corruit imperium et in plura fuit regna divisum, Rom. Pontifex civilem dominatum, nemini prorsus obnoxium, assequeretur. » Quo sane sapientissime consultum est, « ut in tanta temporalium principum multitudine et varietate, totius Ecclesiae Pastor, nulli unquam principi subiectus, supremam universi dominici gregis pascendi, regendique potestatem, auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam, per universum, qua late patet, orbem, plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in diem propagare, ac variis fidelium indigentiis occurrere, et opportune flagrantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quae pro re ac tempore ad maiorem totius Christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret, » ut ait Pius IX litteris Encycl. 20 iunii 1859. Atque ita etiam dicebat, « ne, ut verbis utar eiusdem Pii IX Apost. litt. 28 maii 1860, catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio, duci quandoque posse in universali procuratione gerenda. » De civili Pontificis imperio haec est catholicorum omnium sententia et doctrina. Non agitur itaque de re absolute et substantialiter ecclesiae inhaerente, sed de re Ecclesiae maxime utili et ferme omnino necessaria; non agitur de fidei do-

gmate, neque tamen de facto prorsus humano, fortuito exorto et terreno solum praesidio conservato, sed de facto a divina providentia manifeste ordinato, dogmati, vi sacrae suae destinationis, ac indolis spiritualis, quam induit, quodammodo innixo, et pene miraculo custodito et corroborato. Unde sequitur ut quo quis spiritu ac conatu civilem Rom. Pontificis principatum tuendum, defendendum ac sustinendum suscipit, eo quoque Ecclesiam ipsam sustineat, defendat, ac tueatur.

2° Ex civili hoc imperio plura in christianam rempublicam commoda semper promanasse, et in hacce rerum, temporum, ac locorum conditione redundare, auctoritate et ratione, perspicuum est.

Auctoritate primum. Namque omnes non solum fere quotquot per orbem dispersi sunt Catholicae Ecclesiae principes in publicum editis monumentis hanc veritatem strenue propugnarunt, ac luculentissime et disertissime comprobarunt, non solum laici auctores S. Sedi in exemplum addicti, ingenio, litteris, omnique doctrinae genere Episcopis concinuere, verum etiam affirmarunt aperte sapientes viri, quibus omnis indubitanter fides adiungi debet, quum eorum testimonio eo maius insit pondus, quo minor assentationis in eos suspicio cadit. Paucos tantum indicabimus. Hi sunt Leibnitz, Montesquieu, Fridericus II, Müller, de Haller, Voigt, Hurter, Hérault, Sismondi, de Linguet, de Portalis, Ugo Foscolo, Napoleon I, Macaulay, Thiers, Gioberti, Galeotti, Bianchi Giovini, Ranalli, Rossi, Casimir Périer, Ferrant, Villemain, de Sacy, Guizot, Cousin, Brougham, Jondsow, Seymour, Normanby, Fitz-Gé-

rald , Derby, Disraeli , et ipse Napoleon III , qui scribebat ad suum legatum Romae 8 febr. 1848: « La souveraineté temporelle du Chef visible de l'Église est intimement liée à la splendeur du catholicisme , ainsi qu'à la liberté et à l'indépendance de l'Italie. »

Ratione veritas confirmatur ; missis caeteris argumentis, quae si omnia persequi vellem, longius quam par est, oratio mea progrederetur , unum tantum, illudque efficax in medium proferam. Ex eo desumitur, quod civilis principatus potentissimo subsidio ac efficacissimo continuo adiumento est , ut Summus Pontifex maiestatem dignitatemque S. Sedis facilius tueatur, ac amplificet, fidei dogmata et religionis negotia alacrius sustineat ac defendat, hominum mores liberius conformet , ac perficiat, ecclesiasticae disciplinae unitatem in tota , qua late patet Ecclesia , adeo necessariam tutius promoveat et conservet, et quod potissimum est , errorum diffusionem et schismatis propagationem efficacius impediat, et securius tandem pro munere suo videat « ne quid christiana respublica detrimenti capiat, et pro re ac tempore Christianae rei providere, summaque uti possit libertate, auctoritateque, quae a Christo Domino accepta nullis unquam neque rerum vicibus obnoxia, neque temporum vel locorum est circumscripta terminis, sed porrecta ad ortum solis ab hesperio cubili, » ut ait Marsella, or. de Pii VII in urbe reditu.

Quid ad haec adeo manifesta , Solisque radiis, ut in proverbio est, exarata , infensissimi huiusce civilis principatus hostes respondent? Cum, ne dicam denegare , sed ne in dubium quidem ea revocare audeant, illud repetere impudenter solent:

humana omnia subsidia superflua et inutilia dicenda, ubi Romano Pontifici in exercitio suae potestatis divina continuo praesto sunt. Actor pro causa Italica, in proscripto opere: « Pro causa Italica ad Episcopos Catholicos, » Florentiae 1861, dum Ecclesiae libertatem auctam, amplificatamque desiderat, veluti ex tripode asserere non veretur, ad eam tuendam, *in medio omnigenarum adversitatum, duraeque militiae ac asperae viae, Dei numen, vitaeque sanctitatem Romano Pontifici sufficere*. Quid, quaeso, actor reponeret, si eum periculosissimo corporis morbo correptum ac prostratum, et maximo recuperandae valetudinis, pro italicae causae bono, aestuantem desiderio, ita alloquerer: Ne cures de advocando medico, sumendaque medicina; media haec humana sunt et inutilia: nulla in humano corpore perfecta sanitas datur; hominis vita in manu Dei est; ad eum preces fundas, in ipso tuam omnem fiduciam ponas, et bonam agas vitam, ut sanitatis gratiam consequaris: *fiducia in Deo* et *vitae sanctitas* omnino sufficit. Sed ad rem propius veniamus. Non is ego sum, qui in omni gravissimo humano negotio, ac praesertim in opere divino simul et humano primas partes superno auxilio non deferam. Non is ego sum, qui intemeratae vitae, quae et ipsa divino praesidio et humana cooperatione constat, magnum pro Ecclesiae libertate tuenda pondus esse adscribendum denegare audeam. Verum dum haec palam, solemniterque profiteor, et ultro libenterque complector, divino auxilio, probaeque vitae, in rebus humanis primas partes deferendas esse, non minori certe firmitate, animique constantia illud affirmo, quod suapte natura manife-

stum est, secundas partes, easque non exiguas humanis praesidiis esse tribuendas, adeoque firme teneo, Romani Pontificis esse, opitulante divina ope, et praeveniente, ac adiuvante Dei gratia, omnes ingenii vires in id intendere, ut humanum illudque efficax a civili potestate sibi divinae Providentiae consilio comparatum praesidium ac propugnaculum, quod in hoc rerum statu pro spiritualibus negotiis utiliter gerendis requiritur, pro virili conservet, et pro suae, totiusque Ecclesiae libertate, acriter tueatur, nulloque modo sibi eripi patiatur ab iis qui omni armorum genere, illud labefactare, et evertere conantur.

Quae cum ita sint, haud multum immorabimur in refutandis argumentis, quibus nonnulli demonstrare connisi sunt tum Christi praeceptis, tum rationi, tum principiis boni civilis regiminis repugnans esse, ut potestas civilis et spiritualis simul in uno eodemque consistat et coniungatur, sin minus moraliter impossibile, ut qui dogmati catholico obstrictam habet conscientiam, principia boni regiminis acceptare, ac sequi, terrenique principis munus utiliter explere possit.

Namque quantopere isti homines hallucinentur et a veritate aberrent, ex eo potissimum fit manifestum, quod neque utriusque iurisdictionis natura quidquam contineat, quo altera ab altera seiungenda sit, neque exemplis ex veteri Testamento, ac profana historia petitis quidquam opponi iure possit, neque sacrarum litterarum testimonia per eos obtrusa utriusque iurisdictionis coniunctionem ullo modo prohibeant, neque tandem catholicum dogma, quo obstringitur et immobilia, quibus ligatur, principia ullo modo impediant, quominus

paternum animum gerens, Summus Pontifex aures praebeat illorum etiam expostulationibus, qui liberiorem administrationem exoptare significant, principisque officium pro maximo subditorum bono adimpleat: praesertim quod tum ratione comprobatur religionem catholicam tutissimum firmissimumque exstare boni prosperique civilis regiminis vadimonium ac palladium, tum experientia constat, iam inde a Costantini Magni temporibus principes omnes a Romanis Pontificibus regendi artem didicisse, saluberrimasque iustitiae administrandae et populi moderandi leges fuisse mutuatos.

Silentio pariter praeterimus commenta de innumeris abusibus, de pessima ditionis pontificiae administratione, de clericali tyrannide, aliisque calumniis, quae per mendacia, ad corrumpendam publicam opinionem, et subditorum infringendam fidelitatem, in vulgus sparsa sunt ac diffusa, quaeque millies refutata ac protrita, millies a perversis hominibus, iis praesertim qui nefandis conventuum secretorum indaginibus illaqueati sunt, repetuntur, secundum illud Calvini, ac Voltairii « Calumniare, calumniare audacter, semper aliquid haeret. » Vide meum opus, editum Hagae Comitis et Lutetiae Parisiorum, an. 1862 : « Le gouvernement pontifical jugé par l'histoire, le bon sens et le droit. »

3° Temporale Sanctae Sedis dominium, quod a 12 saeculis pro libera rei sacrae in toto orbe procuratione exercenda, et pro maximo christianae reipublicae emolumento et commodo, Rom. Pontifex legitime possidet, nullo sub praetextu, neque mentito etiam suffragii generalis ac plebisciti titulo, impeti, invadi, usurpari, dividi, et ad saecularia revocari, absque iniustitia et sacrilegio potest.

Agitur enim de re Deo et Ecclesiae dicata, qua potiori iure Christi vicarius gaudet, quam quisque demum se terrena possidere persuasum habet; agitur de imprescriptibilibus iuribus non ad alicuius regalis familiae successionem, sed ad omnes catholicos spectantibus, quae integra inviolataque communis Pater et Rector asserere, servare, tueri, ac vindicare tenetur; agitur de haereditate, cuius tantum administratio, seu dominium utile, ut aiunt, ad Romanum Pontificem, proprietas autem at dominium directum ad Ecclesiam et ad fideles spectat; agitur demum non tantum de negotio TERRITORIALI ET TEMPORALI, ut nostri politici praetendunt, quod mutationi et transfigurationi obnoxium esse possit, sed potissimum de negotio religioso, hoc est de ecclesiae libertate, de immutabili ipsa Dei lege et morum doctrina, cuius incolumitati et observantiae, summa vigilantia prospicere, ex muneris sui officio, et solemni iuramento, Ecclesiae Pastor obstringitur.

Non est igitur, cur hic oleum et operam perdamus in discutiendis ac definiendis quibusdam iuris naturalis ac gentium controversiis, ex. gr. de societatis ac principatus civilis origine historica et logica, de populi suffragationum vi, de iuribus gentium ad libertatem asservandam, unitatemque recuperandam, de valore facti socialis expleti ac consummati, aliisque huiusmodi, de quibus non omnes unam eamdemque doctrinam profitentur. Nam universa, qua late patet, quaestio ab hisce quaestionibus non dependet; sed tota, ac sola ad enunciata raptim capita, tanquam ad inferendi deducendique principia revocatur, ex quibus, quin pluribus opus sit, compertum, ex-

ploratum, certissimumque apparet direptores bonorum ac iurium Sanctae Sedis crimen furti, rapinae, ac sacrilegii perpetrare.

Accedit Ecclesiae iudicium. Nam constitutiones Apostolicae, Concilia, sacri canones, et SS. PP. nefarios in sacrum principatum rebellium ausus semper reprobarunt ac detestati sunt, omnesque eorum actus quovis modo factos et appellatos, tanquam omnino irritos, illegitimos et sacrilegos habuerunt; quod iudicium maximi sane ponderis est. Etenim Ecclesiae regula credendi et agendi concredita a Christo est; adsunt inde canones fidei, et canones morum; et quemadmodum illi regulam eorum statuunt, quae firmiter in rebus fidei tenenda sunt, ita isti ea spectant, quae in humanis actibus propter se honesta sunt vel turpia, adeoque vel agenda, vel omittenda. Cum itaque Ecclesia in definiendis fidei canonibus, aeque ac in tradendis canonibus morum errare minime possit, prono alveo fluit fidei, ac morum canones (quandoquidem quidquid definiunt, verum, quidquid iubent, bonum, quidquid reiiciunt ac reprobant, falsum, et quidquid tandem prohibent, malum ac turpe per se sit) perpetuo firmos, stabilesque manere, eisque ab omnibus omnium ordinum et omnium temporum, aetatum et locorum hominibus aut assentiendum, aut parendum esse.

Rebus autem sic se habentibus, unde, sciscitor, fit, ut non pauci etiam ex clero homines, dum, praeeunte Kar. Passaglia, ultro profitentur se ex animo complecti quae Ecclesia, et Romanus Pontifex de rebus ad *immortale* fidei *depositum* spectantibus decernit, perfracte tamen et obstinato animo Ecclesiae, ac Romano Pontifici refragentur,

dum de rebus ad mores pertinentibus sententiam profert, nonnullosque actus, ut impios, iniustos, sacrilegosque prohibet, ac defendit? Pervulgatum hodie inter ipsos principium et axioma est: « In iis omnibus, quae ad doctrinam et fidem spectant ultro Rom. Pontificis iudicium reveremur, eique plenam animi assensionem, christianamque fidem adiungimus. » Hoc axiomate indubitato, ut aiunt, certissimoque assumpto, sequelas inde derivant, queis potestatem Summi Pontificis, in morum canonibus, penitus enervare allaborant. Cum enim ex una parte in fidei dogmatibus, Rom. Pontificis sententiam libenter admittant et fateantur, cum insuper ex altera parte parum, aut nihil concedant ab eodem statui ac praescribi posse de *humanis, terrenis, mutabilibusque rebus*, utpote quae *ad principes spectant*, et pro varietate circumstantiarum variae esse possunt, consequitur profecto Ecclesiae et Rom. Pontificis in rebus fidei auctoritatem ab ipsis admitti, in canonibus morum omnino denegari. Iam vero, si catholicae communioni adhaerere ii sincere profitentur, si vere catholici esse volunt, omnino debent iudicio summi Pontificis in morum materia non modo obsequentes sese praebere, verum etiam interno mentis assensu audientes esse et integre se subiicere.

Quid volunt ergo, quid intendunt, dum plura de Ecclesiae unitate fuse disserunt? Satis ne bona fide principium ponitur verbis indeterminatis, ac aequivocis: « Primatus est propter unitatem, primatus divinitus institutus est, ut universalis Ecclesiae unitas in primate monstraretur, perque primatum eiusque authenticum ministerium conficeretur? Quaeso ex ipsis, quam unitatem

intelligunt, FIDEI tantum, an duplicem illam, quae a Christo in sua Ecclesia instituta est, tam FIDEI, quam et OBEDIENTIAE unitatem?

Si primum illud tacite intendant, eo ipso manifestus iam eorum error et fallacia est. Si alterum admittant principium, quod verum et firmum est: « PRIMATUS A CHRISTO INSTITUTUS EST, UT UNA IN FIDE ET OBEDIENTIA CHRISTIANORUM SIT ECCLESIA, » conclusio statim descendit: ERGO CUM PAPA IMPERAT, CUM DE REBUS FIDEI ET MORUM DECERNIT, NECESSARIO OBEDIENDUM EST. Ipsa enim obedientia ad unitatem a Christo institutam necessaria est: hinc omnes suas fideles oves Petro subditas esse voluit non solum dum dogma fidei proponitur, sed etiam dum aliquid, tanquam turpe et iniustum prohibetur. Ubi itaque Summus Pontifex nefarios rebellium ausus detestatur, omnesque eorum actus contra civilem Ecclesiae principatum, quovis modo, factos, illegitimos et sacrilegos habet, omnes idem asserere ac profiteri tenentur, adeoque inobedientes sunt, qui eos iniustos esse vel denegare, vel saltem in dubium revocare se iure posse putant.

Hisce sic enucleate disputatis, iam pluribus opus non est, ut quisque sanae mentis homo statim videat, planeque intelligat, quid de iis sentiendum sit, quae a citato auctore proferuntur: « Pontificiae declarationes, etiam crebro repetitae, solemniterque vulgatae naturam praeferunt mutabilem, adiunctaque rerum exigere possunt, ut non modo sine vitio, sed non sine laude mutentur. » Agitur namque de pontificiis declarationibus morum canones complectentibus, agitur de bonis, ac iuribus S. Sedis, quae ad finem

spiritualem, eumque praestantissimum ordinata sunt, ex quibus tria necessaria consequutione deducuntur: primum est, eorum usurpatores proxime quidem et immediate terrena, materialia, ac mutabilia invadere, mediate vero, principaliter et ultimatim finem ipsum spiritualem ac immutabilem impetere ac impedire. Secundum est, actum perpetrari in se et natura sua impium, iniustum ac sacrilegum, qui nullo rerum adiunctorumque discrimine, ex praescripto virtutis, et ad prudentiae amussim, vel laude cohonestari, vel saltem sine vitio ac crimine permitti possit ac debeat. Tertium est, fallere, ac falli vehementer, qui asserere audet huiusce actus impietatem ac iniustitiam « vel negari sine errore posse, vel in disputationem non sine probabili veritatis specie revocari, » quum eius iniustitia ac impietas non modo probabilis, sed certa, non modo anceps, sed prorsus indubitata sit, ex ipsa Ecclesiae declaratione, quam omnes revereri tenentur.

4° Scelestis hominibus, qui S. Sedis iurisdictionem, bona, ac iura, opera, consilio, assensu, et alia quacunque ratione, aut quaesito colore adoriri, impetere, perturbare, ac diripere audent, Rom. Pontifex censuras et poenas ecclesiasticas merito infligit.

Hanc veritatem tum facto, tum iure probamus, eo vel magis, quod alterum ab altero illustratur. Facto quidem: nam 1° exempla non desunt vel priorum Ecclesiae saeculorum, quibus constat atrociorum criminum reos censuris fuisse obnoxios. Apostolus Paulus non solum eos excommunicatione perculit, qui circa fidem *naufragaverunt*, Tim. 1, 19-20, verum etiam avaros, rapa-

ces, ac criminosos; Cor. V, 6, 10, 11. A S. Ambrosio, Imperator Theodosius M. caedes minitans, anathemate constrictus fuit. S. Gregorius Episcopus Neocaes. ep. 2, poenis spiritualibus voluit eos obnoxios, qui bona a fratribus captivis relicta rapere ausi fuerant. S. Basilius ep. 3, c. 66, sacrilegos sepulcrorum effractores censuris percellendos censuit, et ep. 286 furtum in Ecclesia patratum sibi reservavit, ut per tremenda Dei iudicia peccator emendaretur. Relinquo posteriorum temporum exempla.

2° Concilia Oecumenica in usurpatores iurium ac bonorum Ecclesiae spirituales poenas irrogarunt. Duo citabimus, Concilium Lugdunense, an. 1215, sub Innocentio IV, habita matura ac diligenti deliberatione, Imperatorem Fridericum II, possessiones Ecclesiae Romanae occupantem ac detinentem, excommunicavit. Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 11, usurpatores bonorum ac iurium Ecclesiae anathemati subiecit.

3° Tandem Romani Pontifices nullo non tempore declararunt in excommunicationem maiorem, aliasque ecclesiasticas poenas et censuras misere incidisse eos omnes, qui loca, terras, civitates, vel iura ad Rom. Ecclesiam pertinentia, per se, vel per alios directe aut indirecte, sub quocunque titulo in totum vel in partem, occupare, invadere, destruere ac detinere ausi fuerint, supremamque potestatem et iurisdictionem in iis Sanctae Sedi competentem, usurpare de facto, et opera aut consilio, assensu, favore quomodolibet, perturbare, retinere, vexare praesumpserint. Paul. II, constit. *etsi Domini* Ben. XIV, Const. Pastoralis, Clem. XIII in Bulla *in Coena Domini :* « Item

excommunicamus et anathematizamus omnes illos qui, per se, seu alios, directe, vel indirecte, vel quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare ac detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem.... Patrimonium Beati Petri... Marchiae Anconitanae.... terras et loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis Nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis praesument; nec non adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes; volentes praesentes nostros processus, et omnia et quaecunque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a Nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, servari, suosque effectus omnino sortiri. »

Mirum itaque nemini videri debet, quod Pius VII litt. « *quam memoranda* » 11 Iunii 1809, et Pius IX, alloc. 20 Iunii et 26 Sept. 1859, nec non litt. Apost. 26 Martii 1860, illustribus Praedecessorum suorum vestigiis inhaerentes, solemniter declararunt « eos omnes qui nefariam in pontificia ditione rebellionem eiusque usurpationem occupationem, invasionem perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes vel alios quoscunque praedictarum rerum exsequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exsequentes, maiorem excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas incurrisse. »

Sed iam eo loci devenimus, quo oportet iure rem confirmare. Ac 1° Ecclesiae competit non solum potestas directrix, quae internum conscientiae forum respicit, sed etiam potestas coactrix, quae ad externum protenditur, et devios ac contumaces legibus suis exteriore iudicio, et salubribus poenis, atque censuris coërcet ac cogit. 2° Benefico Patris sui affectu dignus amplius non est, qui eum privare vult proprio subsidio, sine quo nec cum dignitate, nec cum optato fructu operari potest. 3° Demum, quum aliena iura in re gravi invadere magnum sit scelus, quum maius adhuc, si bona Deo sacra usurpentur, quumque maximum, si haec illi adimantur, qui in gloriam fidei ac religionis utilitatem ipsis ex officio uti debet, et reapse utitur, manifesto liquet Summum Pontificem, armis suis propriis, nempe censuris audaces usurpatores bonorum, ac iurium suorum temporalium percellere posse, ac debere, ad eorum punitionem, ac correctionem, ut spiritus salvus sit in die iudicii, ad exemplum fidelium, ut in officio contineantur, et pro Ecclesiae bono, ut finis, qui per iniustum usurpatorem praepediri praesumitur, hoc medio facilius assequatur. Conf. opus P. Valentini Steccanella, « Il valore e la violazione della dichiarazione pontificia sopra il dominio temporale della S. Sede, » Roma, 1864.

Quibus sic positis, neminem fore putamus, qui non videat, quam absona, absurda, erronea, ipsique Ecclesiae iniuriosa sint, quae idem actor pro causa Italica in opere « Della scomunica » hisce censuris infensissimus effutire non erubuit. Habita ratione iuris Ecclesiae, quale viguit ab initio, et indolis, quae peculiaris est excommunicationi,

haec non debet nec potest infligi, nisi in REBUS MERE SPIRITUALIBUS, » et inferius « excommunicatio EST BUCULUS MERE SPIRITUALIS, quem non oportet sua propria dignitate privatum, suoque gradu sublimiori deiectum adhibere in ordine inferiori, temporali, ac profano, » addens « aequitatem naturalem et caritatem christianam exigere, ut non propter bona temporalia, quae sunt inferioris ordinis, homo aliquis privetur bonis spiritualibus, quae sunt ordinis altioris. »

Hae assertiones, post ea quae dicta sunt, speciali refutatione non indigent, et mole sua corruunt, eo vel magis, quod satis aperte statuere videntur, Summum Pontificem suae iurisdictionis, maximo abusu, limites praetergredi, quoties ad res temporales et exteriores eam extendit, quod si non haereticum, certe audax, temerarium, captiosum, S. Sedi iniuriosum, et erroneum. Vide Bullam dogmaticam « Auctorem Fidei. »

Nolo hic caetera persequi, quae cit. op. auctor specioso, ut ipsi moris est, eruditionis non semper puro, nec ad unguem adducto apparatu, in medium profert, ut probet, censurarum usum antiquis ignotum temporibus, *contra multitudinem potentemque principem*, haud licitum esse, ubi gravia mala, ipsumque omnium gravissimum, schisma inde pertimescenda sint; ex quo maxima temeritate concludit « esse irritas habendas, et quasi ipso iure revocatas, etiam non petita absolutione, eas censuras, quae vergunt in damnum publicum, sive *contra multitudinem*, sive contra Principem ferantur, qui populum ad schisma induceret. » Quis enim illico non videt, eo haec tendere, ut Ecclesiasticae disciplinae nervus eli-

datur, ac prorsus disrumpatur, hominum animi criminibus, ac vitiis detineantur, ac confirmentur, humanae societatis, civilisque reipublicae dignitas ac conditio imminuatur atque vilescat, ipsaque Ecclesiae auctoritas arceatur, ac penitus propulsetur? Quis sano pollens iudicio non facile intelligit, haec eo spectare, ut externus Ecclesiae ordo sus deque vertatur ac turbetur, ipsaque spiritualis potestas ad nihilum ferme reducatur? Silentio pariter praetereo, quae Summo Pontifici, de inflictis censuris auctor exprobrare non veretur, quandoquidem ea adeo observantiam Supremo Pastori debitam laedunt, adeo Presbytero Catholico indigna sunt, ut, nisi ab iis referendis temperem, eius impudentiae participare aliqua ratione videar. Caeterum nullum adinveniri posse reor, qui falsis hisce doctrinis, ac inverecundo huic sermoni animum advertat, aut deceptus ac seductus misere adhaereat.

5° Summus Pontifex, neque subditorum clamoribus, neque perturbationibus internis, neque specioso sedandorum civilium in Italia motuum obtentu, nec inexorabili, ut aiunt, facti expleti, ac consummati pondere, neque aliis similibus rationum momentis, ad liberam et spontaneam vel restrictae sui principatus partis abdicationem, et deditionem adduci potest.

Constans est hac super re Summorum Pontificum et S. Sedis praxis, ac sententia. Non moror in memoriam revocare exempla Eugenii III et Gregorii VII, qui urgentibus pontentissimis adversariis, et quaeque mala minitantibus, immota animi constantia, et excelso robore invictum illud: « Non possumus » reposuerunt. Quis Apostolicam

libertatem non admiretur, non maximopere suspiciat, ac revereatur, qua Romani Pontifices bonorum Ecclesiae raptoribus, vel cum S. Ioannes Baptista ad Herodem « NON LICET » inclamarunt, vel cum S. Ambrosio ad templi invasorem Valentinianum, dixerunt: « nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, imperator, expedit? » Quis ignorat, ut de caeteris taceamus, gravissima verba, quibus Pius VI, Pius VII et Pius IX usi sunt, quando ditionis pontificiae abdicatio ab ipsis enixe exposcebatur? Pius VI, post ea quae 2 Nov. 1791 suo nomine dicta sunt, haec proferebat: « Religione ac bona fide impedior, quominus conditiones acceptem integritati meae ditionis adversas. » Pius VII suasionibus ac minis respondebat: « absit ut tradam Patrum meorum haereditatem, quam coram Deo et Ecclesia obstringor intactam ad meos successores transmittere, » et potius quam impiis nefariisque ausibus fortiter resistere cessaret, exilium, carceres, et paupertatem summa constantia passus est. Tandem Pius IX, litteris ad Imperatorem Gallorum die 19 Ian. 1861, datis, apostolica animi libertate clare aperteque declarat, nullo plane modo posse eius consilio, ut nonnullorum provinciarum possessioni renuntiet, morem gerere, et annuere, propterea quod insuperabiles praeseferat difficultates, ratione habita sui characteris, S. Sedis dignitatis, eiusque iurium, quae ad omnes Catholicos pertinent, quae propterea ab ipso cedi haud poterant, simul manifestans non posse se provincias illas abdicare, quin solemnia, quibus obstringitur, iuramenta violet, Catholicis omnibus iniuriam inferat, et principio illi ethnicorum fatalismo haud absimili, et

regum palatiis non secus ac pauperum tuguriis aequalem ruinam minitanti robur iuris, ac legis sanctionem misere tribuat. Quae quidem argumenta adeo perspecta, adeo aperta sunt, ut quemvis passionum tenebris non obcaecatum in assensum rapiant, ipsosque S. Sedis osores rubore suffundant, qui maxima impudentia affirmare non erubescunt Romano Pontifici non ius solum ac potestatem inesse, verum etiam onus incumbere, ut cedens tempori, factumque expletum recognoscens, omnibus suis ditionibus abdicatis, vel in Urbe cum exiguo terrae tractu civilem potestatem, nomine tenus, exerceat, vel ad solam Romam, et consultius ad eius partem, quae urbs Leonina audit, restrictus, et hortis Vaticanis occlusus, annuisque reditibus abs catholicis principibus ditatus, patriarchalis cuiusdam Archontis vices sustineat, ex colle Vaticano Ecclesiae universae praesidens, dum ex Capitolii immobili saxo, Italiae Rex devotam sibi gentem moderatur. Quo quidem figmento nihil iniquius, nihil perfidius, absurdius nihil fingi, aut excogitari potest, quandoquidem, caeteris omissis, Summus Pontifex ad eum statum redigeretur, quo et totius orbis derisui esset, et tanquam simulacrum semivivum, ligatis manibus et pedibus in Vaticano reclusus eidem simulationi subiiceretur, quam ille, cuius vices gerit in terris, subiit, dum purpura indutus illudebatur: « Ave Rex Iudaeorum » et alapam dabant.

Quum haec ita se habeant, reliquum est, ut videamus, quis sensus, quantaque vis, ac potestas tribui debeat, tum conventioni in civitate Tolentini, die 19 Feb. an. 1797, initae, quam Pius VI

ratam habuit; tum capitibus, seu articulis, quae ab Imperatore Gallorum proposita, die 25 Ian. an. 1813, Pius VII, in arce Fontisblandi excipienda censuit, quae duo in medium afferuntur, ut probetur fas aliquando esse Pontifici quarumdam S. Sedis provinciarum possessioni renuntiare. Exordiar a conventione, et ut verus eius valor, ac sensus perspicuus appareat, sat mihi erit quaedam facta in memoriam revocare.

Magnus dux Bonaparte, ubi primum ipsi suspicio incidit, Sanctam Sedem cum Gallici Gubernii hostibus foedus inivisse, nihil habuit prius ac potius quam ut, induciarum fide extemplo violata, in ditionem Pontificiam cum ingenti exercitu irrumperet, bellum Pontifici indiceret, eiusque copias profligaret.

In hisce rerum angustiis Pius VI, fervente adduc bello, omnibus industriae nervis in id insudavit, ut sua iura sarta tecta servaret. Quum vero prope perspiceret nullam amplius sibi superesse spem deperditas recuperandi Aemiliae provincias, quin imo valde timendum, ne caetera dominia, et Urbs ipsa, si vim vi repellere tentaret, e paterno suo regimine, maximo religionis detrimento, subducerentur, ad incitas, ut ita dicam, redactus, hostis potentissimi voluntatem sequi coactus fuit. Is autem non aequam conventionem ipsi obtulit, quam acceptare haud aegre posset, sed duram et onerosam imposuit, quam ut minus malum, quod alioquin avertere nequibat, ad maiora praecavenda, invitus quidem et reluctans, salvo tamen principio, Pontifex subire passus est. Verissime itaque ait Card. Rauscher, litt. 9 Ian. 1860: « In pacto Tolentini inito de iure nequaquam ageba-

tur ; vis est illata per summam iniuriam. Potentiori concedere necessum erat, non aliter quam igneo conceditur torrenti, qui ex ignivomo monte prorumpens per campos late diffunditur olearum sylvas misere exurens. » « Le traité de Tolentino, » subdit comes de Montalembert, « Pie IX et Lord Palmerston, » « c'était le fait de la révolution victorieuse, c'était la fortune de la guerre, le droit de la force, la vieille pratique des conquérants. Le Pape s'était armé pour sa propre défense, il succomba et fut contraint, après un échec reçu dans une guerre très-injuste, mais d'état à état, de céder une partie du territoire. » Haec cessio, observat Marchio Solaro de la Margherita, « Réponse à la brochure : le Pape et le Congrès, arrachée par la force, était de celles qui n'annullent en rien les droits de la victime et n'en confèrent aucun à l'oppresseur. » Post haec facta, nil attinet de hac conventione plura dicere, nec ad eam vindicandam necessarium est ad eorum doctorum sententiam recursum facere, qui affirmare non dubitant, Pium VI quarundam S. Sedis provinciarum possessioni abdicare iure merito potuisse, propterea quod persuasum habebat, in eo se versari discrimine, ut, nisi id consilii caperet, tum gravia, quibus Ecclesia tunc premebatur, mala, tum graviora adhuc quae in posterum obventura essent, aliter evitari nequirent, quibus rerum adiunctis, ubi simul existant, Romanus Pontifex, secundum eosdem doctores, non vetatur, quominus ad praecavenda innumera Ecclesiae incommoda, deperditas provincias libere dimittat, praesertim si nulla amplius eas recuperandi spes supersit.

Novi non deesse cordatos homines, quorum

animis, missa hac sententia, et solum attentis circumstantiis, et citata conventione inspecta, opinio insidet Pium IX, ad praesentia et maiora in posterum mala devitanda, praedecessoris sui Pii VI, exemplum tuto ac secure sequi potuisse, et etiamnum posse. Ast quantopere decipiantur, Card. Antonelli, qui Summi Pontificis a publicis negotiis est, litteris ad Nuntium Lutetiae Parisiorum die 29 Feb. 1860 datis, paucis invicte patefacit, luculenterque demonstrat. Pius VI, ait, quum frustra ab armis potentioris hostis se defendere conatus esset, cedere profecto vi potuit iniustae atque indomitae, et ne omne armis sibi eripi videret imperium, partem paciscendo victori concedere. Verum qui, quam longe alia sint, ex quibus nunc versamur rerum, hominumque temporibus, perspexerit, facili sane negotio intelliget, causam quae Pium VI ad Napoleoni militi quidquam concedendum movere potuit, eandem impellere prorsus Summum Pontificem nostrum debere ad fortiter, atque immote perneganda, quae ab ipso poscuntur. Quum enim multa alia sunt, tum hoc praecipuum ingens discrimen est, Pio VI insuperabilem vim factam, eumque ad concedendum iniusto, ac longius etiam protrahendo bello coactum prorsus esse, cum Pio autem IX de iure contendi et regula, quam constitutam adversarii velint. Inter quas res, ut probe distinguatur, omnino necesse est: nam quae mera vi, et per iniuriam efficiuntur singularia ea sunt, propriisque, natura sua, finibus circumscripta, ultra quas nihil possunt, nec valent: iuris autem ac regularum dispar ratio est; communia haec sunt multis, adeoque quae ex iis consequuntur, ubi usu

explicantur, ut regularum ratio, ac natura postulant, innumera fere sunt, nec summa hominum prudentia prospici satis possunt. Atque ex his colligitur Pium VI, dum iniustae vi concedere instituit, sperare merito potuisse reliquam imperii partem, hac ratione, se servaturum, quum is qui nunc Ecclesiae praeest, Pontifex Maximus, ad regulam, quam volunt, si quando se dirigat, idem facere videatur, quam sponte omnis imperii a se et a romanis Pontificibus abdicare principatum, et nequissimam, atque iniustissimam expoliationem sua confirmare auctoritate. Haud igitur obscurum videtur, rem quae, ut exemplum ex ea sumatur, proposita est, contrarium fortius suadere atque efficere, quam id quod voluit is, qui rem proposuit. »

Gradum nunc facientes ad articulos, quos Pius VII excipiendos putavit, satis profecto est ad rem, de qua agitur, plane conficiendam, si ipsius Imperatoris Gallorum declarationem referamus. Ipse namque, datis eadem die ad Pontificem litteris, solemniter et explicate fassus est, in articulis sermonem tantum esse de rebus spiritualibus, nihilque adinveniri, quod vel implicitam dominii temporalis abdicationem sive directe, sive indirecte importet. Verum rem gratam lectori nos facturos esse putamus, si ad rem omnem in vero lumine collocandam notam referamus, quam de hoc argumento Cardinalis Soglia an. 1814 exaravit, ipsique Pio VII, antequam typis committeret, primum legendam corrigendamque obtulit, et deinde, ex Pontificis mandato, perpuratorum virorum de Pietro et Antonelli, accurato examini subiecit, qui utpote facta bene noscentes, et veritati consonam

et historiae conformem esse iudicarunt. En nota:. « Nonnulli Pontifici renuntiare coeperunt malorum congeriem et schismata, quibus Ecclesia vexata, dilaniata erat; ea certe mente, ut eum moverent atque impellerent ad conventum aliquod cum Gallorum Imperatore sanciendum; neque enim aliter, ut ipsi quidem dictitabant, tum praesentia, tum maiora etiam in posterum obventura mala poterant devitari. Pontifex tamen eorum dictis et suasionibus nequaquam cessit, neque suspexit unquam quidquam adversi sibi posset impendere. Ad praecavenda nihilominus tot tantaque intentata Ecclesiae mala, mense Ianuarii 1813, nonnulla sibi oblata capita, vulgo articulos, excipienda censuit, tanquam prooemia conventus postea faciundi. Quo facto, Gallorum Imperator falsa statim renuntiavit Senatui, conventum inter ipsum et Pontificem omnino absolutum, atque adeo controversias omnes esse expeditas, et simul idipsum tintinnabulorum sonitu Galliae Italiae universae iussit significari. Qua quidem super re liceat quaeso breviter animadvertere :

1° Illud nequaquam fuisse conventum, sed tantummodo aliquorum capitum summam, quae ad ECCLESIASTICAS RES PERTINEBANT, quaeque ad temporum rationem praesens aliquod ac temporaneum pro ECCLESIASTICO BONO remedium postulare videbantur.

2° Caeteris de controversiis ecclesiasticis, DEQUE SANCTAE SEDIS DITIONE IAM EXARATAS FUISSE EXPLANATIONES, quae tamen celatae, dum capita illa vulgata.

3° Haec ipsa capita non iam uti generalia et irrevocabilia, sed ea conditione a Pontifice fuisse

accepta, ut silentio premerentur, donec examini et accurate PP. Cardinalium considerationi subiecta probarentur, atque in Ecclesiae bonum sanciri postea conventum omnibus super controversiis recte posset.

4° Denique Gallorum Imperatorem cum commemorata capita non evulgari modo, verum etiam, utpote generale, ratumque iam conventum enuntiavit, dupliciter defuisse promissis.

1° Quidem quod ea protulit, quae latere debebant, usque dum a PP. CC. Collegio discussa essent, ac probata; 2° vero, quod tamquam conventum fixum omnino et ratum ea capita esse edixit, quae viam solummodo ad illud sternere debebant, et idcirco non ex apposita minus conditione, quam ex usitatis et necessariis canonicis formulis, tum denique conventum perficiendum, ac sanciendum, ubi eadem ipsa capita excussa iam, et suo momento fuissent probata. Qua de re, vel facile quisque intelligit, tum ex ipsius conditionis natura, tum ex pacti violatione, Pontificem omni iure nuntiare potuisse ea capita, tamquam infecta et irrita habenda, quae, suapte etiam natura, in irritum cesserant. »

Quibus sic expositis et animadversis, una adhuc quaestio, eaque non dogmatica, sed rationalis et hypothetica, discutienda remanet. Quaeritur, an inspecto continuo ac singulari societatis humanae progressu, eventuum cursu, violentis immutationibus ac commotionibus, quas Europae constitutio ad integram usque eius transfigurationem subire videtur, nec non attento principio, de quo tantopere nostri aevi reformatores gloriantur, de Ecclesia libera in statu libero, coniici ac praedici

absque temeritate possit, tempus adventurum, quo, pro bono generali omnisque dissidii componendi causa, Rom. Pontifex politica exuatur potestate, et in iis quae ad humanam civilem vitam pertinent, communi subditorum albo inscribatur, quin inde plena illa ac perfecta ad Ecclesiam regendam, eiusque unitatem tuendam, libertas ac independentia, quae ad supremum Apostolici ministerii munus obeundum requiritur, periclitetur, ac detrimentum patiatur? seu quaeritur, an futurum aliquando sit, ut destitutus civili dominio, Rom. Pontifex aliis humanis mediis ac praesidiis, quin miraculis ac mediis extraordinariis opus sit, facilius ac efficacius, sin minus aeque facile ac efficaciter, ac hucusque peregit, et minoribus, vel saltem non maioribus impedimentis praepeditus spiritualem potestatem exercere libere possit? Omnes quotquot sunt S. Sedis ac religionis hostes affirmativam sequuntur sententiam, quin imo, maxima vafritia, hypocrisi et astutia, ad sedandos catholicorum animos sub pietatis specie, omni argumentorum genere probare conituntur, iam hisce quibus vivimus temporibus, spiritualem primatum non solum omni ex parte in tuto positum esse, si summus Pontifex temporali privetur dominio, verum etiam maximum exinde emolumentum capessere. Quae quidem ea consilii pravitate huiusmodi homines effutiunt, ut humiliato capite, ipsum Ecclesiae corpus facilius dilacerent. Affirmativam pariter sententiam sequuntur plures illi e clero (utrum vero, an simulato in S. Sedem studio, utrum ex bona fide, aut ex malitia, Deus scit), qui, duce Karolo Passaglia, superioribus annis petitioni ad Pium IX, cum eoque cohae-

rentes catholicos antistites, ultro libenterque subscripserunt. Dum ipsi Pontificem Maximum « summis infimisque precibus obtestantur, ne pro sua aequitate ac clementia diutius velit fatale dissidium alere, ac flagrantissimis Italiae votis adversari, » aperte fateri non erubescunt « eum non caecutientem, sed se prorsus caecum esse comprobare, si audet inficiari talem, tantamque rerum publicarum privatarumque conversionem contigisse, ut iam neque iuste neque utiliter aut Roma ab Italia dividi possit, aut is, qui summo pontificatu fungitur, idem possit, absque magno in Ecclesia et societate damno, politico urbis principatu potiri ; » praesertim, quod aiunt, « iura populorum, gentisque efflagitant, ut coniunctio Sedis Apostolicae cum regis politici throno, quam obfirmato animo oderunt, constantique voluntate repudiant, quantocius divellatur. » Non desunt, qui in Ecclesiam haud male animati, patriae amore ac *italicae*, ut aiunt, *nationalitatis idolo* capti idem sentiunt, et bona fide sperant, futurum ut in hac rerum publicarum conversione, maius praestantiusque Ecclesiae Christi ac religioni bonum promanet, ubi Rom. Pontifex, secularis principatus involucro solutus, spiritualibus Ecclesiae negotiis regendis totus integre se dedat, ac devoveat. Plerique vero auctores catholici et plures protestantes negativam tuentur sententiam, et nonnulli eo etiam progrediuntur, ut statuant civilis potestatis cum spirituali consortium, divina Providentia iam pridem stabilitum, vitalem primatus partem ita constituere, ut, spectatis perenni societatis indole, et immotis quibusdam locorum, temporum, ac circumstantiarum ad-

iunctis, in aevum divino suffultum praesidio duraturum.

Multa quidem pro suo quisque sensu in medium attulerunt, quae referre omnia neque operae pretium est, neque instituti nostri ratio patitur. Verum, si in hoc sententiarum discrimine fas nobis est candide expromere quod sentimus, licet vix aut ne vix quidem divinare audeamus de iis quae in sinu temporis abscondita sunt, Ecclesiaeque reservata, eaque minus praescire ac eloqui, quin imperscrutabilia Dei iudicia et investigabiles vias eius rimari videamur, tamen affirmare non dubitamus negativam sententiam solidissimis inniti argumentis, dummodo, habita circumstantiarum ratione, iustis suis limitibus circumscribatur. Dicimus itaque, et sine ulla dubitatione affirmamus, dum tanta principum ac regnorum exstat varietas et multitudo, dum fidei propagatio in omnes gentes, et catholicae religionis diffusio in omnes terrae plagas tot tantisque impedimentis ac difficultatibus irretitur, dum episcopis in suo munere adimplendo, et gregibus in adeundis, audiendisque suis pastoribus plena ac integra libertas deficit, Ecclesiaeque dictatoria deest auctoritas expedite exercenda, conducens esse atque ferme prorsus necessarium, ut Summus Pontifex, ad removendum novae in Ecclesia persecutionis periculum, et pro libero spiritualis suae potestatis exercitio, civili potestate etiam in posterum gaudeat, ac fruatur.

Sententiam hanc nostram hisce conclusam terminis ac modis, quae sequuntur argumentis comprobamus.

Ac 1°: quidem quae rationes postulare visae

sunt, ut civilis dominatus, pro maiori Ecclesiae militantis et aspera quaeque sustinentis auxilio ac bono, primitus institueretur, per longam saeculorum seriem perduraret, et usque ad haec tempora conservaretur, eaedem, in eumdem finem adhuc, et in posterum retinendum, fovendum, omnique modo confirmandum suadere videntur.

2° Gravia semper mala in religionem pertimescenda procul dubio sunt, si existentibus conditionibus superius adductis, R. Pontifex subditus fieret, cum non modo in exercitio regiminis sacri coarctari et impediri posset, et indubitate impediretur, verum etiam eius quoque mandata, leges et edicta veluti influxui extraneo et pressurae obnoxia vim suam et auctoritatem amitterent, quandoquidem « fideles populi et regna suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex sua acta ad illius principis et gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem confirmaret; atque idcirco actis illis, hoc praetextu, saepius refragari non dubitarent, praesertim vero si cui Pontifex subesset principi, inter quem et romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum, » ut ait Pius IX litt. Encycl. 20 aprilis 1849.

3° Surgit saepe gens contra gentem et regnum adversus regnum; si itaque bellum exurgeret inter nationes, quae omnes se catholicas esse profitentur, Pontifex vel potestati, cui subditus foret, iussioni non obtemperabit et rebellis aut suspectus esset, vel eius causam vindicare vellet, et certe apud alios pro amico non haberetur, quos forte, invidia vel ira, in querelam aut schisma impelleret.

4° Humanae naturae indoles eadem semper ad

malum inclinans et peccato corrupta non minora in posterum, quin imo forsan graviora Ecclesiae libertati pericula parabit, si eius Caput visibile, a quo totius Ecclesiae iura defenduntur, alicuius principis subditus fieret. Attentis nempe notissimis principiis de status omnipotentia, quae altas radices in societate egerunt, et sub falsae iustitiae specie, hominum animos quadam iuris opinione decipiunt, timendum valde est, ne princeps Pontificem suae reluctantem voluntati, durius tractet, custodiae mancipet, fidis probisque consiliariis privet, litteras intercipiat, eoque usque perveniat, ut ipsi impediat, quominus vocem publice extollat, et monita ac praecepta ad principes ac populos catholici orbis dirigat. Neque dicas cum actore « pro causa Italica, » pag. 82: « hoc periculum evanescere, si inviolabilis instar legis promulgetur inter suos fines parem esse oportere status Ecclesiaeque libertatem, adeo ut libera Ecclesia cum statu libero copuletur. » Nam, missis aliis, quae afferri possent, quaero, quisnam limites determinabit, intra quos Ecclesia libera in statu libero agnoscatur? Princeps ne, an Pontifex, an uterque? Primum Pontifex non admittet, secundum renuet princeps. Tertium remanet, ut fiat per pactum conventum. Sed quomodo, quaeso, hoc pactum efformabitur, quomodo limites utriusque potestatis constituentur? Sed, dato quod hoc fieri possit, quae vis huic pacto inerit? Nonne, experientia teste, videmus, cui est pro ratione voluntas, eum datae fidei esse immemorem, et cui antiquiora solemnia pacta conventa sancta sunt, illum recentius inita infringere non vereri, in primis, si fingi queant obices, quibus ab eo-

rum observantia dispensetur, aut praesumpte prohibeatur? Mirum profecto, quo tandem res deveniret. Iure itaque ait Card. Mathieu: « Cette loi n'est pas encore faite, le parlement qui doit la porter n'est pas encore trouvé, et on peut dire, sans crainte de se tromper, que le prince qui l'observerait exactement dans les plus petits détails serait encore introuvable.»

6° Quandoque, nec raro usuvenit, ut S. Pontifex, in gravioribus Ecclesiae negotiis mature pertractandis, plurimorum ex omnibus nationibus Antistitum opera ac consilio indigeat. Iam, quaeso, quomodo Pontifex, si simul Rex non esset, eos libere ac tuto sibi adsciscere, et Antistites illum, si alicuius principis subditus foret, adire poterunt? Hisce quaestionibus non meis ego, sed verbis respondebo ipsorum Praesulum, qui sacris solemniis SS. novensilium Martyrum 26 Iaponiae, et Michaëlis de Sanctis Romae adstantes, 8 iunii, die festo Pentecostes an. 1862, Pontificem Regem alloquuti ita sunt: « Quî porro vel hac vice fieri potuisset, ut Ecclesiae Antistites securi huc ex toto orbe accurrerent cum Sanctitate Tua de rebus gravissimis acturi, si ex tot et tam diversis regionibus gentibusque confluentes, principem aliquem invenissent his oris dominantem, qui vel principes ipsorum in suspicione haberet, vel illis suspectus ipse adversaretur? Sua sunt etenim et christiano, et civi officia: haud quidem repugnantia inter se, sed diversa tamen, quae adimpleri ab Episcopis quomodo possent, nisi perstaret Romae civilis principatus, qualis est Pontificum, iuris alieni omnino immunis, et centrum quodammodo universalis concordiae, nihil ambitionis

humanae spirans, nihil pro terrena dominatione moliens?»

« Ad liberum ergo Pontificem Regem venimus liberi, Ecclesiae rebus utpote Pastores, et patriae utpote cives bene et aeque consulentes, neque Pastorum, neque civium officia posthabentes. » Ast nihil impedit, dices, quominus Episcopi ubique locorum simul convenire libere possint. «Est-ce bien sérieux, » scite respondit clar. Cochin, « Rome, les martyrs du Japon et les Évêques du XIXme siècle ! » « Croit-on qu'on aurait laissé aller les Évêques français à Vienne, les Évêques russes à Varsovie, ou les Évêques orientaux à Constantinople ? Mais, où donc sont, s'il vous plait, les Évêques italiens? Citoyens, ils attendent dans l'exil que l'état soit libre; Évêques, ils attendent loin de leurs frères que l'Église soit libre. Si vous croyez que la liberté universelle de l'Église doit rendre inutile le pouvoir temporel, je ne vous démentirai pas, mais commencez par établir cette liberté, avant de détruire le pouvoir; commencez par le commencement, et non par la fin.»

Notandum hic, non solum Episcopos in casu impediri quominus imperio ac votis Summi Pontificis obtemperent, sed etiam in ea miserrima versari conditione, ubi per malas regnantium artes vi opprimantur, bonis spolientur, sedibus expellantur, et patria extorres fiant, ut nequeant amplius in posterum ab eorum Patre amantissimo in sua ditione, paterna excipi caritate, solatiis confortari, consilio confirmari, subsidiisque adiuvari, donec Pontificis Regis opera ac studio pietas ac iustitia restituatur, iique ad Sedes, e qui-

bus expulsi erant, maximo suarum ovium plausu, revertantur.

7° Tandem res confirmatur historia, quae non solum testis est temporum, sed etiam magistra vitae. Scimus profecto quibus angustiis premi consueverint RR. PP. in exercitio spiritualis potestatis, et quaenam mala reipublicae obvenerint, sive quum Fridericus I, Henricus IV, et Fridericus II, imperii sedem in Urbe Roma, exule Pontifice, collocare conati sunt, sive quum Galliae reges, Ecclesiae caput in civitate Avenionensi residere compulerunt. Verum ad vetusta haec exempla recurrere non est necesse, siquidem meminisse satis est durae servitutis, qua Pius VII detinebatur, quandiu extra suum temporale dominium Napoleonis I potestati subditus erat. Satis iam, quae indicanda magis, quam exponenda censui, ostendere videntur, quam gravia etiam in posterum, in munere suo obeundo R. Pontifex haud immerito pertimescere debeat, si ditione sua spoliatus, alicuius principis subditus aut hospes constituatur.

Atque adeo dubitare non licet, imo contra spem in spem certam erigi nos oportet futurum esse, ut praesens etiam tam subdola, tam perfida, tam impia suscitata tempestas in Ecclesiae bonum, in Sanctae Sedis emolumentum, et Summi Pontificis triumphum aliquando vertatur, etiamsi divinae providentiae consilio statutum sit, ut Urbs sacrilego raptori in praedam tandem cedat, et Pontifex Rex in miserandam captivitatem abducatur, vel ad fugam cogatur. Huius felicis praesagii vadem nobis praebet praeteritorum temporum historia. Ecclesia namque innumeras et multo gra-

viores persecutiones passa est; cunctas tamen, inspirante divini Institutoris sui numine, prospere superavit; alios iam vidit ventos, cunctosque feliciter cohibuit ac refraenavit. Qui vero in Ecclesiam, eiusque visibile Caput manus iniecerunt, et durioribus iam arietibus muro propugnaculi impetivere, operam perdiderunt, quin imo plures suum in oppugnando frontem infregerunt, variisque divinae iustitiae non raro extraordinariis ictibus prostrati sunt, nec defuerunt, qui petram inexpugnabilem evertere tentantes, ipsi in petra lenta morte contabuerunt.



CAPUT III.

DE S. R. E. CARDINALIBUS

§ 35.

De nomine et origine Cardinalium.

Hactenus de Primatu Summi Pontificis, eiusque iuribus et officiis dictum est. Non omnia tamen, et singula ipsius iura et officia enumeravimus, sed aliqua tantum, eaque potiora, ex quibus caetera intelligi facili negotio poterunt. Verum hoc loco sermo instituendus de S. R. Ecclesiae Cardinalibus, qui principem sibi locum secundum R. P. hodie sibi vindicant. Et primum de eorum nomine et origine.

De Cardinalium origine dissident inter se auctores; eorum autem nomen antiquissimum est: quivis enim Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui certae alicuius Ecclesiae proprius et ordinarius Minister esset, *Cardinalis* dicebatur, quia eidem Ecclesiae suae tanquam cardo affixus foret, atque ideo Ecclesia circa eum, veluti valva circa cardinem, volveretur. Quare apud Ecclesiasticos Scriptores saepissime verbum occurrit *cardinandi*, seu *incardinandi*, hoc est, certae Ecclesiae perpetuo addicendi. Quod sane vocabulum opportune usurpabatur, ut proprii et quasi fixi et immobiles Ecclesiarum Ministri, seu Pastores ab iis probe distinguerentur, qui veluti *subsidiarii*, et *adventitii*, vel ad determinatum tempus, aut

ob peculiarem causam quae perpetua non esset, alicui Ecclesiae addicebantur. Unde Gelasius I in litteris ad Coelestinum Episcopum apud Gratianum relatis diss. 24, can. 4 Episcopum Cardinalem ab Episcopo *interventore* seu *visitatore*, cui nempe Ecclesia aliqua commissa est, diserte distinguit. Hoc itaque sensu in omnibus passim Ecclesiis praeter Episcopum Cardinalem, id est proprium et ordinarium Episcopum, erant Presbyteri et Diaconi Cardinales, qui Ecclesiis et Titulis Presbyterorum, aut Diaconorum praeficiebantur. Sed ad Romanam Ecclesiam quod attinet, in ea erant *Tituli* a s. Marcello instituti, sive *Ecclesiae*, in quibus sacri conventus fiebant, et Sacramenta administrabantur, ideoque Presbyteris concreditae, unde *Cardinales Presbyteri:* erant et Diaconiae in Urbis regionibus, hospitales nempe domus cum adhaerentibus Sacellis et Oratoriis, Diaconis idcirco commissae, unde *Cardinales Diaconi*, qui etiam *Regionarii* vocabantur.

Nullus autem Romae exstabat Cardinalis Episcopus, cum UNUS Romanus Pontifex, tanquam proprius Episcopus Romanam Ecclesiam administraret. Verum in hanc Ecclesiam cooptati postea sunt septem vicinarum civitatum Episcopi, ex quo coepit Cardinalium dignitas illustrior fieri. Id factum est undecimo forte saeculo, quamvis non desint scriptores, qui antiquius tempus assignant, quos inter Thomassinus part. I, lib. II, c. 116, n. 2. De hac Episcoporum in Romanam Ecclesiam cooptatione Onuphrius Panvinius, in lib. de Episcopalibus Titulis et Diaconiis, haec habet: « Ecclesiae Lateranensi, quae est specialis Sedes Romani Pontificis, propter suam et Episcopi Romani excellen-

tiam, septem Episcopi ex circumvicinis civitatibus assignati sunt, qui suis statis solemnibusque diebus singuli coram Pontifice in eadem Basilica celebrarent divina mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent.» Hi fuerunt Episcopus Hostiensis, Portuensis, Albanensis, Praenestinus, Sabinensis, Tusculanus, et S. Rufinae, seu Sylvae Candidae, qui et *Episcopi Suburbicarii* vocantur. Verum hodie sex tantum reliqui sunt, postquam Ecclesia S. Rufinae, seu Sylvae Candidae Episcopatui Portuensi a Callixto II unita fuit.

Quamquam autem Romanae, et aliarum Ecclesiarum Cardinales fuerint nomine et origine pares, attamen Romani Cardinales omnium nobilissimi semper habiti sunt, ideo quod praecipua pars essent Presbyterii Pontificis, seu Cleri Romani, ad quem electiones Summorum Pontificum praecipue pertinebant, eosdemque Pontifices in maximis Ecclesiae negotiis opera et consilio iuvabant; quin imo Romanae et universalis Ecclesiae bona atque iura, vacante Sede, tuebantur. Igitur gradatim contigit, ut quae initio fuerunt Cardinalium Romanorum cum reliquo Clero communia, deinceps Cardinalibus solis tributa sint; ex quo factum est, ut Cardinales Romani ad tantam amplitudinem evecti fuerint, de quorum numero, creatione, officio et privilegiis breviter dicendum est.

§ 36.

De numero et creatione Cardinalium.

In Ecclesia Romana Cardinalium numerus incertus olim fuit et vagus. Ineunte saeculo duodecimo septem *Cardinales Episcopi*, viginti octo

Presbyteri et octodecim *Diaconi* fuisse videntur; sed is numerus adeo imminui coepit, atque ad tantam paucitatem delabi, ut electioni Nicolai III octo tantum Cardinales qui supererant, interfuerint. Rursus autem in dies adauctus est eorum numerus, praecipue occasione schismatis Avenionensis, cum duo et interdum tres de Pontificatu contendentes suos quisque Cardinales creabat, qui eius partibus adhaererent. Concilium Basileense decrevit sess. XXIII, ne Cardinales plures essent, quam 24. Verum Sixtus IV et Alexander VI praefinitum hunc numerum excesserunt, licet antiquum 53 numerum non attigerit. Primus omnium Leo X, post detectam, an. 1517 coniurationem, triginta et unum Cardinales creavit et ita antiquum numerum longe superavit; pervenit enim ad 65. Paulus IV numerum hunc magis adduxit, siquidem sub eo 70 Cardinales, eodem tempore, numerati fuerunt. Verum Sixtus V Constitutione edita 15 Dec. 1585, quae incipit « POSTQUAM VERUS, » decrevit, ne Cardinales in posterum plures essent, quam septuaginta, congruens quidem numerus 70 Christi discipulis, et 70 viris, quos de senioribus, ex mandato Domini, Moyses in adiutorium assumpsit; et altera Const., quae incipit « RELIGIOSA SANCTORUM, » eisdem Cardinalibus sex Episcopatus Suburbicarios supra memoratos, quinquaginta Titulos Presbyterales, et quatuordecim Diaconias assignavit. Nullum dubium, quin S. Pontifex, arbitrio suo, Cardinalium numerum augere possit.

Cardinales ab UNO Pontifice creantur; Imperatori autem, et aliquibus Regibus privilegium concessum est ad eam amplissimam dignitatem unum

vel plures nominandi. Dotes autem eorum, quibus tam insignis praerogativa conferenda est, Lateranensis V, Basileensis, ac Tridentina Synodus recenset sess. XXIV, cap. 1 de reform., et referunt, ut alios praeteream, Benedictus XIV Alloc. 5 Aprilis 1756, et Pius IX Alloc. 17 Decembris 1855. Modus promovendi varius fuit pro temporum varietate. Hodie promovendus, si in Urbe commoretur, stata die ad aulam Apostolicam accedit, et a Summo Pontifice rubro bireto decoratur. Tum publicum indicitur pro certa die Consistorium, in quo, expletis quibusdam caeremoniis solemnibus, super eius caput a Romano Pontifice imponitur ruber galerus. In altero Consistorio ei *os claudit*, vetans, ne quid loqui in Consistorio, aliisque consessibus praesumat, sed in novo Consistorio, ubi placuerit Pontifici, *os aperitur*, seu datur ei loquendi facultas. Postea in digito annulari ei annulum Pontifex immittit, assignatque titulum, et ita absolvitur promotio. Quod si promovendus absit, ad eum mittitur biretum rubrum, in cuius receptione iurare debet, se infra annum ad Apostolica limina accessurum. Cardinales votum habent in electione S. Pontificis, licet os apertum ipsis non sit.

Quum certo statui possit, Cardinalium Collegium usque ad finem mundi permansurum esse, ut Summo Pontifici auxiliatricem manum in Ecclesiae regimine porrigat, otiosum prorsus est inquirere, an eorum institutio divina, an potius ecclesiastica dicenda sit. Vide Plettemberg « Notitia Congreg. et Tribun. Curiae Romana » p. 2, l. 4, c. 1, et Bonanni « Gerarchia Ecclesiastica, » c. 10.

§ 37.

De officio et dignitate Cardinalium.

Duo autem sunt insigniora Cardinalium munera, quorum primo Sede plena, altero Sede vacante funguntur. Sede plena, Senatum Summi Pontificis constituunt, eique in administratione totius Ecclesiae assidue praesto sunt consilio atque opera. Sicut enim antiquitus Romani Pontifices nihil grave, nisi facto presbyterio, id est convocato Clero decernebant, ita modo gravioris momenti negotia, audito Cardinalium consilio, pertractant atque absolvunt. Hinc Tridentina Synodus sess. 24 de reform. cap. 1: « Cardinalium, inquit, consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem universalis ecclesiae administratio nititur. » Ob id muneris Cardinales a S. Bernardo lib. 4 de Cons. p. 3, tit. 21 vocantur *Collaterales*, *Consiliarii*, et *Coadiutores Romani Pontificis* eosque Sixtus V iure merito vocat « quasi oculos et aures et nobilissimas sacri Capitis partes. » Igitur non unius Dioecesis, aut Provinciae, quemadmodum Episcopi, seu Archiepiscopi, sed omnium christiani orbis Ecclesiarum cum Romano Pontifice curam gerunt, « et Patriarchas, Archiepiscopos, ac reliquos Ecclesiae gradus cum Pontifice ipso iudicant, cum ipsi a nemine, nisi a solo Pontifice iudicentur: » ut habetur in Const. Eugenii IV an. 1438 edita, quae incipit « NON MEDIOCRI. »

Itaque Benedictus XIV, de Synodo Dioecesana lib. III, cap. 10, num 1, agens de Conciliis Generalibus, et Nationalibus, quibus Cardinales si-

mul cum Episcopis intersunt, primas Cardinalibus supra Episcopos defert: « hi siquidem, ait, etsi Episcopali careant charactere, ob eorum tamen officium ac dignitatis praestantiam Episcopis praeferuntur, supra quos sedisse legimus in Concilio Lugdunensi I; idque allatis aliorum Conciliorum exemplis, decretisque Summorum Pontificum confirmat. Notum est non defuisse in Conc. Trid., qui, duce Episcopo Quinqueecclesiensi, petierint ordinem restitui in Ecclesia, ne Cardinales Episcopis superiores amplius haberentur. Verum in irritum cesserunt eorum conatus, et merito; siquidem Cardinales et Rom. Pontificem eligunt, et quibusdam aliis praerogativis non modo quoslibet Episcopos, sed et Primates et Patriarchas iure transcendunt. Ast Febronius incredibili audacia clamavit, « eo pacto divinum institutum eversum fuisse, » propterea quod Episcopi divinae, Cardinales humanae institutionis essent. Zallwein etiam cum Febronio sentire visus est. Contra quos Febronius abbreviatus cum notis adversus neotericos Theologos et Canonistas tom. IV, §. 9, n. 1: « Episcopi, ait, potestate et ministerio potiores, excellentiores sunt; sed nullibi in sacris Scripturis legimus, quod alios praecedere, omnibus praeponi, et extrinseco honore praeferri debeant. Habent ergo Episcopi praecellentiam potestatis et ministerii, de qua ipsis nihil detrahitur. E contra Cardinales potiorem locum tenent in Consistorio Pontificis, Congregationibus, in Conciliis etc., ubi nulli actus et functiones hierarchiae intercedunt, idque non ex dignitate potestatis, sed propter officium. » Et num. 4: « An ignorat forte Zallwein, atque Febronius, quod in Ecclesia Constantinopolitana se-

ptem Diaconi Cruciferi, quin etiam Syncelli, id est simplices Clerici, aut Monachi familiares et commensales Patriarchae in Synodis loco superiore, et prae Episcopis consederint, ut observat Christianus Lupus in Schol. et Not. ad Canon. Conciliorum tom. 2, pag. 1474 et tom. 3 pag. 441? Cur Legati Pontificis in Conciliis etiam solo Presbyteratu et Diaconatu insigniti prae Episcopis priorem locum occupant, et ante hos subscribunt, quod in antiquissimis Conciliis vidimus? Si hic abusus contra institutum Christi est, tunc abusus iam a primis saeculis in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali viguisset, et Christi institutum eversum fuisset; sed non ita sentiebant, neque ita rem interpretati sunt veteres Episcopi atque Patres. Tandem oculos ad ipsas Ecclesias Episcopales, et Collegia Canonicorum convertant hi viri, dicantque, quare Canonici Diaconi, Subdiaconi, etc. prae Sacerdotibus, qui Canonici non sunt, in Choro, in Synodo, in Processionibus, et ubique primum et eminentiorem locum occupent, his ad inferiora subsellia remissis, nisi quia Canonici Collaterales Episcopi dicuntur, et cum eo unum corpus efficiunt? »

Sede autem vacante, alterum praestantissimum Cardinalium munus est Romani Pontificis electio. Nicolaus II in conventu Episcoporum Romae habito, Cardinalibus permisit Pontificis electionem, veruntamen non vetuit reliquum Clerum, et populum ad electionem accedere. Sed Alexandri III decreto edito in Concilio Lateranensi, quod exstat in cap. LICET 6 de elect.: « Clero omnino, et populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos tunc primum redacta est ad evitanda

scandala. » Verum de Summi Pontificis electione dicemus infra. Itaque in locum Cleri suffecti sunt Cardinales, tum quia primi et praecipui sunt Episcopi, Presbyteri et Diaconi Romanae Ecclesiae, tum quia Ecclesiastica negotia optime norunt, et caeteris melius iudicare possunt, quisnam sit ad tantum dignitatis fastigium eligendus.

Sed quamvis electio Summi Pontificis ad solos Cardinales pertineat, in eos tamen, Sede vacante non transit iurisdictio Pontificis, quae a Christo dimanans nonnisi personae eorumdem Pontificum collata est: quare nec regiminis ecclesiastici formam immutare, nec Constitutiones, seu leges universales condere, neque canones relaxare ullo pacto valent, sed ea omnia futuro Pontifici reservantur, quemadmodum edixit Pius IV in Bulla, cuius initium « IN ELIGENDIS. » Cardinalis tamen Poenitentiarii Maioris, et Cardinalis Camerarii officia, atque adeo facultates per mortem Pontificis non expirant, quod ex citata Bulla Pii IV compertum est. Caeterum, vacante Sede, Cardinalium officia atque adeo iura, praeter Summi Pontificis electionem, in eo sunt posita, ut Ecclesiam, et temporales ditiones Romanae Ecclesiae tueantur (cap. UBI PERICULUM de electione in 6).

§ 38.

De privilegiis Cardinalium.

Cum Cardinales, propterеaquod Pontificem eligunt, eidemque consilio et opera perpetuo adsunt, aequum profecto fuerit, ut insignibus

etiam privilegiis decorarentur. Nos aliqua indicabimus. Illud vero praecipuum et sublime est, quod simplici eorum assertioni credendum sit, sicut probat textus in Can. Nobilissimus, sess. 97 et notat ibidem glossa *Nihilominus*. Alterum et ipsum quidem nobilissimum et insigne est, quod Cardinales in regulis Cancellariae non comprehenduntur, nisi vel eisdem faveant, vel expressam eorum mentionem faciant, vel ipsorum saltem consilio editae fuerint. Hoc Cardinalium privilegium ad caeteras constitutiones odiosas ab aliquibus Canonistis porrigitur. Cardinales enim habent aliquid singulare et eximium, in quo caeteris praecellunt et regibus aequiparantur, Extrav. Execrabiles de praeb. At dubitandum non est, quin Cardinales constitutionibus clausis in corpore iuris, vel in generali concilio editis obstringantur, quia canonum statuta ab omnibus custodienda sunt, Cap. Canonum de concl., et maxime ab iis, qui eminentiori in gradu constituti reliquis inferioribus exemplo esse debent, Cap. cum quidem de iureiur. Contra vero exploratum est constitutionibus favorabilibus contineri, etiamsi non exprimantur, quia favores ampliandi sunt, Cap. Odia 15 de reg. iur. in 6. In suis titulis, seu ecclesiis dummodo sint in Urbe praesentes, iurisdictionem quasi Episcopalem exercent, beneficia conferunt, personas ratione tituli subiectas visitant, cognoscunt de causis criminalibus, et delinquentes debitis poenis coërcent. Minores ordines suis subditis, et familiaribus conferunt, etiamsi mere presbyteri fuerint; reliquis autem episcopalis ordinis propriis actibus fungi non possunt, nisi Episcopali charactere fuerint insigniti. Cardinales vero Diaconi, qui

ordini presbyteratus non sunt initiati, potestate ordines minores conferendi non potiuntur. Hoc unum si excipias, caeteris aliis iuribus gaudent, quae Cardinalibus Presbyteris, ratione dignitatis cardinalitiae, conveniunt. Praeterea Cardinales electi a patria potestate soluti sunt, altare viaticum, seu portatile adhibere possunt, eorumque domus, in qua oratorium exstat, privilegio immunitatis, excepta Urbe Roma, ubique gaudet, aliaque huius generis privilegia consequuti sunt, de quibus passim tractatores.

§ 39.

De signis exterioribus Cardinalium.

Ad augendam, imo potius ad commendandam populis eorum dignitatem accessere quoque tituli et signa externa. Urbanus VIII decr. Consist. 10 iunii 1630 edixit, ut Cardinales *Eminentissimi* vocarentur, quem titulum Patriarchis inhibuit, concessitque tantum Ecclesiasticis Romani Imperii electoribus, et Magno Melitensi Magistro. Innocentius X Brevi *Militantis Ecclesiae*, 14 ian. 1622 hanc const. confirmavit. Innocentius IV eis ad regendas Ecclesiae terras missis pileum rubrum concessit, quod privilegium omnibus Cardinalibus in Conc. Lugdun. I commune factum est, ut ad sanguinem pro Ecclesia fundendum, si oporteat, paratos esse debere admonerentur; tum Paulus II, an. 1464 galero, seu bireto coccineo, quo in sacris functionibus caput tegerent, eos donavit, rubrumque pannum, quo equitantes sternerent equos, deferendi potestatem fecit. Cumque haec se-

cularibus Cardinalibus tantum concessa fuissent, Gregorius XIV Cardinalibus etiam Regularibus proprii Ordinis vestem gestantibus rubrum pileum permisit. Vide Catena « Discorso della Beretta rossa da darsi ai Cardinali religiosi, dedicato al Card. Sfondrato, Roma 1592; » e Scarpo « de Bireto rubeo dando S. R. E. regularibus, Romae 1592. Denique Innocentius X Brevi « MILITANTIS ECCLESIAE » 16 decembris 1644 decrevit, ut in Cardinalium sigillis imprimantur familiaria insignia, scutumque rubro galero circumornetur cum suis lemnicis, quorum tamen numerus ultra quindecim utrinque extendi non potest, ex decr. Consist. 14 aprilis 1832. Cit. Pontifex confirmavit decretum Cong. SS. RR. quo unusquisque Cardinalium, quacumque sive generis, sive dignitatis praerogativa praefulgeat, solo Cardinalis nomine iubetur esse contentus, nec aliis nuncupari titulis permittitur quam *Eminentissimi* ac *Reverendissimi*. Insuper ii e proprio sigillo, ac stegmate amovere iubentur « coronas, signa, ac omnes notas saeculares, praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae, tanquam de essentia... utuntur.»

Plurima alia, quae ad amplissimam s. Cardinalatus dignitatem in sibi debito decore conservandam statuta sunt, diligentissime exposita et in formam redacta reperies in decret. Consist. 14 Maii 1706, 21 Nov. 1742. 14 Aprilis 1842 et 16 Decembris 1857. Vide etiam Tamagna Origine de' Cardinali, Muratori « Diss. sopra le antichità, » Card. Antonelli De titulis quos Evaristus distribuit inter dissert. Cl. Zaccaria, Novaez de Cardinalium dignitate, » Santinelli « Della dignità de' Cardinali, et J. J. Haine « De la Cour Romaine sous le Pontificat de N. S. Pie IX, Louvain 1859.

Canonistae solent quaestionem instituere, cuinam ius esset Pontificis eligendi, si ob maximum infortunium Cardinales

omnes interirent? Hac de re copiose disserunt Ostiensis in cap. LICET, verbo « inter Cardinales, » tit. de elect. et electi pot. Abbas in idem caput.; Pirrhing ad eumdem titulum de electione sect. 9 ; Bellarminus de Clericis lib. 1, cap. 10. Igitur qui sunt harum quaestionum cognoscendarum cupidi, eosdem Doctores, aliosque ab iis citatos videre poterunt.



CAPUT IV.

DE LEGATIS APOSTOLICAE SEDIS

§ 40.

De iure mittendi legatos.

Praeter Cardinales, qui Pontificis lateri in expediendis Ecclesiae negotiis adhaerent, habet Pontifex adiutores alios, quos ad longinquas Chr. Reipub. regiones mittere solet, ut eius vice fungantur. Cum enim sollicitudo et cura universae Ecclesiae ad R. P. vi primatus pertineat, hanc autem curam et sollicitudinem per sese ubique terrarum gerere nequeat, necesse omnino est, ut aliorum opera utatur, ubi praesens adesse non potest. Ius itaque mittendorum legatorum a divino et naturali iure proficiscitur. Quos quidem legatos non solum extraordinarios, urgente alicuius necessitatis causa, sed etiam stabiles et ordinarios iurisdictione praeditos ubique constituere potest, tamquam medium necessarium ad finem primatus obtinendum, ut nempe ipsorum opera statum universi gregis proxime inspiciat, fidei et religionis unitatem ac disciplinae ecclesiasticae integritatem tueatur, aliqua ecclesiastica negotia moderetur. Hoc praeterea ius habendi in regnis et provinciis legatos, sive ex Episcoporum numero electos, sive ab urbe missos et ordinaria ac stabili iurisdictione praeditos, ex SS. Canon. et ex perpetuo Ecclesiae usu comprobatur. Nimirum, ait Schottus in dissert. de Legatis natis

cap. 1 § 5, « Pontifex Romanus vi Primatus divina auctoritate fundati constitutus, non tantum est centrum unitatis atque communionis catholicae, sed ei insuper incumbit generalis et suprema cura, sollicitudo, atque superintendentia in omnes Ecclesias, cuius auctoritate fidei et generalis disciplinae unitatem puritatemque conservat', canonum observantiam promovet et tuetur, deficientes ab officio Praelatos ad muneris sui executionem revocat, eorum negligentiam, et in cura pastorali defectus supplet, oppressos defendit, insufficientes ac impotentes adiuvat, verbo, ea omnia exsequitur, quae Ecclesiae universalis, aut particularis cuiuscumque salus, utilitas, necessitasve postulat. Haec autem, et similia negotia cum plerumque ita constituta sint, ut personalem non raro praesentiam exigant, quam tamen Pontifex variis distentus impedimentis per se ipsum exhibere non valet, prohiberi is certe nulla ratione poterit, quominus per Legatos sufficienti auctoritate pro negotiorum expediendorum diversa natura instructos, has muneris sui partes expleat. » Vide Cap. Cum supra de Consuet. Ipse Febronius de statu eccl. c. 2 § 20 eadem prorsus profert ac concludit: « qui vero ipse (Papa) omnibus adesse non potest, sic prohiberi nequit, quominus per nuntios has suas partes expleat.

At vero huic Romani Pontificis iuri respondet obligatio Legatos huiusmodi recipiendi, quod praeclare animadvertit Anton. Schmidt Instit. Iur. Eccles. germ. accomod. part. 2, cap. 1, sec. 3, art. 3, § 73 his verbis: «Quod si Pontifici ius perfectum eos mittendi denegari a catholico non possit, huic vicissim ex altera Principum etiam supremorum

parte respondebit obligatio, in thesi saltem certa, ne Legatos eiusmodi ab ingressu in terras suas prohibeant, aut legitimis eorum functionibus in salutem animarum necessariis sese obstaculo ponant. Neque hic argumentum duci poterit a Legatis aliis, cum iam per sese sat luculentum appareat discrimen: nulli quippe Principi supremo quidquam in alterum itidem talem, eiusve terras competit: cum contra Pontifici, vi Primatus, cura totius orbis christiani incumbat, atque in rebus ad salutem animarum pertinentibus eius sese iurisdictio ubique protendat. »

Memoratu dignum est iudicium, quod theologica Facultas Coloniensis tulit an. 1618 adversus librum Marci Antonii de Dominis de Republica ecclesiastica. Hic auctor cap. 12, lib. IV ita inscripserat: « Legatos Romani Pontificis extra Ecclesiam Romanam vix ullam habere potestatem. » Censura Facultatis: « Titulus haereticus, schismaticus et seditiosus. » Item n. 22 eiusdem capitis: « Postremis demum temporibus Legationes Romanae, et, Nuntiaturae ad avaritiam, ambitionem, et ad sola negotia terrena et temporalia expeditae sunt, et expediuntur. Nuntii vero Papae nunc dierum ad Imperatorem, Regem, Potentatos christianos eodem pariter loco sunt, quo Regum Legati in Curiis Principum saecularium pro negotiis nimirum saecularibus potissimum tractandis et indagandis commorantes. Et certe, si optimo eos nomine insignimus, sunt oratores, sin vero exploratores. » Censura Facultatis: « Falsa, seditiosa, in Romanum Pontificem, eiusque Legatos calumniosa. »

De hoc argumento vide praeclarissimum opus Pii VI Romae editum an. 1789, quod inscribitur « Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem super Nuntiaturis Apostolicis, » ubi rei veritas luculenter deducitur ex intima vi ac natura primatus, ex constanti Ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta, ex auctoritate ecclesiasticarum ac imperialium legum, ex communi denique canonistarum ac iurisconsultorum, praesertim germanicorum, etiam protestantium, sententia. Ad rem Audisio « Elemento di vita alle Comunità cristiane, cioè alle corti, ai cleri, ed alle

geoli, è la rappresentanza pontificia » ail in op. « Idea storica e ragionata della diplomazia ecclesiastica. » An Sancta Sedes, prudenti quadam oeconomia, habita praesertim temporum ratione, benigne unquam permiserit, vel indulserit, ut legatus suus in aliquo regno tum suo fungeretur munere, cum Princeps eum specialiter expostulaverit vel suffraganti consensu acceperit, quaestio est facti, quae documentis solvenda est. Nolim tamen, ut ex facto, si constiterit tibi, inde concludas de iure Principis consensum semper necessarium esse, ut legatus S. Sedis suum expleat officium, aut saltem in Principis potestate esse, ut antequam suo fungatur munere, legatus ipse iuramento spondeat se nil in legatione acturum, quod iuribus, consuetudinibus ac libertatibus Ecclesiae praeiudicium afferat, quemadmodum parlamenta, ut aiunt, Galliae, et quidam doctores hispani audacter asserere non dubitarunt. Vide Mémoires du Clergé t. 7, coll. 875, 1231 et 1423.

§ 41.

De Apocrisariis et Vicariis Apostolicis.

Prima Legatorum divisio est[1], quod alii *extraordinarii* sint, alii *ordinarii*. Extraordinarii mittuntur ad peculiare negotium expediendum, quorum proinde officium, absoluto negotio, expirat. Ita Zosimus Pontifex S. Augustinum in Caesariensem Mauritaniae civitatem legavit; sic Pontifices ad cogenda generalia Concilia, eisque praesidendum Legatos saepe miserunt. Ordinarii sunt, qui non alicui peculiari negotio addicti, sed ad quascunque causas ecclesiasticas mittuntur, quorum proinde officium diuturnum est atque perpetuum. Huius generis fuerunt *Responsales*, seu *Apocrisarii*, qui assidue apud Principes Legati erant, ut omnia, quae emergerent negotia, expedirent et responsa seu mandata exsequerentur eorum, a quibus missi fuerunt. Horum originem Hincmarus Rhe-

mensis tom. I, part. 206 deducit ab aetate Constantini Magni: ex quo perspicuum est, vix data Ecclesiae pace, legationes stabiles exstitisse. Vide Fr. de Roye, de MissisDominicis, eorum officio et potestate Andeg. 1672 edit., Lins, 1724. At praeter Apocrisarios, qui in aula regia morabantur, munus legationis stabilis quibusdam dissitarum atque illustrium civitatum Episcopis Romani Pontifices concrediderunt, qui *Vicarii Apostolici* vocati sunt, qualis fuit Vicariatus Thessalonicensis in Illyrico, Arelatensis in Gallia. Horum initium incompertum et obscurum est, sed dubitari nequit, quin a primis saeculis ducendum sit, cum S. Innocentius I qui novum Vicarium in Illyrico delegavit, id se facere professus est: « praedecessores nostros imitatus » ep. ad Rufum 5 apud Labbaeum t. 5. Multis autem facultatibus cum voluntariam, tum contentiosam iurisdictionem spectantibus potiebantur, quas recenset Pius VI in sua resp. super Nunt. Apost. c. 8.

§ 42.

De legatis natis, seu de Primatibus.

At saeculo Ecclesiae IX Vicariatus Apostolici rariores evaserunt, ex iisque originem suam duxerunt *Legati nati*, qui Ecclesiarum suarum praetextu legationis sibi vindicant dignitatem (cap. 9 de Legatis). Vicariatus enim apostolicus nonnisi personis initio concessum est, et idcirco non iure Vicariatus, sed Pontificis delegatione obtinebatur. Attamen cum Romani Pontifices solerent Episcopos quarundam illustrium civitatum eo mune-

re decorare, inde factum est, ut generali tandem concessione, aut consuetudine quadam, ius Apostolici Vicariatus Sedibus earumdem civitatum adnecteretur, atque adeo non amplius personalis dignitas, sed realis habita est; quae quidem sine nova Apostolicae Sedis concessione in successorem transiret. Hoc privilegio aucta est Ecclesia Salisburgensis in Germania, Rhemensis, Bituricensis et Lugdunensis in Gallia, Pisana in Italia, Toletana in Hispania, earumque Ecclesiarum Episcopi dicti sunt tum Legati nati, tum etiam Primates, quod primum honoris et dignitatis locum inter Episcopos suae legationis tenerent. Huiusmodi Legati nati multis facultatibus et praerogativis donabantur, non tamen adeo amplissimis, quibus Vicarii Apostolici potiebantur. Verum quae initio amplissima fuit iurisdictio, ea modo minima aut nulla est, adeoque Legatis nunc titulus sine re et nomen solum absque ulla potestate relictum est, si excipias forsan Archiepiscopum Strigoniensem, qui legationis natae munus in Hungaria hodiedum etiam exercere videtur. Vide Cherrier op. cit. t. 2, § 185, 198 et 254.

§ 43.

De Legatis a latere et Nuntiis.

Igitur a saeculo XV ad nostram usque aetatem legatis natis suffecti sunt Legati missi, hoc est *Cardinales a latere Pontificis missi*, et *Nuntii Apostolici*, qui apud aulas regias, aut nationes exteras legatorum munere fungerentur. Huius rei causam sic exponit de Marca op. c. l. 7, c. 39, n. 6: « RR. PP., cum intelligerent Metropolitanos ferre nolle

uni ex suo corpore conferri ius perpetuae praecedentiae, existimarunt mittendos esse legatos in Gallia, et in alia regna. »

Iam vero Legati a latere, et Nuntii Apostolici in multis potestate pares sunt, sed in multis plane differunt. Pares sunt:

1° Quia utriusque auctoritas ordinaria est ad instar Proconsulum, aliorumque Praesidum, quibus olim Romani certas provincias moderandas committebant (cap. 2 de off. Leg. in 6). Quare auctoritate ordinaria possunt edere statuta, quae perpetuam vim habeant, per textum in cap. NEMINI de off. Leg. in quo haec habentur: « Nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Apostolicae Sedis statuta edita in provincia sibi commissa durent, tanquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi; »

2° Quia universas causas, quae appellationem, vel querimoniam ad eorum audientiam perveniunt, audire possunt et debent (cap. 3, eod. tit.

3° Quia ipsorum officium non expirat morte Pontificis, a quo mittuntur (cap. 3, eod. in 6).

Sed Legatus a latere in multis eminet dignitate, et auctoritate. Aequum enim est, ut Cardinalis Legatus a latere Pontificis missus, caeteris Legatis sive Nuntiis dignitate et iure antecellat. Dignitate quidem eminet, quia, ipso in aliquam provinciam adventante, minorum Legatorum, si ibidem fuerint, auctoritas silet (cap. 8 de off. Leg.) Deinde Apostolicae dignitatis insignibus utitur, eoque praesente, Archiepiscopus et Pariarcha nequeunt praeferre Crucem (cap. 23 de privileg.).

Praeterea Legatus a latere eminet auctoritate, quia in provincia Legationis suae quoscumque

percussores Clericorum absolvit, confert tum Beneficia liberae collationis cum Ordinario concurrens, et inter ipsos datur praeventioni locus, tum etiam Beneficia patronatus ecclesiastici, non tamen laici; et aliis huiusmodi iuribus potitur, quae late explicant interpretes ad tit. de offic. Leg. in 6.

Haec autem omnia Nuntiis Apostolicis denegantur, tantumque eis licet in sua provincia absolvere sibi subditum ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem in Clericum. Caetera vero ipsorum iura ex Pontificis diplomatibus, quibus instruuntur, dignoscenda omnino sunt. Quin imo non solum de Nuntiis Apostolicis, verum etiam de ipsis Legatis a latere certa regula statui nequit, quod ad ipsorum potestatem attinet, cum a Cardinali De Luca discursu 33 ad Concil. Trid. verissime traditum sit, « id totum pendere a tenore facultatum.

Legatorum potestatem late explicat Giraldus Exposit. Iuris Pontific. part. 1, tit. 20 sect. 170, et passim Interpretes omnes lib. 1 Decretalium ad tit. XXX de officio Legati.

CAPUT V.

DE PATRIARCHIS, EXARCHIS ET METROPOLITIS

§ 44.

De horum nominum origine et etymologia.

« Apostoli, ut ait Tertullianus de praescriptione adversus haereses, cap. 20, Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt. » Itaque in singulis Ecclesiis Episcopus positus fuit, qui ipsas regeret. Quamobrem Cyprianus in ep. 59, alias 55, scripsit: « Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet. » At vero inter ipsos singularium ecclesiarum ordo quidam inductus est, ut eorum munus reliquis unius aut plurium provinciarum Episcopis emineret: qui quidem Episcopus primum Metropolitanus, quod plerumque in Urbe provinciae metropoli degeret, deinde Archiepiscopus, veluti primus inter Episcopos, tum Exarcha, seu princeps Dioeceseos (dioecesis autem est nexus plurium provinciarum, sive civilium, sive ecclesiasticarum), et novissime Patriarcha, seu Pater Patrum vocatus est. Igitur antiquitus, nomina Metropolitae, Archiepiscopi, Exarchae Dioeceseos, et Patriarchae unum idemque significabant, eum nimirum Episcopum, qui integrae alicui provinciae, aut pluribus invicem provinciis praeerat. Postmodum verò his nominibus propriae notiones subiectae sunt, ut modo Patriarcham intelligamus, qui provinciis plurium Dioecesium prae-

fectus est; Exarcham, qui pluribus provinciis unius Dioeceseos praesidet, unde et Patriarcha minor appellari consuevit, Metropolitanus, qui in unam provinciam iurisdictionem obtinet, atque modo Metropolitani et Archiepiscopi nomen promiscue usurpatur. Nomen autem Primatis adhuc commune praedicatum est, nec peculiare munus significat : illis enim tribuitur qui principem aliquem locum in Ecclesiae hierarchia tenent. Sic Summum Pontificem ratione supremae potestatis Primatem totius Ecclesiae vocamus, eodemque pacto Patriarcham, Primatem, Patriarchatus, Exarcham, Primatem Provinciarum unius Dioeceseos , ut Metropolitanum provinciae primatem appellare possumus. Eo tamen nomine peculiariter insigniti sunt Legati nati, de quibus supra.

§ 45.

De origine potestatis ipsorum.

Quamquam primis Ecclesiae saeculis nomen Patriarchae ignotum fuerit, quod nonnisi sub Concilii Chalcedonensis tempore usurpari coepit , res tamen, seu dignitas eo nomine significata extabat omnino. « Namque, ut observat Natalis Alexander Hist. Eccl. sec. IV, cap. 5, art. 1 spectatissimae erant in Ecclesia tres Sedes primariae, quae caeteris eminebant omnibus, quod a S. Petro fundatae essent, Romana scilicet, Alexandrina et Antiochena , quarum Episcopi iurisdictione ampliori fruebantur, multisque non modo provinciis, verum etiam Dioecesibus praeerant. De his Nicaeni Con-

cilii I Canon 6: Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam caeterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. De his et canon secundus Constantinopolitani Concilii: Secundum regulas constitutas Alexandriae quidem Episcopus ea, quae sunt in Aegypto, tantum gubernet: Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiae Antiochenae, qui in regulis Nicaenae Synodi continentur, Romani patriarchae non meminit, quia nulli praescribi poterant ipsi limites cum eius iurisdictio et auctoritas in totum orbem christianum fundaretur. »

Hactenus Natalis Alexander, cui Doctores omnes facile concedunt, Ecclesias patriarchales Romanam, Alexandrinam, et Antiochenam a S. Petro fundatas fuisse; dant quoque libenter, Principis Apostolorum institutionem ad conciliandam eisdem Ecclesiis quamdam auctoritatem, et splendorem plurimum valuisse. Sed contendunt, iura et privilegia patriarchalia, quibus Alexandrina et Antiochena Ecclesiae auctae fuerunt, ex sola Petri fundatione originem non habuisse, neque etiam habere potuisse. Namque Apostolica fundatio Ecclesiam *Apostolicam* facit, non *patriarchalem;* hinc plures alias Ecclesias Petrus fundavit rexitque; nec tamen patriarchales habitae sunt; sic etiam Ecclesiae ab Apostolis fundatae sunt *Apostolicae*, non item *patriarchales*. Enimvero ad patriarchalem Ecclesiam constituendam necesse est, ut eadem Ecclesia tum super Ecclesia, tum super Metropolitis, non unius,

sed plurium provinciarum insignibus privilegiis et iuribus augeatur.

Quaeritur itaque undenam iura et privilegia patriarchalium Sedium orta sint? De Marca, Valesius, Pagius, Allatius, Thomassinus, aliique doctissimi viri primam patriarchalis potestatis originem Apostolicae institutioni, hoc est S. Petro attribuunt; contra vero Dupinius, aliique praesertim recentiores Canonistae non Apostolis, sed antiquis Ecclesiarum moribus acceptam referunt. Nos pro instituti nostri ratione argumenta utriusque sententiae breviter indicabimus.

Itaque doctores, qui Patriarcharum originem a receptis Ecclesiarum moribus derivant, ita ratiocinantur. Quum Ecclesia Alexandrina, et Antiochena plurium provinciarum essent capita, ad quas proinde caeteri Episcopi, negotiorum causa, frequentes conveniebant, quum etiam ab iisdem Sedibus lux evangelicae veritatis circumstantibus provinciis refulserit, hinc factum est, ut earum Episcopi, veluti Parentes aliarum Ecclesiarum haberentur, et progressu temporis, Episcopis non repugnantibus, quaedam sibi iura super alias Ecclesias vindicarent. Rem vero ita se habuisse satis compertum esse existimant ex canone VI Concilii Nicaeni, qui est huiusmodi: « Antiqui mores serventur in Aegypto, Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. » Verba enim ANTIQUI MORES SERVENTUR arbitrantur satis ostendere non ius novum a Concilio conditum, sed veterem consuetudinem, qua ius patriarchicum nitebatur, confirmatam esse. Concludunt igitur patriarcharum potestatem moribus, et consuetudine primum in-

ductam, postea Conciliorum decretis constabilitam.

Alterius sententiae patroni in primis aiunt, Concilii Nicaeni canonem Dupinio, suisque asseclis minime favere. Nam quaestio est de prima patriarchalium iurium origine, de qua ne verbum quidem in eo canone: in eoque tantummodo agitur de constituendis finibus, intra quos Patriarcharum potestas in posterum contineretur. Igitur ea verba ANTIQUI MORES SERVENTUR ad fines Patriarchatuum designandos, non vero ad originem patriarchalium iurium demonstrandam pertinent.

Quibus positis, ex notissima S. Augustini regula lib. IV de Baptismo contra Donatistas cap. 24: « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur, » legitime inferunt patriarchalia iura, cum adeo antiqua sint, ut eorum origo non appareat, neque a Conciliis instituta, sed semper in Ecclesia retenta fuerint, non a moribus et antiqua Ecclesiarum consuetudine, bene vero ab institutione Apostolica profecta esse.

Quae quidem sententia videtur nobis probabilior esse, et quasi certa, eo vel maxime quod in scriptis Sanctorum Patrum passim legimus, patriarchales Sedes a Petro *condecoratas* et *sublimatas* fuisse; quibus verbis aperte significatur, ea omnia privilegia potestatemque, quibus insignitae fuerunt, ab ipso Petro, non aliunde accepisse. Verum hoc loco praeterire non possumus haec verba S. Leonis Magni in Epist. XIV ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: « Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam di-

scretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursus quidam in maioribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura confluerct, et nihil usquam a suo Capite dissideret. » Igitur Apostoli Metropolitas in singulis provinciis, et in maioribus urbibus Patriarchas instituerunt, sequuti exemplum ipsius Christi, qui regimen Ecclesiae suae ita constituit, ut Petrus Apostolis, et Petri Successores caeteris Episcopis auctoritate praeessent.

De his uberius et fusius disserunt Petrus De Marca de Concord. Sacerd. et imper. lib. 1, cap. 3, § 7; Thomassinus De vet. et nov. Eccl. disciplin. part. 1, lib. 1, cap. 7 et 8; Pagius Critica ad an. 97; et Dupinius Disciplin. Eccles. diss. 1, §. 8.

De origine Patriarcharum reliquae duae sunt opiniones, de quibus non valde laborandum est, cum solido fundamento careant. Prima est Launoyi, qui in sexto canone Concilii Nicaeni actum esse contendit de iure metropolitico, non vero de iure patriarchico, quia canon Metropolitas nominat, non Patriarchas; ex quo consequeretur, Patriarchatum non modo Ecclesiarum Antiochenae et Alexandrinae, verum etiam Ecclesiae Romanae in universum Occidentem eo Concilio recentiorem esse.

Launoyo respondet Natalis Alexander Hist. Ec-

cles. sect. IV, dissert. 20, propos. 1: « Nomen Patriarcharum post Nicaenae Synodi tempora invaluisse, sed rem ipsam nihilominus exstitisse ante Concilium Nicaenum. Natura enim ita comparatum est, ut nomina rebus ipsis posteriora sint... Canon sextus Nicaenae Synodi Metropolitanos nominat, non Patriarchas : quoad proprium nomen concedo, quoad rem ipsam nego. » Et revera Nicaenum canonem de Patriarchis loquutum esse, sic probat initio eiusdem dissertationis: « Episcopi qui Dioecesim, id est multas provincias regunt, non sunt Metropolitani simplices, sed Patriarchae; atqui canon sextus Nicaeni Concilii agit de Episcopis, qui regunt Dioecesim, id est multas provincias, et quibus subsunt plures Metropolitani; non agit igitur de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis. Agit enim hic canon de Alexandrino Episcopo, cui Aegypti, Libyae, Pentapoleos, Thebaidis, Mareotae, Ammoniacae, et Mareotidis provinciae parebant, ut ex Sancto Epiphanio haeresi 68, et ex illo canone colligitur, et cui decem ad minus Metropolitae suberant, ut colligitur ex epistola Theodosii Imperatoris ad Dioscorum, quae refertur in Concil. Chalcedon. actione prima. Agit de Antiocheno Episcopo, cui subiiciebantur omnes Orientis provinciae, ut colligitur ex Sancto Ioanne Chrysostomo homilia 3 ad populum Antiochenum, et ex Sancto Hieronymo in epistola ad Pammachium, Asiana, Pontica, et Thracica Dioecesibus exceptis, quae ab Exarchis suis administrabantur una cum suis Synodis, ut constat ex canone XI Synodi Constantinopolitanae Oecumenicae II. Agit denique de Romano Episcopo, qui toti Occidenti praeerat, ut colligitur ex Sancto Basilio

epistola 20; ex Sancto Augustino lib. 1 contra Iulianum cap. 2; ex Sancto Hieronymo in epistola ad Marcum, et in lib. adversus Vigilantium; et ex Innocentio I in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum. Agit, inquam, de Romano Pontifice, cui septem vel octo Dioeceses subiiciebantur, nimirum duae in Italia, solidum Illyricum, quod ex una Dioecesi postea in duas discerptum est, Galliae, Britanniae, Hispaniae, et Africae. Itaque canon sextus Nicaeni Concilii agit de Episcopis, qui Dioecesim regunt, id est multas provincias, et quibus subsunt plures Metropolitani: ac proinde non agit de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis. »

Altera opinio eorum est, qui censent, Patriarchas et Metropolitas iure divino institutos. Opinio omnino falsa; nam catholici Doctores omnes consentiunt, graduum et potestatis inter Episcopos distinctionem a Christo institutam non esse, adeoque Episcopos divino iure esse pares inter se ordine et potestate. « Ratum illud, ait Thomassinus de vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1, lib. 1, cap. 7, certumque est, iure divino niti Principatum Episcoporum in privatis Dioecesibus, tum Papae super Episcopos omnes orbis: cum Metropolitanorum, Exarcharum, Patriarcharumque auctoritas ecclesiastica ab institutione originem ducat. » Quare Dupinius de antiq. Eccles. discipl. diss. 1, § 6: « Metropoliticam, inquit, aut patriarchicam dignitatem a Christo institutam fuisse, merum commentum est, quod ne verisimilitudinis quidem umbram habet. »

Patriarchis Alexandrino et Antiocheno duo postea Patriarchae accesserunt. Nam Antistites Con-

stantinopolitani auctoritate Synodi Constantinopolitanae I, et subreptitio canone 28 Synodi Chalcedonensis fulti, cum Romanis Pontificibus de patriarchali dignitate diu et pertinaciter concertarunt. S. Leo ac Gelasius diu obstiterunt, nec umquam adduci potuerunt, ut canonem reciperent, confirmarentque, imo diserte exploserunt ac reprobarunt. Verum ad quamlibet schismatis occasionem removendam, tum quia Episcopus Constantinopolitanus Imperatoris fretus auctoritate parochialia iura exercere non destiterat, tum quia caeteri Patriarchae iuri suo iamdiu cessisse videbantur, Apostolica tandem Sedes tum eamdem Ecclesiam Constantinopolitanam, tum etiam Ecclesiam Hierosolymitanam, eo insigni titulo in Concilio Chalcedonensi iam donatas, Patriarchatus honore et iuribus exornavit. Innocentius autem III in Concilio Lateranensi IV hunc dignitatis ordinem inter Patriarchas constituit, « ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat. »

Quod autem exarchas et metropolitas spectat in eam sententiam libentius imus, quae ipsorum institutionem apostolis acceptam refert, quandoquidem huiusmodi dignitatum specimen quoddam, et valde perspicuum ab Apostolis relictum est, praesertim in Tito et Timotheo, quorum alteri insula Cretensis, et alteri tota Asiana provincia commissa est. Cum vero apostolicam institutionem dicimus, eo nomine intelligi volumus, non apostolos singulos, sed totum Collegium Apostolorum, sive eius

collegii caput et principem S. Petrum ob id maxime, quia Christus in Ecclesiae institutione nullum potestatis gradum inter Petrum et Episcopos constituit; haec autem graduum accessio fieri non potuit, nisi supremae totius Ecclesiae, eiusque capitis auctoritate, cum in unaquaque societate institutio novorum munerum publicorum ad summam potestatem pertineat.

§ 46.

De Patriarcharum iuribus.

Inter Iura Patriarcharum tria erant praecipua. Primum erat ius consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi, postquam tamen ipsimet Patriarchae a Romano Pontifice pallium accepissent. Ordinationes vero Episcoporum ad Metropolitas pertinebant. Verum hac in re non una eademque obtinuit ubique disciplina: nam Patriarcha Alexandrinus peculiari iure fruebatur non modo Metropolitas, sed cunctos etiam sui Patriarchatus Episcopos confirmandi consecrandique. Hinc per Nicaenam Synodum damnata est Meletii Lycopolitani Episcopi audacia, propterea quod per provincias Aegypti, quarum Meletius Metropolitanus erat, Episcopos ordinasset, eoque pacto sibi ius arrogasset, quod ad Patriarcham Alexandrinum pertinebat.

Alterum Patriarcharum ius erat, ex provinciis sibi subiectis Synodos cogere, eisdemque praesidere.

Tertium erat a Metropolitarum iudiciis appellationes accipere.

Erant praeterea Patriarchis alia iura, ius ex.gr. canones ad universam Ecclesiam spectantes Metropolitis et Episcopis patefaciendi, ius enormium criminum veniam sibi reservandi, ius Stauropegii, seu ius figendi crucem in novi monasterii erectione, quo fiebat, ut ab Episcopis exemptum potestate, sub immediata patriarchae iurisdictione subiiceretur, et alia eiusdem generis, quae apud canonicae rei interpretes, et praesertim apud Thomassinum de vet. et nov. Eccl. discipl. part. 1, lib. 1, cap. 9 et lib. 11, cap. 58, et apud eruditum Auctorem dissertationis *de Patriarchis* Romae ann. 1776 editae, abunde descripta atque illustrata invenientur.

Enuntiati quatuor Orientis Patriarchatus iamdudum extincti sunt, una permanente Romana Sede, quae missis in irritum omnibus inferorum conatibus, perpetuo stabit in ea petra, in qua divinitûs fundata est. At ex ruinis Patriarchatuum Orientalium, pro sectarum multitudine et varietate, multi patriarchae emerserunt, inter quos Antiochenus Patriarcha Graecorum Melchitarum, Patriarcha Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Patriarcha Syrorum, Patriarcha Babylonensis nationis Chaldaeorum in Mesopotamia, et Patriarcha Ciliciae Armenorum, qui catholici sunt, communionem et gratiam Apostolicae Sedis habentes. Hisce Patriarchis eadem fere iura, quibus Patriarchae antiqui fruebautur, Apostolica Sedes largiri solet. Sed necesse est, ut novus quisque Patriarcha ad praescriptas formulas et catholicam fidem profiteatur, et sacramentum fidelitatis praestet, tum suae electionis confirmationem, et pallium a Romano Pontifice consequatur. Vide Constit. Benedicti XIV « NUPER AD NOS » datam die 16 Martii 1743. Caeterum spiritualis cura catholicorum latini ritus in iis regionibus degentium delegatis apostolicis, et missionariis commissa est. Ne patriarchalium Orientis Sedium memoria inter catholicos penitus obliteretur, S. S. Patriarchas latinos creare solet, qui titulum quatuor antiquorum Sedium Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae et Hierosolymitanae, ac

praerogativas honoris habent, quin imo Pius IX Litteris Apostolicis « NULLA CELEBRIOR » 23 Iulii 1847 exercitium iurisdictionis latini Patriarchae Hierosolymis restituit cum residentiae obligatione, et allocutione habita in consistorio secreto 4 Octobris eiusdem anni « QUISQUE VESTRUM » factum hoc Cardinalibus nuntiat, novumque nominat Patriarcham.

In Ecclesia Occidentali sunt alii Patriarchae *minores* dicti, videlicet Patriarcha Venetus, Holl. Pat. Venet. Heidelb. 1776; Ulysiponensis, Clem. XI Constit. « IN SUPREMO » 1716; et Indiarum, de quo Lequien Oriens Christianus t. 1, qui Romanae Sedis privilegio Patriarcharum nomine donati fuerunt, iurisdictione tamen Metropolitas non superant, quippe nomine dempto, in reliquis sunt similes inter se.

§ 47.

De Exarchorum et Primatuum iuribus.

Tres in Ecclesia Orientali Exarchae exstiterunt, Ephesinus in Dioecesi Asiana, Heracleensis in Thracia, et Caesareensis in Pontica. Alii orientales Episcopi exarchorum titulo cohonestabantur, ut Metropolitanus Cyprensis, et Episcopus Thessalonicensis. Vide Cl. Binterim « Denkwürdigkeiten der Christl. Katholischen Kirche. » vol. 3. Hi fere omnia Patriarcharum iura exercebant, paulo quidem Patriarchis inferiores, Metropolitis tamen dignitate superiores. Sed iamdudum interierunt, quandoquidem ex eorum provinciis Patriarchatus Constantinopolitanae Ecclesiae erectus fuit, relicto exarchis dumtaxat nomine et honore consessus. Hi porro neutiquam confundendi sunt cum Exarchis, qui veluti supremi Imperatorum Orientalium duces, et sub hoc Exarcharum titulo, Longobardis in Italia resistebant, et Imperii graeci reliquias in ea tutabantur, licet per impotentiam

et avaritiam maiora fere, quam hostes ipsi damna suis offerebant. Horum primus fuit Longinus Patricius, qui anno 568 Ravennam missus fuit, postremus fuit Eutychius, sub quo ultimus Rex Longobardorum, Ravenna expugnata, finem exarchatus fecit circa an. 752: hac ratione Exarchae graeci Ravennae, annos circiter 185 praefuerunt. Frequentissima in ecclesiasticis historiis illorum mentio occurrit, ideoque cum aliis Exarchis minime sunt confundendi. Nunc ad Primates.

Primates initio vocati fuerunt Episcopi, qui principem locum aliquem in Ecclesia tenerent. Sic Romanum Pontificem legimus totius Ecclesiae Primatem interdum vocatum esse; et Concilium Chalcedonense act. XVI, « Ecclesia Romana, inquit, semper habuit Primatum. » Et in eodem Concilio Patriarcha vocatur Primas Dioeceseos. In Africa Metropolitae vocabantur Primates, seu primae Sedis Episcopi; id quod ex cap. 19 collectionis Africanorum Conciliorum manifestum est. Prima autem Sedes in provinciis Africae non erat alicui Ecclesiae affixa, sed ius metropoliticum, seu Primatus, de civitate alia in aliam transferebatur, et semper Episcopo, qui non aetate, sed ordinatione senior esset, tribuebatur; excepta Carthagine, cuius Episcopus provinciae Africae sic dictae firmiter Metropolita, seu Primas habebatur. Extra quoque Africam Metropolitae Primates provinciae dicebantur. In Concilio Bracarensi I can. 6 haec habentur: « Item placuit, ut, conservato Metropolitani Episcopi Primatu, caeteri Episcoporum secundum suae ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum. » Et S. Leo Magnus ep. 53 ad Anatolium CP. Episcopum scribit: « Non con-

vellantur provincialium iura Primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites. »

Primates vero peculiari et proprio nomine appellantur Episcopi earum Sedium Episcopalium, quibus Sedibus Vicariatus Apostolici dignitas quondam adnexa fuit; huiusmodi sunt Arelatensis, Lugdunensis in Gallia, Moguntinus in Germania, Toletanus in Hispania, Pisanus in Italia, aliique. His modo solum honoris nomen sine ulla potestate relictum est. Non audemus tamen idem asserere de Hungariae Primate, utpote qui appellationes a sententiis omnium Archiepiscoporum Hungariae etiam in praesentiarum recipit.

Quod denique ad Archiepiscopos attinet, S. Isidorus Hispalensis in tract. *de Etymologiis* cap. 12 ex quo sumptus est can. CLERICUS dist. 21: « Archiepiscopus, inquit, graeco dicitur vocabulo, quod sit summus Episcoporum; tenet enim vicem Apostolicam, et praesidet tam Metropolitanis, quam Episcopis. » Modo autem Archiepiscopus et Metropolita idem sonant, neque amplius duae sunt distinctae dignitates, sed una eademque; quin imo si contingat, ut Archiepiscopus nullos Episcopos Suffraganeos habeat, neque est, neque Metropolita dici poterit.

Conf. P. Dande S. I. Hierarch. cap. 4.

§ 48.

De Metropolitis.

Metropolita est civitatis Metropolis, sive civitatis in provincia principis Episcopus, qui toti provinciae praeest. Porro Metropolitae ex vigenti disciplina, et praesertim ex Tridentinae Synodi decretis, in omnes suae provinciae Episcopos iurisdictionem habent. Magna quidem fuit olim Metropolitarum auctoritas in suos Episcopos Suffraganeos: namque Episcopi Suffraganei apud suos Metropolitas accusari debent, can. 7 Concilii Carthaginiensis III, quin imo ab eis excommunicari poterant (cap. 52 de sent. excommun.). At vero Concilium Tridentinum iudicialem Metropolitarum potestatem imminuit; nam cap. 8, sess. XIII de reform., et plenius sess. XXIV, cap. 5 decrevit, ut « causae criminales graviores contra Episcopos, quae depositione, aut privatione dignae sint, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. Minores vero criminales causae Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, vel deputandis per Concilium provinciale. » Quia vero de causis civilibus Episcoporum nihil in eodem Concilio statutum fuit, idcirco ex communi Canonistarum sententia permanet ius antiquum, quo sancitum est, ut civiles Suffraganeorum causae apud Metropolitas agantur.

Metropolitis integrum est tertio quoque anno Episcopos provinciae ad Concilium provinciale convocare, et non obedientes poenis coërcere. Conc. Trid. Sess. XXIV, c. 2 De reform.

Demum Metropolitae suorum Suffraganeorum negligentiam supplent, eosque tum ad servandam residentiae legem, servatis Constitut. Urbani VIII « SANCTA SYNODUS » 12 Dec. 1634 et Ben. XIV « AD UNIVERSA » 3 Sept. 1776, compellunt, tum ad Seminaria erigenda. Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 1, et 18 De reform.

Sed Metropolitae in Dioeceses Suffraganeorum nulla iurisdictione pollent, nisi *in appellatione*, *in sacra visitatione*, et *in devolutione*. Primo itaque in *appellatione;* namque ius dicunt inter eos, qui a sententia Suffraganeorum ad eos provocant. Secundo in *visitatione;* olim Metropolitae, utcunque ita res postulare sibi videbantur, Dioeceses Suffraganeorum lustrare poterant (cap. 1 de cens. in 6). At Synodus Tridentina huic rei modum quemdam constituit, ut nimirum « a Metropolitanis, etiam post plene visitatam propriam Dioecesim, non visitentur cathedrales Ecclesiae, neque Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali. » (Sess. XXIV, cap. 3 de reform.). Tertio denique *in devolutione;* si enim Capitulum cathedrale intra octo dies ab Episcopi obitu Vicarium capitularem eligere neglexerit, facultas eumdem Vicarium constituendi ad Metropolitam devolvitur. Conc. Trid. Sess. XXIV, C. 16).

Vide Usserium de origine Episcoporum et Metropolit.; De Marca de concord. Sacerd. et Imper. lib. 6, cap. §. 5; et Thomassinum de vet. et nov. Eccl. discipl. lib. 1, part. 1, cap. 2.

§ 49.

De Cruce et Pallio.

Insignia Patriarcharum, Primatuum et Metropolitarum sunt CRUX, quae ipsis praefertur, et PALLIUM, quod super vestes pontificales defertur. De more praeferendae crucis disserit Thomassinus de vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1, lib. II, cap. 8, et denique concludit, « praelatas esse cruces Pontificibus primum Romanis, inde Legatis pontificiis, ac denique Archiepiscopis, quod nemini non persuasissimum esset, nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem imperiumque, aut constabiliendum, aut propagandum. » Hoc insigne primum a Sede Apostolica suis Legatis, deinde Patriarchis, postea Primatibus, demum aliquibus Archiepiscopis concessum est. Aetate vero Clementis V, ius praeferendae crucis Archiepiscopi omnes obtinuerant; id quod manifestum est ex Clementina II de privilegiis: « Archiepiscopo per quaevis loca exempta suae provinciae facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut crucem ante se libere portare faciat.... sacro probante Concilio, praesentis Constitutionis serie duximus concedendum. »

Pallii nomine venit sacrum indumentum, videlicet fascia quaedam lanea, coloris nivei in modum circuli contexta quae humeris ac pectori advolvitur, habetque ab utraque parte lineas in pectum et humeros impendentes cum sex sericis crucibus nigris quae tribus aciculis aureis consuitur et alligatur, extremis inferius profluentibus. Eius origo

antiquissima, sed incerta. Quidam arbitrantur, pallium nihil aliud initio fuisse, quam imperiale indumentum, quod Constantinus Magnus, aliique Imperatores Romanis Pontificibus et Patriarchis concesserunt, et addunt, processu temporis, factum esse, ut veluti sacrum ornamentum, et plenitudinis officii pontificalis symbolum haberetur. Ita Petrus de Marca de Conc. Sac. et Imperii I, 6, c. 6, n. 6, Van Espen Ius Can. part. 1, f. 19, c. 5, et Boehmerus Ius Eccl. Protestant. t. 1, qui addit « olim pallium genus fuisse indumenti imperatorii, quod Imperatoribus adeo proprium erat, ut praeter hos illo nemo uti posset, eodem tamen ex gratia Caesarum Patriarchas gavisos fuisse, » In eamdem sententiam concessere Zackius Institut. Iuris Ecclesiast. vol. 2, p. 2, et Plank, « Geschichte der Christlichen Kirchlichen Gesellschaftsverfassung, » qui originem ad quartum saeculum figit. Quidam putant pallium ab Ecclesia inductum fuisse exemplo Ephod, vel *rationalis* et *superhumeralis*, quod unus Hebraeorum summus sacerdos gestabat, ex Lev. VIII, 7-8. Baronius ad an. 336, n. 65 ait: « Ita in christianae religionis sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantum Pontificis cessit usui, ab eo tamen compluribus Episcopis magna ex causa communicatum. » Aliis autem pallii origo, seu institutio ex mysticis eius significationibus repetenda videtur. Non desunt, qui autumant, S. Linum, qui anno 59 summum pontificatum tenuit, pallii auctorem exstitisse. Auctor enim, sub nomine Eusebii Caesareensis sermone de Epiphania, habet: « Nihil antiquius veste illa sacerdotali archipraesulis nostri, quae illi vesti de vetere Testamento successit

Ephod bysso auroque contextae, qua, *in signum plenissimae auctoritatis*, primus Linus amictus est, *cui et typum dedit et nomen*, ut a veteribus accepimus scriptoribus, quam appellavit et Pallium. » Verum tantum abest, ut Linum primum invenisse pallium ex hoc testimonio desumatur, quin potius inde concludi posse videtur, pallii originem Petro potius ac Apostolis esse adscribendam. Nam ex citatis verbis nil aliud desumitur, quam quod *in signum plenitudinis potestatis*, primus Linus, pallio amictus fuerit, *cui typum dedit et nomen*, quae quidem verba sat aperte significare videntur pallio et ipsum Petrum diserte usum esse, veluti propria veste, Linum vero successorem, tanquam sacrum indumentum successionis typum, *et signum plenitudinis potestatis* gestasse. Alii tandem Marco Evangelistae primam eiusdem originem tribuunt. Liber vero pontificalis tradit S. Marcum Pontificem instituisse, « ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur. « Quae quidem opinio, quoniam apocryphis et imbecillibus argumentis nititur, plerisque omnibus non probatur. Haec de pallii origine indicasse sufficiat. Consule Nic. de Bralion « de Pallii archiepisc. » c. 16, Barthel de Pallio, et opusculum, cui titulus: « De s. Pallii origine Philippi Vespasiani Historiae Ecclesiasticae in Collegio Urbano Professoris disquisitio, Romae 1856, nec non La Civiltà Cattolica n. 147, p. 329, A° 1856.

Verum ex opinionum discrepantia satis intelligitur, certum et apodicticum monumentum nullum exstare, quo vera origo pallii perspecta planeque cognita habeatur. Illud vero certum est,

quod veteres scriptores omnes, qui de pallio loquuti sunt, non illud ornamentum profanum, sed sacram vestem, signumque rei sacrae fuisse testantur: quae testimonia faciunt contra opinionem eorum, qui pallium Imperatoribus acceptum referunt. Sic acta Metrophanis Patriarchae Constantinopolitani apud Photium biblioth. cod. 256 referunt, eum, postquam senio confectus, rogante Constantino Magno, successorem Alexandrum sibi designaverat, pallium in sacra mensa deposuisse, ut successori traderetur. Igitur pallium, regnante etiam Constantino Magno, quem primum eiusdem auctorem ostentant, inter sacras vestes recensebatur. Saeculo vero V Isidorus monachus et Presbyter Ægyptius lib. 1, epist. 136 haec habet: « Episcopi pallium non e lino, sed e lana confectum, ovis pellem denotat, quam aberrantem quaerens Dominus in proprios humeros sustulit. Episcopus enim Christi typum gerens illius munere fungitur, et omnibus ipso habitu ostendit, se boni et magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates ferre voluit. Atque attende sedulo: cum enim verus ipse Pastor accedit, apertis venerandis Evangeliis, et assurgit Episcopus, et imitationis vestem deponit. » Et Symmachus Pontifex, ineunte saeculo VI, in epistola ad Theodorum Laureacensem Episcopum ita scribit: « Idcirco pallio, quod ex Apostolica caritate tibi destinamus, quo uti debeas, secundum morem Ecclesiae tuae, solerter admonemus; pariterque volumus, ut intelligas, quia ipse vestitus, quo ad missarum solemnia ornaris, signum praetendit crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, et mundialibus illecebris in affectu crucifigi. » Unde infertur, ab

hoc saltem saeculo a RR. PP. pallium Metropolitanis, aliisque antistitibus traditum fuisse. Pallium dicitur sumptum de corpore B. Petri, non ex eo tantum, quod supra altare, ubi conditum est corpus S. Petri, benedicitur et inde sumitur, sed ex eo praecipue, quod partem exprimit ecclesiasticae potestatis, quae a Beato Petro eiusque successoribus traditione Pallii dimanat in eos, qui illud recipiunt.

Pallium intra tres a consecratione menses petendum est in solemni Romanae Ecclesiae conventu, seu consistorio a Summo Pontifice consueta formula, hoc est, INSTANTER, INSTANTIUS, INSTANTISSIME: propterea quod, ut S. Gregorius Magnus ad Brunichildam Reginam scribit cap. PRISCA dist. 100: « Honor pallii nisi fortiter postulanti dari non debet. » Electus autem Archiepiscopus petere debet per se ipsum, si Romae adsit, per procuratorem vero, si absit; neque pallium ei conceditur, nisi prius fidelitatem et obedientiam erga Summum Pontificem iureiurando spoponderit. « In Archiepiscopis illud est peculiare, inquit, Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. II, cap. 5, quod ne per consecrationem quidem assequantur plenitudinem officii sui, nisi Pallium receperint a Romano Pontifice, ex cap. NISI SPECIALIS de auctoritate et usu pallii; non quod pallium aliquid superaddat consecrationi quoad Ordinis potestatem, sed quia liberum praebet accepti Ordinis exercitium, et archiepiscopalis muneris quamdam veluti perfectionem affert et complementum. » Itaque Metropolita ante pallii receptionem neque se Archiepiscopum nominare, neque Synodum provincialem indicere potest, neque visitare provinciam, neque chrisma conficere, neque dedicare Basilicas, neque ordinare Clericos, neque Episcopos consecrare (cap. 28 SUPER EO de elect.).

Solus Romanus Pontifex, in missarum solemniis, semper et ubique pallio uti potest; caeteri nonnisi intra fines suae iurisdictionis, et statis certisque diebus, de quibus Pontificale Romanum part. 1, tit. de Pallio, ac paullo aliter, quam enumerantur a Glossa in C. Ad Honorem, ubi etiam formula traditionis Pallii describitur.

Pallium semel acceptum Personae sic inhaeret, ut alteri commodari non possit, nec transit ad haeredes dignitatis, neque Archiepiscopus ab una ad aliam sedem translatus pallium secum defert, sed novum semper petendum est; et ubi Archiepiscopus obierit, pallium seu pallia, si plura acceperit, cum eo humanda sunt.

Quamvis vero pallium sacrum insigne sit, quod solis de iure competit Archiepiscopis, attamen ex S. P. privilegio nonnulli, qui et re et nomine simplices Episcopi sunt, consueverunt pallio decorari; at huiusmodi Episcopis pallium in meram datur honoris significationem, non ut aliquid iuris per illud tribuatur, quo antea carerent. Itaque dum RR. PP. Suffraganeos Episcopos pallio honestant, semper expresse cavere solent, ne quid praeiudicii ex hoc inferatur auctoritati, et iuribus Metropolitarum, tum etiam ne aliorum Episcoporum ordo in praecedentia et consessu ullo modo perturbetur, his in pontificali diplomate additis conditionibus « non tamen illud (pallium) deferas in praesentia Archiepiscopi, nisi de illius consensu, et salvo in omnibus iure metropolitico, et salvo quoque fratrum tuorum Coepiscoporum et ordine et loco. »

De caeteris pallii determinationibus disserere ad institutum nostrum non pertinet. Vide Const. Ben. XIV « rerum ecclesiasticarum, ubi plura, quae ad recentiorem disciplinam spectant, exponuntur. Unum hoc adiicio, quaesitum fuisse, an qui Episcopus consecratus ad Archiepiscopatum Moguntinum, vel Coloniensem promoveretur, pallio nondum impetrato, iure inaugurandi Regem Germanorum uti potuerit? Pro negativa sententia alii steterunt, inter quos Bohemerus, et Zackius op. cit. Alii in affirmativam descenderunt, praecipue quod solemnitas inaugurationis per se non Ecclesiam, sed regnum respiceret, nec unctio ministerium quoddam sacrum regi tribueret, unde ad actum Ordinis vere hierarchicum referri nequit. Vide Riegger Iurisp. Eccl. p. 2, Schmidt Thes. Iur. Eccl. t. 2, et Barthel opusc. de Pallio.



CAPUT VI.

DE EPISCOPIS

§ 50.

De nomine Episcopi.

Graeca vox est Episcopus, quae latine interpretatur Inspector, Speculator, seu provisor, quo sensu accipienda sunt verba all. ff. de num. et honor. ubi, qui pani et venalibus caeteris rebus praesunt, Episcopi appellantur. Recte igitur sacri et ecclesiastici scriptores ea voce usi sunt, ut summum sacerdotem designarent, qui veluti Inspector et speculator commisso sibi Gregi invigilat. Ad rem S. Aug. q. 126 haec habet: « Altior in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut, veluti in specula constituti, superintendant, et custodiant populum. » An vero nomen Episcopi, aliquando non solum Episcopis, verum et Presbyteris commune fuerit, non congruunt scriptorum sententiae, de quibus confer Hon. Tournely de S. Ord. art. de mai. et sacr. ordin. Illud autem certum est, multum sane discriminis Episcopum inter et Presbyterum intercedere, cum Eccl. Catholicae firmissimum dogma sit Episcopos superiores esse Presbyteris non solum potestate ordinis, sed etiam iurisdictionis, quemadmodum definivit Concilium Tridentinum Sess. XXIII, de Sacr. Ord., cap. 7. Sed operae pretium est de Episcopi potestate aliquid distincte explicateque dicere.

§ 51.

De potestate Episcopi.

Episcopi in locum Apostolorum successerunt, unde consequitur, potestatem Apostolorum in Episcopos transivisse, quod ex natura successionis perspicuum est. At vero Apostolis succedunt in regimine Ecclesiarum, sive in potestate Episcopatus, non vero in extraordinaria potestate Apostolatus: secus enim non singulariter Episcopi, sed Apostoli dicendi essent. Enimvero Apostoli, praeter singularia quaedam dona supernaturalia, veluti miraculorum, linguarum, prophetiae, infallibilitatis et similia, quibus missionem suam comprobarent, amplissima etiam potestate a Christo donati fuerunt, quam quidem potestatem in tres veluti partes seu species, nempe in potestatem *Apostolatus*, *Sacerdotii*, et *Episcopatus* partiri et dividere recte possumus.

Ad *Apostolatum* pertinet amplissima potestas, sine loci ullius, aut gentis exceptione, fidem ubique praedicandi, Ecclesias fundandi, Episcopos constituendi, tum Episcopis a se constitutis, tum eorum subditis regulas, praecepta, legesque praescribendi, et caetera eius generis agendi, salvo tamen Petri primatu, cui Apostoli ipsi in suae potestatis usu subiiciebantur. Haec autem potestas Apostolatus extraordinaria fuit, et idcirco fundatis ordinatisque Ecclesiis, tamquam completo opere, propter quod concessa fuerat, cum Apostolis interiit. « Petri privilegium, ait de Marca in tractatu de singulari Primatu Petri cap. 8, reale fuit in Eccle-

siae perpetuum commodum, non autem personale, cuius generis erat reliquorum Apostolorum dignitas. Hi namque Ecclesias per varias orbis provincias instituentes, singulas suis finibus circumscriptas, Episcopis propriis regendas committebant, sicque munere a Christo sibi delato fungebantur. » Et Natalis Alexander dissert. IV, in saeculum 1, § 4, ait: « Cum Apostoli fere omnes fixas sedes non habuerint, Episcopi Apostolorum successores dici non possunt, nisi in genere, ut loquuntur Theologi nostri polemici, id est dici non possunt speciatim successores Andreae, vel Philippi, quorum auctoritas, cum extraordinaria esset, cum ipsis interiit. »

Sacerdotii potestas, quae in conficiendo Sacrificio et remittendis peccatis versatur, Presbyteros successores habuit; sive, ut verbis utar Tridentinae Synodi sess. XXIII, cap. 1 « a Domino Salvatore nostro Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem eius, nec non peccata dimittendi et retinendi, Sacrae Litterae ostendunt, et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit. »

Denique *Potestas Episcopatus* totam ordinis, seu imponendi manus potestatem complectebatur, et simul potestatem peculiares Ecclesias regendi ac gubernandi. In hanc itaque potestatem Episcopi succedunt, quamobrem Tridentina Synodus cit. sess. XXIII, cap. 4 declarat Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, « a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. »

Cum igitur Episcopi in singularium Ecclesiarum regimen Apostolis succedant, illud consequitur, potestatem et iurisdictionem Episcoporum singulorum intra fines Ecclesiae, ad quam legitime missi sunt, coërceri. « Usu namque, ait Natalis Alexander cit. loc., etiam ab Ecclesiae incunabulis receptum est, ut caeteris Ecclesiis singuli Episcopi praeficiantur, ut patet ex Apostolo, ep. ad Titum c. I, 5: « Huius rei gratia, inquit, reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi. » Sic etiam Petrus ep. I, cap. V, 2 ad Episcopos ait: « Pascite qui in vobis est gregem Dei. » Ad Apostolos autem dictum est: « Ite in universum mundum, praedicate Evangelium omni creaturae etc. » Ex his enim verbis constat, Episcopos Apostolorum successores uni loco addictos fuisse, cuius limitibus eorum potestas coarctaretur. Propterea consuetudo Ecclesiae ab apostolicis temporibus obtinuit, ut Metropolitae et Patriarchae ipsi certas haberent constitutas provincias, aut Dioeceses, quas regerent; neque potestatem ullam in alienis Dioecesibus exercere poterant. Hac Ecclesiae consuetudine nitebatur S. Hieronymus adversus Ioannem Hierosolymitanum Episcopum. Hinc Concilium Nicaenum inhibuit can. 15: « ne Episcopus a civitate in civitatem transiret. » Porro qua ratione potuit Concilium Nicaenum uni loco Episcopum addicere, cui, auctoritate divina in omnes Ecclesias, citra ullam exceptionem aut limitationem, ius concessum esset? Episcopoporum igitur potestas ad omnes omnino Ecclesias non se porrigit.

Praeterea animadvertendum est, Episcopos, facta

legitima assignatione plebis, quamquam legitimi propriique Pastores sint, non tamen plenitudinem potestatis exercere posse. Bossuetus in sermone de unitate Ecclesiae ad eam rem comprobandam utitur argumento ab eadem unitate ducto. Sic enim ratiocinatur: « Cum Christus Dominus iurisdictionem universalem et potentiorem UNI commiserit, cumque vero eamdem multis aliis communem esse voluerit, necessario sequitur, ut in istis eadem auctoritas subordinata sit: duo enim, pluresve Summi Imperantes in uno eodemque potestatis genere independentes omnino repugnant: quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. » Et revera Episcopatus ex Cypriani sententia unus est, quemadmodum Ecclesia una est, et proinde pars Episcopatus ab unoquoque Episcopo in solidum tenetur, quatenus unusquisque Episcopus regit suam peculiarem Ecclesiam, quae totius Ecclesiae pars est. Sunt multi, ut idem Cyprianus loquitur, arboris rami, sed una arbor. At vero si peculiares Episcopi in suis Dioecesibus omnia possent, neque ulli superiori potestati obnoxii essent, tot essent distinctae et *independentes* Ecclesiae, quot Episcopatus, quemadmodum multi arboris rami a radice, et reliquo corpore disiuncti unam arborem non efficiunt. Verum hac super re nullus dubitandi locus relinquitur, cum fidei dogma sit, Episcoporum potestatem obnoxiam esse Summi Pontificis auctoritati; ex quo consequitur, ut Sedis Apostolicae et sacrorum canonum decretis Episcopi subesse debeant, eorumque potestas in eius usu intra quosdam limites restringi et contineri possit. Ex quibus omnibus intelligitur ordinem episcopalem in apostolis divinitus esse in-

stitutum, in Episcopos autem, quatenus Apostolis in Episcopatu succedunt, duplicem potestatem descendere tum sacri ministerii, tum spiritualis regiminis, quorum altera potestas ordinis, altera iurisdictionis appellatur. Duplicem hanc potestatem nonnulli Canonistae, quos inter Philipps et Permadener, atque etiam Theologi nec perfecte exactam esse nec undequaque accurate definitam retinent, adeoque potestatem ipsam partiuntur ac dividunt in potestatem *ministerii*, *magisterii*, et *imperii*. Potestas *ministerii* seu *sacramentalis*, res sacras, ac Sacramenta administrat. Potestas *magisterii*, seu *doctrinalis*, res fidei et morum docet atque definit. Potestas denique *imperii*, seu *gubernalis*, ut aiunt, ad Ecclesiae gubernationem spectat, coniunctamque auctoritatem habet condendarum legum, iudicandi, poenisque coërcendi. Nos veterem et usitatam divisionem sequimur et potestatem ecclesiasticam partimur in potestatem ordinis, ac iurisdictionis, quandoquidem haec divisio ad naturam potestatis ecclesiasticae explicandam aptior esse videtur. Itaque de utraque potestate dicturi, a priori initium sumimus. De potestate vero ministerii opportunus erit dicendi locus, ubi ostendemus, seorsim agentes, quod et quale docendi munus Episcopi, in sua quisque Dioecesi acceperint.

Quae diximus de potestate Episcoporum satis per se sufficiunt ut refutetur celebre illud pravarum opinionum systema, quas Nicolaus ab Hontheim ex libris haereticorum desumptas et mitioribus verborum formulis involutas spargere inter catholicos tentavit in libro praesertim de Statu Ecclesiae, quem edidit an. 1763, sub mentito nomine Iustini Febronii I. C. Porro hoc systema, etsi deinde ab auctore quoque suo reprobatum fuerit, late tamen apud nuperrimos Ecclesiae turba-

tores pervulgatum est, et non solum subdolis verbis ad decipiendos incautos, sed aliqua etiam veritatis mixtura conspersum, ea mente ut, amplificatis Episcoporum iuribus, denegetur Summo Pontifici omnis supra caeteros Antistites vera iurisdictio. Interim si nosse cupias, quemadmodum non solum Romanus Pontifex, sed etiam Episcopi alii librum a Febronio editum decretis proscripserint, lege Zaccaria Antifeb. vindicat. diss. 1, c. 1, et Feller Dictionnaire historique art. Hontheim.

§ 52.

De potestate ordinis.

Episcopi potestate ordinis omnia sacramenta administrant, aliasque sacras functiones obeunt. Huius autem potestatis sunt tres veluti partes, sive species. Prima est earum rerum, quae divina institutione ad Episcopos proprie pertinent, nimirum administratio confirmationis, et ordinum collatio, quod Trid. Syn. definivit sess. XXIII, c. 7. Secunda est earum rerum, quae tametsi Episcoporum propria sint, institutione divina, tamen Pontificis voluntate et delegatione a Presbytero, tamquam extraordinario ministro, fieri possunt, uti sunt administratio confirmationis, confectio Chrismatis et minorum ordinum collatio. Qua quidem Pontificis delegatione ius divinum non immutatur, sed potius extraordinarius sacramenti minister ex rationabili et urgenti admodum causa constituitur, eiusque rei potestatem in Pontifice sitam esse ex usu et traditione Ecclesiae comprobatur. Unde consequens est earum rerum, quae divina institutione ad Episcopos pertinent, duplex esse genus: unum earum, quae simplici Presbytero delegari possunt; alterum earum, quae non possunt. Tertia denique est earum rerum, quae institutione ecclesiastica so-

lis Episcopis commissa sunt, cuius generis est Regum et Sacrarum Virginum consecratio, Ecclesiarum et altarium dedicatio benedictio Abbatum, et generatim omnis benedictio, in qua sacra unctio adhibetur. Haec autem omnia, quamquam non divina, sed ecclesiastica auctoritate instituta sint, quia tamen ex iure communi episcopali ordine adfixa sunt, idcirco Episcopi nequeunt ea presbyteris demandare.

§ 53.

De potestate iurisdictionis.

S. Cyprianus in tit. de unit. Eccl. « etsi, ait, pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus. » Singuli profecto Episcopi, dum sibi creditas Dioeceses pascunt ad regimen universae Ecclesiae, quae ex his Dioecesibus constat, operam et industriam conferunt. Praeterea Episcopis ius subsellii est in Conc. Generalibus, ferendique suffragii decisivi, et una cum R. P. fidei, morumque capita definiendi et generales disciplinae canones constituendi. Quamvis eorum iudicium non adeo exploratae auctoritatis sit, ut errori obnoxium esse nequeat, nisi S. Pontificis sententia accedat, et quae definita sunt, sua iste auctoritate confirmet, ipsi tamen in conciliis generalibus non consiliarii, neque consultores, sed iudices habendi sunt, ut superius libro primo vidimus. Praeterea Episcopi in extraordinariis Ecclesiae calamitatibus in unum locum per se convenire possunt, ut instanti necessitati

providcant. Quae quidem omnia ad bonum et administrationem totius Ecclesiae pertinent. Verum hoc loco dicendum est de illa potestate, quae in spirituali alicuius dioecesis regimine et administratione versatur, et potestas iurisdictionis vocatur, quandoquidem cum imperio coniuncta est. Huius potestatis partes praecipuae sunt quinque: hoc est iubendi, iudicandi, corrigendi, dispensandi et administrandi. Aliquid de singulis disseremus.

§ 54.

De iure iubendi.

Primum itaque Episcopum ius est iubendi, seu leges ferendi, quibus obtemperari oportet. Quocirca Apostolus fidelem populum monuit: « Obedite Praepositis vestris, et subiaccte eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Innumera sunt Sanctorum Patrum loca, quae hanc iubendi parendique divinam legem apertissime confirmant, quae omnia in medium proferre et longum esset nimis, et non necessarium.

At vero Episcopus vel in Synodo Dioecesana leges iubet, vel extra Synodum. Apud Canonistas certum est, leges in Synodo latas perpetuas esse; cum sint regulae stabiles communitati propositae, ideoque in suo robore permanere, etiamsi Episcopus supremum diem clauserit: *perpetuas* inquam, non *immutabiles;* namque ab ipsomet legislatore, vel ab eius successore deleri possunt, vel immutari. Verumtamen in disputatione positum

est, an leges ab Episcopo extra Synodum latae, et per simplex edictum promulgatae, post mortem, aut renuntiationem, aut translationem ipsius Episcopi adhuc vigeant? Assentimur autem iis, qui perpetuas esse affirmant, tum quia ea est natura legis, ut sit perpetua, tum quia leges ab Episcopis latae sive in Synodo, sive extra Synodum, vim omnem ab eodem Episcopo accipiunt.

At vero Episcopus leges condere potest, quas ad vitia coërcenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam, aut fovendam necessarias et utiles arbitratur. Sic etiam legibus latis corrigit et emendat, si qua sibi corrigenda emendandaque esse videantur. Publicas et privatas preces pro Ecclesiae necessitate, aliisque iustis de causis indicit, orandi formulas minus pietati congruas abolet, vetat abusus, qui in indulgentias, in imagines, et reliquias Sanctorum, in Sacramentorum administrationem, et in Missarum celebrationem forte irrepserint, et generatim potest Episcopus ea iubere, quae pro locorum, personarum, ac temporum ratione ad Dei cultum, et salutem animarum conducunt, et prohibere contraria.

Sed minime potest leges condere, quae Iuri ecclesiastico communi adversentur. Siquidem, ut praeclare scripsit Cardinalis Bona in epist. 259 ad Ioannem Baptistam Thiersio, « communes Ecclesiae leges, ritus, et consuetudines ubique receptae eius duntaxat auctoritate tolli, vel mutari possunt, cuius est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas, alioquin ingens fieret disciplinae, et Hierarchiae ecclesiasticae perturbatio. » Vide Be-

nedictum XIV de Synod. Dioec. lib. 12, cap. 1. Unde fit, ut in usu potestatis episcopalis regulae et modi servandi sint, quos Sacri Canones posuerunt: et Episcopus nec in negotia superiori potestati reservata falcem immittere possit, neque leges a Summis Pontificibus, aut ab Oecumenicis Conciliis latas immutare, nec quidquam contra statuere, propterea quod, ut ait Clemens VIII, « lex Superioris per inferiorem tolli non potest. » Attamen Episcopus potest aliqua praeter ius praestituere, quibus subditi obtemperare tenentur. Vide S. C. C. Ferent. Capell. 1 Martii 1832.

§ 55.

De iure iudicandi.

Regimen Ecclesiae, quod divino iure Episcopis concreditum est, aut nihil, aut certe parum efficax esset, si Episcopi iudicandi potestate carerent. Itaque catholicorum nemo dubitat, quin causae spirituales, neque non ad negotia ecclesiastica spectantes, *privative* ut aiunt, ad forum Ecclesiae pertineant; adeoque certum est: « Episcopum esse ordinarium iudicem, et in tota sua Dioecesi iurisdictionem ordinariam habere » c. 7 de off. ord. in 6. Crimina quoque, quae fidem, aut religionem laedunt, solus iudex ecclesiasticus cognoscit, et in reos animadvertit. Item Episcopus iudicat tum causas, quae mixti fori dicuntur, id est quae tam ad forum Ecclesiae, quam ad forum laicale pertinent, cuius generis sunt causae adulterii, periurii, blasphemiae, et caeterae, quae Religionem simul et rem publicam violant, tum

causas omnes civiles, seu criminales, in quibus Clerici conveniuntur.

Sed quoniam de potestate Ecclesiae iudiciali et coërcitiva, de causis, quae ad forum Ecclesiae pertinent, singillatim lib. IV dicendum erit, idcirco satis erit hoc loco admonere causas omnes ad forum ecclesiasticum quoquo modo pertinentes, etiamsi beneficiales sint, itemque matrimoniales, et criminales ab Ordinariis Locorum in prima instantia cognoscendas atque definiendas esse, quod Tridentina Synodus edixit cap. 20, sess. XXIV de reform. Quin imo laicis in controversiis cuiuscumque generis integrum est, si libeat, Episcopi tribunal adire: sed potiori iure ad tribunal Episcopi provocare permittuntur viduae, orphani, pupilli, aliaeque personae miserabiles, quibus opitulari ab Ecclesiae incunabulis non ultima fuit Episcoporum cura.

§ 56.

De Potestate corrigendi.

Potestati iubendi iudicandique penitus insita est potestas *coërcitiva*, qua criminosi et contumaces coërcentur, ideoque ab Episcopis virga adhiberi potest, quam minatus est Apostolus ep. I ad Corinth. cap. IV, 21: « Quid vultis in virga veniam ad vos? » Quapropter Episcoporum est non modo monitionibus et adhortationibus, verum etiam, ubi hae nihil prosint, censuris, poenis canonicis, poenitentiis salutaribus, multis etiam pecuniariis criminosos et contumaces coërcere, quin imo graviorum criminum sontes, eosdemque contumaces

a communione abscindere, et denuo, si indubia poenitentiae signa dederint, in communionem recipere possunt. At in poenis infligendis ea norma servanda est, quam Episcopis proposuit eadem Tridentina Synodus sess. XIII, cap. 1 de reform. Ceterum de qualitate poenarum plura dicentur lib. 4, cap. de Iud. Eccl.

§ 57.

De Iure dispensandi.

Incidunt saepe iustae causae, propter quas privati homines aliqua lege solvuntur, « quia, ut scribit Symmachus Papa in epistola ad Avitum Viennensem, quod fit praeter regulam, modo sit EX IUSTA CAUSA, non infringit regulam, quam sola pervicacia, et antiquitatis contemptus laedit. Nam quamquam a Patribus statuta diligenti observatione, et observanti diligentia sunt custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset, si praevidisset; et saepe crudele esset insistere legi, cum observantia eius esse praeiudiciabilis Ecclesiae videtur; quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant. »

Itaque Episcopi in omnibus legibus sive ab se, sive ab eorum praedecessoribus, vel in Synodo Dioecesana, sive extra Synodum latis dispensare possunt; « omnis enim res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » At vero super legibus Summorum Pontificum et Conciliorum generalium, et universim super iure ecclesiastico

communi, nulla est Episcopis dispensandi facultas; idque, ut ait Garcia part. 2, cap. 5, num. 351 « provenit ex natura rei, quia Episcopus est inferior, et inferior non habet potestatem in superiorem, nec in eius legem. » S. Thomas Sum. p. 12, q. 97, art. 4. Hinc Archiepiscopus Trevirensis ad Imperatorem Iosephum II eius fratrem, scite admodum ita scripsit: «Mihi persuadere nullo modo potui, Episcopos originarie potestatem habuisse dispensationes concedendi, quarum ob octodecim retro saeculis ne vel unum datur exemplum.... Nequaquam igitur Summus Pontifex Episcopos dispensandi potestate spoliavit, nec se eadem spoliaverunt Episcopi, cum illa numquam sint potiti. Idque non a quadam humana reservatione profluit, sed a lege naturali, quae leges superioris ab inferiorum potestate eximit. » Vide litt. Pii VI 26 Nov. 1786, quibus Eybelii error proscribitur, et Colloquia Doctoris Ingolstatiensis de rebus ad Ecclesiae doctrinam et disciplinam pertinentibus. Dusseldorpii 1789.

Haec veritas auctoritate Sacrorum Canonum confirmatur. Innocentius III cap. 20 de Electione, manifeste significat, « neminem posse a canone dispensare, qui saltem parem cum latore canonis potestatem non habeat. » Et Ioannes XXII cap. unic. de religios. domib. inter Extravagantes eiusdem Pontificis palam edixit: « Episcopis non licere quid concedere contra formam Concilii generalis. » Profectò, si ius esset Episcopis relaxare legem ab Ecclesiae potestate constitutam, tota everteretur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, ac proinde actum esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta, ut ait Pius VI Brevi ad Archie-

piscopum Coloniensem 20 Ianuarii 1787. Vide memoriale Card. Pacca an. 1786.

Sunt tamen aliqui eventus, in quibus Theologi passim et Canonistae docent licere Episcopis in iure communi dispensare. Itaque Episcopi non totius Dioecesis, vel alicuius Communitatis gratia, sed tantummodo pro privatis personis, iustisque de causis ius commune relaxant:

1° *Ex iure id permittente.* Sic Episcopi potestatem habent dispensationis tribuendae super bigamia similitudinaria, cap. 4 SANE DE CLERIC. CONIUG. et cap. I QUI CLERICI VEL VOVENTES: dant veniam filiis illegitimis ad minores ordines, et ad unum simplex beneficium cap. 1 de fil. presbyt. in 6: dispensant in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum; Concil. Trident. sess. XXIV, cap. 6 de reform.; eos interstitiorum lege solvunt, qui minoribus, vel etiam maioribus ordinibus initiandi sunt, Concil. Trid. sess. XXIII, cap. 11 de reform. Et qui ad aliquem ordinem, omissis inferioribus, ascenderit, quique *per saltum promotus* dicitur, cum eo, si non ministraverit, poterunt Episcopi « ex legitima causa dispensare, » ut inquit Trident. Synod. sess. XXIII, cap. 13 de reform. Eximunt etiam a lege proclamationum, quae ante matrimonium fieri debent, Concil. Trident. sess. XXIV, cap. 1 de reform. matrim.

Praeterea Episcopi relaxant tum vota simplicia, si quinque excipias vota, scilicet castitatis, religionis, et trium peregrinationum, quae per Extravag. ET SI DOMINICI GREGIS de poenit. et remiss.

Summo Pontifici reservata sunt, tum iuramenta, quia, ut ait Tabiena v. IURARE q. 20, « nullum iuramentum est Pontifici reservatum : » verum de his legendi sunt Theologi in tractatu de religione.

2° *Ex legitima consuetudine.* Idcirco Episcopi dispensant in ieiuniis, in festorum observantia, et cum iis, qui ius petendi debitum coniugale iam amiserint. Generatim vero consuetudo legitime praescripta iurisdictionem confert cap. 9 de offic. iud. ordin., atque adeo fieri potest, ut Episcopi aliquarum Dioecesium quasdam dispensationes super iure communi licite et valide largiantur, propterea quod ipsorum Decessores eadem potestate usi sunt. Sed praeter caeteras conditiones, quas ea consuetudo comites habere debet, duae sunt praecipuae; quarum prima est, ut consuetudo sit, ut aiunt, immemorabilis, aut saltem centum annos sine ulla intermissione perstiterit; altera est, ut « per eam ecclesiasticae disciplinae nervus non dirumpatur. » Confer Bened. XIV de Synod. Dioeces. lib. 9, cap. 2, et quae diximus nos lib. I, § 27.

3° *Ex praesumpta et interpretativa Pontificis delegatione.* Hinc Episcopus relaxare potest *occultum* impedimentum, propter quod matrimonium publice contractum non consistit; imo non desunt magni nominis auctores, qui Episcopo facultatem asserunt auferendi occultum dirimens impedimentum, quod matrimonio contrahendo obsit, si tales urgeant circumstantiae rerum, ut neque Summus Pontifex consuli, nec matrimonium sine scandalo et infamia differri possit. In eo siquidem rerum eventu, si ad tot mala praecavenda non

alius suppetat modus, praesumi debet Summum Pontificem ex suavi et provida Ecclesiae gubernatione dispensandi facultatem Episcopo delegare. Verum de hac re fuse loquar in separato opere de Matrimonio.

4° Denique *ex speciali delegatione*. Interdum enim Pontifices quasdam dispensandi facultates Episcopis conferunt. De quibus nihil attinet dicere, nisi quod earum limites praetergredi nunquam licet.

Existit quaestio valde gravis, nempe utrum *in dubio* Episcopo liceat dispensare? Plurimi Doctores affirmant tum ex natura reservationis, quae odiosa est, adeoque restringenda, tum ex natura iurisdictionis Episcopalis, cui in rebus dubiis favendum est, tum denique ex utilitate fidelium, queis onus Apostolicam Sedem adeundi imponendum non est, nisi certis de causis et exploratis. Hinc Carrière de Matrimonio p. 3, n. 1071, 1088, Lequeux Man. Comp. Iur. Can. t. 1 prid. c. 3, n. 297, Magnin op. cit. l. 2, c. 3, aliique concludunt Episcopum dispensare posse, sive dubium sit iuris, circa legis existentiam, eiusque extensionem, sive sit facti, hoc est, dum agitur, utrum casus reservatus dicendus sit, ac proinde dispensatione indigeat. Allata tamen argumenta aliquibus videntur non satis firma, praecipue si agatur de dubio facti, ob eam praesertim causam, quia destituuntur omni auctoritate canonum; namque, ut ait Sanchez de matrim. lib. 8, disp. 6, num. 7: « Nullibi invenio posse Episcopum vere dispensare in hoc dubio. » Et Franciscus Hennus tract. de legib. dist. 3, p. 15, art. 4, conclus. 4: « Concessionem dispensandi, ait, habent Episcopi

respectu legum Pontificiarum secundum aliquos in dubiis, an casus egeat dispensatione. Sed crediderim recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, quia in dubiis pars tutior est tenenda. » Idque pro certo habendum videtur, dum agitur de Sacramentis ex propositione ab Innocentio XII damnata: « Licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. » Nihilominus tamen S. Alphonsus de Ligorio in sua Theologia Morali, lib. 1, append. 2, cap. 3 de privilegiis Episcoporum, ita scribit: « In impedimentis dirimentibus solus Pontifex potest dispensare. Quod si impedimentum esset dubium, communissima est sententia posse etiam Episcopum dispensare... et quamvis Sanchez, in tractatu de matrimonio lib. 8, disp. 6, num. 8 id neget, tamen in decalogo lib. 4, cap. 40, num. 26, videtur se retractasse; ibi enim ait tanquam ex regula generali: Cum dispensationis conservatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubii enim non comprehenduntur sub reservatione. » Auctores de re morali disputare quoque ulterius solent, an existente iuris, vel facti dubio de aliquo impedimento dirimente, matrimonium, non petita et impetrata dispensatione, iniri licite possit et in varias de more abeunt sententias. De hac re plura disseruntur in Ephemeridibus « Mélanges théologiques, » 6me série pag. 363 et seqq., et « Revue théologique » 2me série pag. 25, Febr. 1857, quas adolescens cognoscendae veritatis cupidus, Doctoresque ibi citatos consulere poterit, simulque videre, quae de hoc argumento habentur in Thes. S. C. C., causa 18 Sept. 1852, ubi ad dubium: « An et quomodo matrimonia sint

permittenda aut prohibenda in casu? » responsum fuit: « Consulat probatos auctores, et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem, saltem ad cautelam. » Pro nostro instituto sufficiat notare 1°: In dubio facti, sedulo inspiciendum est an praesumptio stet pro impedimento, an non; si primum, pro impedimento standum est, quia factum unde impedimentum oritur, cum positum sit, praesumitur perfectum. Sic si copula ex. gr. locum habuit, sed dubitatur an fuerit consummata, ac perfecta, impedimentum existit. Si alterum, impedimentum non obstat, quia de eo non constat et factum non praesumitur, nisi probetur. 2° In dubio iuris Episcopus vel resolutionem a S. S. postulabit, ubi primum circumstantiae sinunt, vel, si hoc remedium adhiberi nequeat, aut utetur potestate dispensandi ipsi communiter in casu agnita, aut declarabit simpliciter posse procedi.

§ 58.

De Iure administrandi.

Quintum denique ius Episcoporum in administrando versatur. Administrare est Spiritualem curam suarum ovium gerere, resque ad Dei cultum, et pietatis opera pertinentes disponere, diligenterque curare. Itaque Episcopus ex officio et iure administrandi: 1° Ecclesias et Beneficia erigit, supprimit, servatis sacrorum canonum regulis; 2° Ecclesias parochiales, Praebendas, et Beneficia omnia suae Dioecesis confert, nisi fuerint reservata, vel affecta; 3° Deligit eos, qui clericali militiae adscribi, et ordinibus initiari postulant;

4° Munera et officia ecclesiastica iis defert, quos idoneos comperit, salvis semper iuribus Apostolicae Sedis, vel alterius legitimi collatoris; 5° In rectam administrationem bonorum etiam temporalium ad Ecclesias, et Loca Pia pertinentium incumbit; 6° Piarum voluntatum exsecutionem curat; quin imo, ex Tridentino Concilio sess. XXII, cap. 8 de reform., Episcopi etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegati in casibus a iure concessis (quando nempe exsecutores a pio fundatore designati in suo munere fungendo segnes negligentesque fuerint), omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt exsecutores; » 7° Denique Episcopis potestas est ea omnia curandi et agendi, quae ad rectam suae Dioecesis administrationem pertinent.

§ 59.

De consensu et consilio Capituli exquirendo.

Pleraque negotia a solo Episcopo non pendent. Nam sacri Canones iubent, ut Episcopus in rebus gravioris momenti consensum sui Capituli, aut saltem ipsius consilium requirat, quandoquidem Canonici Ecclesiae cathedralis sunt consiliarii nati Episcoporum in C. Novit. de his, quae fiunt a Prael. et c. quanto eod., et quemadmodum vices gerant antiqui presbyterii, cuius operam et consilium in regenda Ecclesia Episcopi adhibebant. Igitur generalis regula est, ne quid praesul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio, aut consensu agat, et ita quidem, ut quae de consensu Capituli fieri debent, eo neglecto, nulla sint. Quare

Episcopus et eum consensum exquirere, et illud facere cogitur, quod maiorCapituli pars faciendum esse duxerit. Dum vero consilium Capituli postulatur, oportet illud audire, non tamen sequi, quod consilium necessitatem non infert, eaque de causa tantum exquiritur, ne quid Episcopus inconsiderate et negligenter agat. At vero si Episcopus, ubi consilium petendum erat, illud non petierit, res gesta putatur valida, nisi consilium sub conditione actum irritante quaerendum esset. Qua de re legendus Schmalzgrueber ad hunc titulum num. 16. Quibus autem in rebus aut consensus, aut consilium Capituli requirendum sit, vix statui potest. Certe quidem consensu Capituli opus est in causis, ubi de re ad Capitulum quavis ratione pertinente agitur, in alienandis rebus ecclesiasticis, in coniungendis Ecclesiis vel Beneficiis. Consilium autem audiendum est in convocanda Synodo, et statutis in ea contentis, in puniendis clericis, in ferendis censuris, aliisque causis id genus, de quibus Interpretes ad hunc titulum fusiorem sermonem habere solent. Illud unum observabimus, quod ex antiqua suae Ecclesiae consuetudine eximi Episcopus potest ab obligatione aut consensu, aut consilii requirendi in iis quoque rebus, in quibus, spectato iure communi, ad consilium, vel consensum exquirendum obstringeretur, quod plane colligitur ex cap. Ea noscitur de his quae fiunt a Prael., et ex cap. Non est de consuetudine in 6. Verum ubinam locorum huiusmodi antiqua consuetudo de facto existat, necessariis praedita ac vallata conditionibus, ita ut nil contra opponi iure possit, inquirere ad nos non spectat, nec ita facilis res est. Consule auctores de hoc argumento

tractantes, et quoad Galliam vide inter alios, Sibour « Discussions diocésaines, » t. 1, p. 135—143, et Gousset Theolog. Mor. t. 2, n. 721; quoad Belgium, Cornelium Zypaeum cons. 17, et Van Espenium I. C. U. p. 1, l. 8, et quoad Germaniae populos Schram I. C. t. 1 Aug. Vindob. 1782, et Walter op. cit. Nobis hic sufficiat animadvertere consuetudinem, si qua, exstabat in Gallia et in Belgio, non posse amplius in medium afferri post Concordatum et Bullam «QUI CHRISTI,» qua novae Dioeceses, antiquis suppressis, constitutae sunt, novaque Capitula, antiquis iuribus ac privilegiis deletis, erecta, eo vel magis, quia tum Card. Caprara Brevi 16 Ap. 1804, vult, ut « ea Episcopum in Dioecesi, prout in iure constitutum est, adiuvent, » tum nuperrima Concilia in Galliis habita fatentur Capituli consilium ab Episcopis expetendum, et in nonnullis assensum obtinendum.

Antequam huic tractationi finem faciamus, non abs re visum est de potestate Episcoporum ea notare, quae sequuntur. Theologi et Canonistae disputant, utrum potestas iurisdictionis, quam exercent in suis ecclesiis *αμεσως*, seu *immediate* ac *proxime*, a Deo ipso, an potius a Romano Pontifice Episcopis conferatur? « De qua re, ait Zallinger iur. eccl. publ. § 363, animadverte primo: omnis sacra et ecclesiastica potestas remote ac primo est a Deo, tamquam gratiae collatore. Secundo: potestas Ordinis tam in Episcopis, quam in Presbyteris certe a Deo est proxime et immediate, a quo, positis signis sacramentalibus consecrationis, vel ordinationis, et character imprimitur, et potestas confertur, quae dein nullius hominis arbitrio auferri, imminui, amplificari potest. Tertio: potestas pon-

tificiae ac summae iurisdictionis certe immediate et proxime a Deo est; cum enim Electores Papae illam iurisdictionem non contineant, eam a se in subiectum, quod eligunt, derivare non possunt. Nihil igitur agunt, nisi ut personam designent, cui Christus potestatem a se institutam secundum promissionem suam dein conferat. Singulari hoc exemplo abutendum non est ad quaevis alia genera collatae et acceptae potestatis. Uti enim Episcopus in Presbyteros iurisdictionem pro foro interno, vel etiam externo derivat; sic non repugnat, ut Pontifex, in quo est plenitudo sacrae potestatis, eius partem in illos transmittat, qui in partem sollicitudinis vocari solent. » Pius VI Brevi ad Episcopum Motulensem haec protulit: « Sed tu mavis Regis gratia Episcopus nuncupari, teque hoc inscribere nomine gloriaris, novo ac prorsus insueto, et minime ad dignitatem episcopalem accommodato, utpote quae quoad ordinem immediate est a Deo, et quoad iurisdictionem ab Apostolica Sede. » Et Const. SUPER SOLIDITATE, 23 nov. 1786 « Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus est, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. »

Multa tamen in utramque sententiam dicta sunt, et non defuerunt qui assererent Episcopos per consecrationem fieri Pontifices, doctores, ac reges, simulque potestatem magisterii, ministerii et imperii accipere; verum ad id, quo spectamus, plura referre, non est necesse. Nobis in animo est tirones praemonere, ne in errorem inducantur, eo quod aliqui Canonistae in ea quaestione pertractanda ita

versantur, ut aut Episcoporum, aut Pontificis, et huius maxime, potestatem deprimant. Cavendum itaque ab iis est, qui censent potestatem Episcoporum sic a Pontifice impertiri, perinde ac si Episcopi ministri, aut vicarii Romani Pontificis essent: itemque ab iis, qui arbitrantur eam potestatem immediate a Deo ita conferri, ut Episcopos constituant veluti *Corregentes* Ecclesiae, vel *Optimates*. Nemini igitur plus tribuendum, quam veritas ipsa concedat; ideoque in alterutra sententia semper ob oculos habendum est, Episcopos esse veros Pastores Rectoresque suarum ovium, sed tamen ipsorum potestatem intra fines Dioecesium contineri, et ex ipsa lege divina superiori auctoritati, seu Summo Pontifici obnoxiam esse, adeo ut non solum illiciti, sed etiam irriti sint omnes iurisdictionis actus, quos Episcopi gesserint canonica destituti missione, vel gesserint extra territorium assignatum, aut in negotiis a superiore auctoritate exceptis ac reservatis. An Episcopi non uti singuli, sed uti membra corporis episcopalis recipiant immediate a Deo iurisdictionis potestatem in universalem Ecclesiam exercendam, dum quaestiones in concilio oecumenico sunt definiendae, vel extra aliquid cùm Rom. Pontifice decerni debet, quaestio est distincta, quam fuse tractarunt, inter alios Bolgeni op. l'Episcopato p. 2, c. 1, n. 164, et Maupied Iur. can. univ. Compendium, t. 1. p. 2, f. 1, § 1, p. 234; Philipps op. cit. l. 1; Benedictum XIV de Synodo dioecesana l. 7, c. 8, n. 7; et Analecta Iur. Pont. fol. 9, pag. 1846 et seqq.

Disputant etiam, quae sit ecclesiastici regiminis forma, an *democratica*, an *aristocratica*, an vero *monarchica?*

Iam vero non est *democratica;* hic turpissimus fuit error Richerii, qui docuit potestatem ecclesiasticam christiano populo, sive toti Ecclesiae corpori datam esse, quem errorem abunde ex dictis de Rom. Pontifice refutavimus, nec proinde necesse est in huius argumenti tractatione iterum versari. Bellarm. quidem controv. lib. 1 de Rom. Pont. cap. 3 ait, in forma regiminis ecclesiastici, « suum quemdam in ea locum habere democratiam, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere iudicetur. » Verum, ut observat Zallinger, Iur. eccl. publ. § 362: « Huic quidem assertioni quoad rem nemo catholicorum facile refragabitur; quoad loquendi modum, qui secundum receptas de imperii forma notiones disserit, aegre quisquam assentietur. Nam distinguenda est forma reipublicae a regiminis seu gubernationis modo. Si quis Rex regni sui officia et dignitates ex aequo distribuat pro meritis ac virtute cuiusque, nulla nobilitatis habita ratione, non ob id eius regnum formam democraticam induit, quae quidem forma ex solo subiecto potestatis summae determinatur. » Forma democratica tum stricte habetur, cum regiminis ratio ita est constituta, ut populus universus suam in supremis imperii iuribus partem habeat.

Neque forma regiminis ecclesiastici est *aristocratica;* huic enim maxime repugnat primatus honoris et iurisdictionis divinitus institutus, quo unus Romanus Pontifex S. Petri Successor universae Ecclesiae praeest. Igitur qui meram aristocratiam in Ecclesiam inducunt, catholicum dogma Primatus omnino destruunt: quapropter fa-

cultas theologica Lovaniensis propositionem M. Antonii de Dominis lib. 1 de rep. eccl. n. 12 in qua asserebat, « Ecclesiam Spiritu Christi instructam, et singulis Ecclesiis voluisse monarchiam, et in se totam aristocratiam, ut altera alterius vitia corrigeret, » hac gravissima censura notavit: « Propositio haeretica et schismatica, quatenus asserit, regimen universalis Ecclesiae esse aristocraticum. »

Cum igitur regimen ecclesiasticum non sit neque democraticum, neque aristocraticum, consequens est, illud esse vere *monarchicum*. Quoniam vero Episcopi sunt veri Pastores suarum ovium, et in Conciliis generalibus veri iudices, quaeritur an *vere* simul, aeque ac *mere* monarchicum sit? Qua super re non omnes unum idemque sentiunt. Verum communior sententia est regimen ecclesiasticum, illud quidem monarchicum esse, aliqua tamen aristocratiae specie temperatum. In quam sententiam cl. Zallinger Iur. eccl. pub. § 362 ita praeclare animadvertit: « Temperamentum istud aristocraticum non tale intelligi debet, quale in Statibus profanis esse solet, quorum forma mixta ex divisione iurium summi imperii ita oritur, ut quod in uno subiecto inest ius, non idem in altero insit, neque ab altero pendeat. Discrimen facit singularis unitas, atque unitatis conservandae obligatio, quam Christus suae Ecclesiae propriam fecit. Nam primo ipsa potestas Episcoporum, quae temperamentum illud aristocraticum efficit, perpetuo et ex natura sua alligata est ad centrum unitatis, ac supremam potestatem Vicarii Christi, eidemque subordinata, ut proinde haec mixtio aristocratica non absoluta, sed limitata sit.

Secundo quidquid iuris competit Episcopis, id eminente quadam ratione inest in Primate Ecclesiae, ac summo Vicario Christi. Haec, ni fallor, de aliis formis profanis ex monarchia et aristocratia mixtis asseri haud possunt, » et Wirceburgenses de princ. direct. c. 3, a. 1, n. 158: «Temperamentum sine diminutione stans in eo, quod optimates Ecclesiae eligi queant ex fidelium, aut clericorum coetu, electi autem non vicario tantum nomine, sed auctoritate propria principatum gerant, in designata sibi Ecclesia, neque ut consiliarii duntaxat, sed ut iudices ferant sententiam in conciliis, utrobique tamen cum inferioritate et dependentia a supremo capite, principe ac iudice, hoc, inquam, temperamentum perfectae monarchiae non officit, sed solitudinem duntaxat excludit. » Hoc temperamentum, ait Gerdilius comment. cont. Febronium, « non ad Pontificis imminutionem auctoritatis, sed ad eius subsidium ac robur valet. » Quibus attente perpensis, iam quisque diiudicare facile poterit, quantum profecto haec sententia, quae in Ecclesiae regimine temperamentum huiusmodi admittit, ab ea, quae regimen Ecclesiae *mere* et *absolute* monarchicum esse tuetur, discrepet et abscedat. Caeterum non ego admodum ei succenserem, qui ab ipso Monarchiae vocabulo abstinere vellet, dummodo Pontificis Romani primatum, ac iura eius omnia agnoscat ac profiteatur. Etenim nullum vidi Ecclesiae decretum, quo dogma Pontificii Primatus, adhibito etiam Monarchiae vocabulo enunciare iubeamur. Illud est certum, nempe Episcopos, etiamsi simul ipsi spectentur, nil prorsus statuere posse quod, Pontifice contradicente, ratum sit; e contra Summum

Pontificem per se plenissimam habere vim ut Episcopos tum singulos, tum universos obliget, siquidem Ecclesiae regimen id sibi vindicat proprii ac specialis, quod S. P. Episcopatum divino, et ipso iure institutum, sibi semper subiectum habeat, licet eum tollere nullatenus possit.

Qui plura desiderat de hoc argumento adeat, praeter cit. Bellarminum, Gretzerum « Defensio tertiae controversiae Bellarmini de R. P. et Card. Orsum diss. quae ecclesiasticae monarchiae forma, seu ratio explicatur op. de Rom. Pont. in Syn. oecumenicas » Romae 1740.

§ 60.

De officio docendi.

Sed quoniam de potestate Episcoporum dictum est, restat modo, ut de ipsorum officiis disseramus. Horum praecipua tria sunt; quorum 1° in docendo; 2° in residendo; 3° in visitando situm est.

Primum igitur et praecipuum munus Episcoporum est populum docere res omnes, quae ad aeternam salutem conducunt, et curare diligentissime, ut depositum fidei morumque praecepta incorrupte atque integre serventur. Quia vero ad Religionis, vitaeque integritatem custodiendam, conservandamque maxime accommodata atque utilis est praedicatio verbi Dei, idcirco Tridentina Synodus sess. V, cap. 2 de reform. statuit: « omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per se ipsos, si legitine impediti non fuerint, ad praedicandum. » Porro ad Episcopum spectat concionatores designare ac mittere, qui in sua Dioecesi

divinum verbum annuntient; idcirco praeter Parochos, quibus ad animarum curam semel probatis ius et officium est plebem sibi commissam erudire, nemini permissum est sine venia Episcopi praedicare. Regulares vero, ex decreto Concilii Tridentini sess. V, cap. 2 de reform., nisi de Superiorum suorum licentia, etiam in Ecclesia suorum Ordinum, praedicare non possunt « cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur. » Quin imo sess. XXIV, cap. 4: « Nullus, ait, sive saecularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat. » Gregorius XV Constit. INSCRUTABILI DEI PROVIDENTIA, et Clemens X Constit. SUPERNA, ad hanc rem declarandam haec habent: « Regulares qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo dioecesano benedictionem petere, praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus praedicare: » quin imo ex decisionibus S. R. C.: « Regularibus qui praedicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis, absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum . . . . munus praedicandi interdicere, eosque iuris remediis coërcere et punire. » Illud praeterea notandum ex

cit. Constit.: « posse Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus, aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit.» Concionatores quoque Quadragesimae sive Adventus, quorum deligendorum facultas laicis facta est, eo quod honorarium eisdem solvunt, ab Episcopo approbandi sunt.

Praeterea ne doctrina catholica falsis opinionibus, erroribusque depravetur, officium Episcopi est diligenter vigilare, ne quid fidei morumque disciplinae adversum in scholis privatis vel publicis tradatur. Ad eumdem Episcopum spectat in seminariis et collegiis Clericorum magistros designare, aut approbare, eaque praescribere, quae ab ipsis magistris doceantur. Concil. Trident. Sess. XXIII, c. 18 de reformat. Vide litteras Clementis XIV ad Stanislaum Poloniae Regem, et ad Ignatium Episcopum Wilnae datas die 18 decembris 1773, nec non opus « Notices historiques sur les Ordonnances du 16 juin 1828. » Lyon 1846. Nemini quoque licet librum aliquem, sive aliam quamcumque scripturam « imprimere vel imprimi facere, » ut ait Concilium Lateranense V, sess. 10, nisi prius Episcopus librum ipsum expenderit, eiusque edendi veniam scriptis exaratam dederit.

Nec expedita illa scribendi, imprimendi et in vulgus opera spargendi libertas, ac licentia, quae civili lege tribuitur, impedire potest, quominus id

fiat: nam civilis lex ordinem tantum politicum spectat, nec ad ordinem religiosum se extendit, quin imo si Princeps eo devenerit, ut scribendi libertatem, ea conditione tribueret, ut potestati ecclesiasticae ius censurae in libris edendis exercendae denegaret, nullum dubium, quin conditio haec, pro nulla et non adiecta habenda sit, utpote in se prava, ac iniusta. Fatemur tamen dari casus, quibus vix possibile est, ut Ecclesiae lex, àbsque incommodo servetur, praesertim quum religionis bonum exigere videatur, ut pestiferarum quarumdam ephemeridum viro statim antidotum opponatur, erroresque, nulla interposita mora refutentur; quo in casu dicendum prorsus est, quod optimae notae scriptores lege non teneantur, nec Episcopi eius exsecutionem adurgere constringantur. Vide opusc. P. Finazzi « La libertà della Stampa, » dialoghi. Milano 1858. Denique Episcoporum est, ex Trid. Syn. sess. XXIV, c. 3, de ref. « Sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere » et advigilare, ut omni ope, atque opera e fidelium manibus biblia ab haereticis sparsa, pravique omnes tractatus veneno pleni tollantur, quibus acatholici, perversique homines catholicam fidem labefactare et contemptum odiumque in clerum accendere moliuntur. Vide Encycl. Greg. XVI « INTER PRAECIPUAS » 8 maii 1844, et Pii IX « QUI PLURIBUS » 9 nov. 1848. Episcopus nequit quaestiones ad fidei morumque doctrinam pertinentes definire, qua de re vide quae diximus superius § 30.

Huc spectat notare, Episcopi officium esse curare divinum cultum, et videre ne quid peccetur in sacrificio Missae, in divinis officiis celebrandis, in

Sacramentorum administratione, in dierum festorum religiosa sanctaque observantia, in reverentia Ecclesiis sacrisque locis debita.

Praeterea excubandum Episcopo est pro clericalis Ordinis disciplina tuenda, et ubi opus fuerit instauranda, pro laicis in officio continendis, pro moribus emendandis, et pravis usibus tollendis.

Denique non postremum Episcoporum officium est Sacrificium offerre pro populo, curamque suscipere pupillorum, viduarum, et eorum qui in paupertate sunt, opisque alienae indigent. Quibus diebus, vel quoties in anno Episcopus offerre sacrificium pro ovibus suis debeat, nec divino, nec humano iure definitum est, et Canonistarum non una est hac de re sententia. Vide s. Alphonsum de Liguorio Theol. moral. l. 6, tract. 3, n. 326, et decis. S. C. RR. in Marsane 21 nov. 1831, ex qua deduci videtur diebus festis Episcopum pro populo Missam applicare debere.

§ 61.

De residentia.

Nemo dubitat, quin Episcopi in propria Ecclesia vel Dioecesi residere teneantur, hoc est in civitate, ubi cathedralis sita est, aut in aliquo Dioecesis oppido. At quo iure, divino ne an ecclesiastico tantum, ambiguum est. In Concilio Tridentino multa in utramque partem disputata sunt. « Cumque, ut refert Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 7, cap. 1, dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti a-

nimarum Pastores ad residentiam adigerentur, ac severae poenae contumacibus infligerentur : nihil tamen definiretur de iure, quo iidem continuo inter suas oves versari tenentur; quin imo ita decretum concinnandum Patres duxere , ut nihil inde alterutri sententiae detraheretur. » Sed communior sententia est, residendi onus a iure divino saltem *consecutive* proficisci , quin imo Fagnanus ad cap. Ex parte cap. 21: « Nullus, inquit, antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum tenerentur sub praecepto divino ad personaliter residendum » eo vel magis, quod « munia pastoralia nequaquam ab iis praestari possunt, qui gregi suo non invigilant, nec assistunt, sed mercenariorum more deserunt » ut ait Conc. Trident. sess. XXIII, c. 1, de ref. Dolendum sane est, non deesse Pastores , quibus valde onerosum est , vitam agere in suo ovili. At quocumque iure residentia Episcoporum praecepta esse putetur, in eo tamen omnes conveniuut , quod ex causa magnae necessitatis et utilitatis , quae S. Pontifici probata fuerit, liceat Episcopis e propria Dioecesi abesse. Qua de re prae oculis habenda est Syn. Trident. sess. XXIII, c. 1, et Constit. Ben. XIV Ad universae, in qua multa praeclara et animadversione digna habentur de residentia Episcoporum, causaeque designantur, ob quas, dispensatione apostolica, abesse ipsis permittitur, simulque instauratur congregatio specialis de residentia Episcoporum, quae erecta ab Urbano VIII pene desueverat.

Iam vero legitimae causae, propter quas ex Apostolicae Sedis dispensatione licet Episcopis a propria Dioecesi abesse , sic enumerantur ab eodem Concilio sess. XXIII, de Reform. c. 1: « Chri-

stiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas.» Praeterea ex leviori alia, aequa tamen, non futili causa eadem Synodus patitur, ut Episcopi quolibet anno duos, tresve ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, nulla petita venia, extra Dioecesim morari possint, dummodo « id fiat absque ullo gregis detrimento, quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore. » Idem Concilium Episcopos praeterea hortatur, ac monet, ne Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debent, ipsi ab ecclesia cathedrali ullo pacto abeant, nisi episcopalia munia eos alio in Dioecesi vocent. An Episcopi in sua Cathedrali Ecclesia hisce diebus residere teneantur, an vero satis sit, ut in Dioecesi commorentur, quaesitum fuit, et S. C. C. in Valversi 15 aug. 1630, huiusmodi quaestione accurate discussa, « censuit Episcopos temporibus, ut supra praescriptis, teneri in Ecclesia Cathedrali residere, nec satis est, ut in Dioecesi resideant, ita ut aliter suae obligationi non satisfaciant, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent. » Itaque Episcopus non accedens ad cathedralem hisce temporibus male agit, non vero incidit in poenam a Concilio Trid. impositam contra non residentes, si in Dioecesi commoratur. Poena etenim amissionis fructuum infligitur contra non residentes in Dioecesi. De hac poena sermo habetur duplici in loco; primo quidem sess. VI, c. 1, ubi dicitur: « Qui sex menses abfuit, quarta parte fructuum unius anni pri-

vetur in fabricam Ecclesiae, aut levamen pauperum eroganda; qui alios sex menses, aliam pariter quartam partem ipso iure amittat, et qui diutius adhuc abfuerit, gravioribus poenis a Romano Pontifice plectatur. «Alter locus est sess. XXIII, c. 1, ubi statuitur: « Episcopos absentes ultra tres menses, praeter reatum peccati mortalis, pro rata temporis absentiae fructus suos non facere. » Ut haec duo decreta componerent, auctores in varias abierunt sententias. Alii censuere per secundum decretum primum fuisse immutatum, seu priorem poenam fuisse in graviorem conversam. Alii autumarunt poenas utriusque decreti seorsim subsistere integrasque in vigore manere. Vide Henry diss. « de reservatione beneficiorum Lovanii 1863. Pius IV constit. In Suprema 25 nov. 1564 addidit poenam privationis a regimine Ecclesiae, ferendae sententiae, et amissionis facultatis testandi et disponendi.

Clar. Camus Episcopus Bellicensis op. «L'Esprit de S. François de Sales » p. 4, c. 3 refert Bellarminum ad sedem Capuanam promotum Paulo V, saltem per tres menses eum a residentiae lege dispensare volenti, ut eius consilio et opera Romae uteretur, restitisse hisce verbis: Saint Père, ce n'est pas ce que j'ai enseigné toute ma vie dans les écoles, où j'ai tenu que la résidence des Evêques était de droit divin et par conséquent indispensable et durant ces trois mois, de quelles mains sera redemandé le sang des ouailles qui périront? Vide Rosa de Resid. Episc.

§ 62.

De visitatione Dioecesis.

Residentia Episcoporum materialis esse non debet et otiosa, sed formalis et laboriosa, cum Episcopalis dignitas *nomen sit oneris, non honoris*, August. lib. XIX de Civit. Dei cap. 19, et ad cultum divinum atque ad procurandam animarum salutem ordinata sit. Cum autem Pastoralis cura omnes Dioecesis Ecclesias complectatur, idcirco inter Episcorum officia frequens Dioecesis visitatio recensetur. Itaque Conc. Trid. sess. XXIV, c. 3 de reform. iure merito praecipit, ut Episcopus singulis annis visitationem Dioecesis instituat, quam si propter eiusdem Dioecesis latitudinem intra annum explere nequeat, biennio saltem absolvat. Per se autem debent Episcopi Dioecesim visitare, nisi mala valetudine, aut alia ex causa detineantur: tunc vero eam visitationem Vicario Generali, aut alteri probato Clerico demandare iubentur ex eodem decreto Tridentino; quo derogatum est capiti Ut archidiaconus de offic. Archid., ubi, impedito Episcopo, facultas Archidiacono tribuebatur Dioecesim quolibet triennio visitandi.

Scopus autem visitationis est sanae et orthodoxae doctrinae inductio, morum emendatio, lapsae disciplinae restitutio, et recta ordinatio rerum omnium, quae ad personas, resque ecclesiasticas pertinent. Itaque visitatio *personalis* est, et *realis*. Visitatio personalis est inquisitio de vita et moribus personarum, deque earum officiis, videndi causa, an eisdem rite fungantur. Realis est inquisitio de ad-

ministratione, custodia, et statu Ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione, deque aliis rebus huiusmodi. S. C. C. censuit Episcopum non posse visitare, si aliter a Fundatoribus statutum fuerit, posse tamen in casu negligentiae Administratorum deputatorum ab ipsis fundatoribus iuxta cap. Tua nobis de testam., ex tom. I Decret. existen. in Archiv. Congregat. Concilii.

Personalem visitationem nemo est qui declinare possit, atque idcirco Episcopi de moribus omnium Christianorum inquirunt. Speciatim vero personas ecclesiasticas visitant, propterea quod ex bona, aut mala Clericorum vita institutio laicorum maxime pendet. Huic visitationi subsunt etiam Regulares curam animarum habentes, in iis tamen, quae ipsam animarum curam, et Sacramentorum administrationem spectant, eosque Episcopus corrigere potest, si non resideant, si non praedicent, aliisque parochialibus muneribus rite recteque non fungantur. Episcopi visitationi subsunt pariter Canonici ac Beneficiati Capitulorum etiam exemptorum, atque Episcopus in actu visitationis potest per se ipsum nullo canonicorum ad iudicium adscito, procedere ac delinquentes emendare; extra visitationem tamen nequit contra canonicorum quemlibet exempti Capituli procedere, nisi duobus aliis canonicis ad id sibi adiunctis, ac de eorum consilio et assensu.

Visitationi reali, seu locali subsunt Ecclesiae omnes ac beneficia, item hospitalia, Collegia, et Confraternitates Laicorum, non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt, sine ipsorum licentia, Montes pietatis, et omnia loca pia, et-

iamsi eorum cura ad laicos pertineat, et exemptionis privilegio sint munita, nisi aliter in fundatione statutum fuerit, ut superius diximus, ac demum omnia, quae ad Dei cultum, et animarum salutem, ad pauperes sustentandos instituta sunt Conc. Trid. sess. XXII, de Reform. cap. 8. Praeterea Tridentini Patres sess. VI, c. 4, et sess. XXV, c. 5, 6 et 9 de reform. decreverunt, ut Episcopus tanquam Apostolicae Sedis delegatus visitaret Capitula etiam exempta, qua de re praeclare agit Benedictus XIV de Synodo Dioec. lib. 13, cap. 9, tum Monasteria in commendationem data, in quibus regularis disciplina non viget, Coenobia item Sanctimonialium, quae Regularibus subiecta sunt, si agatur de clausura restituenda vel conservanda, et omnia beneficia etiam exempta, tum in Ecclesiis suae Dioecesis, tum etiam in Ecclesiis secularibus, quae *in nullius Dioecesi* esse dicuntur, dummodo Cathedralis Ecclesia Episcopi visitantis maiori Ecclesiae *nullius* sit proximior. Trid. Conc. sess. VII, c. 8, sess. 21, c. 8, sess. XXII, c. 8, et sess. XXIV, c. 9 de reform. Huc spectat decisio S. C. EE. et RR. 27 feb. 1863. Ad dubium: « An lex qua iuxta S. C. Trid. ordinarius tenetur communitates et monasteria dioecesis suae visitare, extendatur etiam ad communitates et monasteria quae a superiore vel superiorissa generali reguntur? » responsum est: « Ex audientia Sanctissimi, S. S. respondendum mandavit, nempe quoad regulares exemptos, negative, exceptis casibus a iure expositis; relate vero ad fratres et sorores piarum congregationum, votorum simplicium non exemptorum affirmative, salvis statutis et constitutionibus ab Apostolica Sede approbatis. »

De Visitatione Ecclesiarum et monasteriorum spectantium ad ordines regulares, vel ad congregationes saeculares exemptionis privilegio potitas, inspicienda est Constitutio eiusdem Pontificis Benedicti XIV : « FIRMANDIS » 6 nov. 1844, qua Ecclesiae domus, ac regulares omnes eximuntur a iurisdictione, visitatione, et correctione quacunque ordinariorum, exceptis iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, et casibus in quibus Episcopis iure delegati competit iurisdictio ad formam SS. CC., Concil. Trid., et Apost. Constitutionum. De visitatione coenobiorum, quae ad formam Const. Innocentii X « UT IN PARVIS » 10 decemb. 1654 omnimodae subiacent episcoporum iurisdictioni, videri poterunt declarationes hac super re a S. C. super Statu Regularium editae apud Giraldi, Expos. Iur. Pontif. p. 2, sess. 60, nec non decisiones S. C. C. 15 dec. 1767, 29 martii 1806, et Perus. 22 nov. 1834; tandem de visitatione Congregationum Saecularium haud exemptarum confer litteras Benedicti XIV « EMANAVIT NUPER » 21 ian. 1758 et Breve Leonis XII « CUM SICUT » 30 ian. 1827, quibus decernitur eos omnino subiici Episcopo in modo, forma, et assumptis materiis, excepto earum instituto, atque iis, de quibus constitutiones loquuntur, seu bonorum administratione, domorum gubernio, superiorum electione, novitiorum receptione, librorum exhibitione, archivi, ac bibliothecae indicibus.

In visitanda Dioecesi expedit Episcopum non iudicis, sed patris potius personam induere, nec processus conficere, nec sententias proferre, sed in iis quae manifesta sunt, nec multi examinis in-

digent, sine formulis iudiciariis, sed sola summaria cognitione procedere, et paterna caritate et mansuetudine correctionem potius adhibere, quam poenas. Ubi autem de visitatione, et morum correctione agitur, nulla exemptio, inhibitio, appellatio, seu querela exsecutionem eorum, quae decreta vel mandata sunt impedit, aut suspendit: tantummodo appellationi *in devolutivo*, ut dicitur, locus esse poterit. Vide Ben. XIV Const. ad Militantis 5 kal. ap. 1742. At si Episcopus, confecto processu, servatisque iuris solemnitatibus, quidquam decreverit, vel iudicaverit, ab eius sententia appellatio tum *in devolutivo*, tum etiam *in suspensivo* tribuitur, qua exsecutio suspenditur, et causa ad maiorem Iudicem defertur.

Cuncta in visitatione gesta ac reperta S. C. C. significanda, ac exponenda sunt, tum ut Ecclesiae capiti, cui a Christo cura et administratio universi gregis commissa est, omnium ecclesiarum particularium status innotescat, tum ut cuncti Episcopi suam cum Sede Apostolica societatem et communionem ostendant. Non longe a proposito egrediemur, si aliqua hic cursim attingamus de visitatione SS. Liminum, quae ab unoquoque Episcopo statis temporibus explenda est. Itaque iuxta varias locorum ac Dioecesium ab Urbe distantias visitatio SS. LL. aliis quidem Episcopis, iisque qui versantur in Italia, insulis adiacentibus Dalmatiae, finitimisque graecorum regionibus, tertio quoque anno, aliis autem 4, aliis 5, aliis demum singulis decenniis personaliter, seu per procuratorem idoneum, si legitimo impedimento detineantur, obeunda est, iuxta Const. Sixti V « ROMANUS PONTIFEX » 20 Dec. 1585. Visitatio haec tria complectitur, nempe 1. visitationem sepulcrorum SS. Apostolorum; 2. exhibitionem honoris, et obsequii in RR. PP.; 3 relationem status ecclesiarum, secundum instructionem. Ben. XIII propositis dubiis, seu postulatis, si quae in difficilioribus habeant Episcopi pro recta dioeceseos administratione. Neque quis tamen arbitretur Sixtum V fuisse, qui utramque legem de visitatione SS. LL. et de relatione status

Ecclesiarum primus invenit. Namque huiusmodi leges ex primatu consequentes tot antea saeculis viguisse constat, illudque Sixto V duntaxat tribuendum est, quod visitationum tempora congrua ratione determinaverit, quodque modum specialiter statuerit, quo postulata in Episcoporum relationibus proposita expenderentur, eisque opportune responderetur. Vide, praeter Fagnanum, Gonzalez, Thomassinum, Ben. XIV Const. « QUO SANCTA » 22 Nov. 1740, et de Syn. in fine, nec non Catalanum Comment. Ad Pont. Rom. t. 1, art. 9-6; Mamachium « Del diritto libero della Chiesa l. 3, p. 2, n. 3 et Zaccaria Antif. l. 3, c. 1.

§ 63.

De procurationibus.

Episcopo sacra Visitatione Dioecesim lustranti debentur procurationes, sive sumptus ad victum necessarii : *procurare* enim hoc loco est alimenta praebere. Hac de re Trid. Syn. sess. XXIV, cap. 3 de Reform. sancivit : 1° Nihil ut Episcopus vel sponte oblatum occasione, seu causa visitationis reciperet praeter procurationes, quae sibi, suoque honesto comitatui frugaliter et moderate praestandae sunt. 2° Ut iis, qui visitantur, optio esset aut solvendi eam pecuniae vini, quae antea Episcopis ex iure, vel consuetudine pendebatur, aut ipsa victualia in specie subministrandi, salvis antiquis pactionibus, quae cum Monasteriis, aliisve Locis piis, aut Ecclesiis non parochialibus initae fuissent, exceptis tamen itineris et equorum, seu vecturarum expensis, quae numquam Episcopo visitanti debentur. S. C. C. Ferent. 25 febr. 1826. 3° Ut si aliquibus in locis visitationes gratuitae esse consueverint, recepti mores servarentur. 4° Ut si quid amplius acceptum fuisset, Episcopus

intra mensem, tum poena dupli restituendi, tum aliis poenis arbitrio Synodi provincialis mulctaretur.

Praeterea ne quisquam Episcoporum semel aut iterum eodem anno visitationem Dioecesis insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurrat, ut saepius tondat, non autem ut novum medicamen eis afferat, tum S. C. Episcoporum et Regularium an. 1586, tum S. C. C. 18 sept. 1682, et deinde Kal. iun. 1737 declaraverunt. Episcopo Dioecesim bis eodem anno visitanti unicam tantum procurationem deberi. Huc etiam pertinet altera decisio eiusd. S. C. C. 28 1708, *in causa Ostunen. procurationis*, qua rescripsit Vicario Capitulari dioecesim post annum peractae visitationis visitanti deberi medietatem procurationum, quae Episcopo solvi consueverunt. Quaenam servanda sit methodus in visitatione abs Vicario Capitulari peragenda, statuit decretum Gregorii XVI 8 nov. 1843, quod habetur in Collect. Gardellini t. 8, n. 4826.

Procurationes autem praestandae sunt ab omnibus Ecclesiis Sacrae Visitationi obnoxiis, et a Clericis beneficiariis, dum visitantur, idque pro modo facultatum, ut statuit S. C. C. in Pient. proc. 17 dec. 1763; aut pro recepta consuetudine, ut habetur in Spolet. procur. 30 apr. 1746, ubi in causa contributi super procuratione « servari solitum » decretum est. Non sunt vero praestandae procurationes a laicis, neque ab Ecclesiis vi exemptionis, privilegii, vel consuetudinis hoc onere solutis, nec denique ab Ecclesiis civitatis Cathedralis, quia Episcopus nullis extra ordinem impensis in earum visitatione oneratur. Atque hanc sententiam iampridem probavit S. C. C., dum Episcopo Iada-

rensi rescripsit « c. 3, sess. XXIV de reform., ubi Conc. Trid. de procurationibus, seu victualibus subministrandis disponit, locum non habere in visitatione Ecclesiae Cathedralis sed Dioecesis tantum » quemadmodum refert Fagnanus ad cap. Venerabili 24 de Consil. Vide S. C. C. in Senegall. procur. 14 dec. 1765, Aquit. 18 ian. 1808, et Nursina 8 maii 1824.

§ 64.

De Cathedratico.

Olim Episcopo Dioecesim visitanti Cathedraticum solvi consuevit, quo nomine intelligitur certa pensio singulis annis Episcopo solvenda, idque in argumentum subiectionis et honoris, qui Cathedrali Ecclesiae tanquam matri a caeteris Ecclesiis tribui debet; ex Cap. PLACUIT 10, et CONQUERENTE de offic. ordin. Vocatur etiam Synodalicum, quod in synodo exigeretur, interdum etiam *pensio paschalis* vocari consuevit, ideo quod Synodus plerumque post Pascha celebraretur. Nullum ferme ius cathedratico antiquius est, illudque veteres Canones in certa quantitate taxarunt, ita ut duos solidos non excederet, de quorum aestimatione concertant Canonistae; at vero locorum consuetudo servanda est. Ius istud Tridentina Synodus non sustulit, sed vetuit tamen in visitatione exigi, quod multis probat Fagnanus in cap. CONQUERENTE de Off. Ordinarii, et in cap. Venerabili, ubi illustrat declarationem Concilii, quae sequitur: « S. C. C. censuit Concil. Trid. nequaquam sustulisse Cathedraticum, non illud tamen solvendum in visi-

tatione, sed extra, et in Synodi celebratione. » Cathedraticum ad legem dioecesanam pertinere dicitur: lex enim dioecesana est ius alicuius rei petendae recipiendaeque. Hinc praeter procurationem et cathedraticum Episcopus ex lege dioecesana exigit 1° *subsidium caritativum*, seu moderatum subsidium ex manifesta et rationabili causa a Clericis tribuendum, de quo vide S. C. C. in Gerundina Carit. subsid. 26, ian. 1760 penes Giraldi p. 1, I, 3 decr. tit. 39 seq. 83. 2° *quartam decimationem*, seu quartam partem decimarum, et *quartam mortuariam*, seu funerum, quae et canonica portio, seu quarta Episcopalis dicitur, atque Episcopo debetur ex legatis et oblationibus, quae Ecclesiae relictae sunt. Utraque haec quarta nititur veteri partitione bonorum, ex qua Episcopus quartam omnium redituum ecclesiasticorum recipiebat; in hisce omnibus consuetudo cuiusque Dioecesis retinenda est. Confer Benedictum XIV de Syn. Dioec. lib. 5, cap. 6 et 7, ubi multa de his Episcoporum iuribus disputantur.

CAPUT VII.

DE ADIUTORIBUS EPISCOPORUM

§ 65.

De Chorepiscopis.

Quoniam Episcopi ad gravissima munera vocati sunt, aliorum ope et auxilio prorsus indigent, hinc Episcopis Adiutores aliqui semper fuerunt, quorum alii ex veteri, alii vero ex nova Ecclesiae disciplina ortum habent. Huc pertinent Chorepiscopi, Archipresbyteri et Decani, Archidiaconi, Vicarii suffraganei, et Coadiutores, de quibus hoc capite dicemus; de Canonicis, Parochis ac Regularibus infra dicturi. Itaque Chorepiscopi constituti sunt in pagis et oppidis, ut Episcoporum vices agerent, eorumque nomine gubernarent. Quamobrem si rationem nominis spectes, eos Episcopos ruris, si rationem officii, administros et Vicarios foraneos Episcoporum recte nuncupabis. Unde Syn. Nyc. an. 314, c. 13 haec habet: « Vicarii Episcoporum, quos Graeci chorepiscopos vocant. Prima eorum mentio occurrit apud orientales in Conciliis Ancyrano et Neocaesariensi, quae ineunte saec. 4 habita sunt; apud occidentales vero primus eos memorat Syn. Regiensis in Gallia saec. V celebratus. Nonnulli putarunt Chorepiscopatum fuisse ordinem ab Episcopatu et Presbyteratu plane distinctum, quia in can. II Concilii Chalcedonensis sic decernitur: « Si quis E-

piscopus per pecuniam ordinaverit Episcopum vel Chorepiscopum, aut Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel quemquam omnino, qui subiectus est regulae, proprii gradus periculo subiacebit. » Ex hoc siquidem canone videtur Chorepiscopatus inter sacros Ordines numerari, qui per ordinationem, seu manuum impositionem conferuntur, dum eodem canone ecclesiastica officia, quae per promotionem, et non per ordinationem tribuuntur, seorsum ab Ordinibus recensentur. « Erit ergo, ait Thomassinus de nov. et vet. Eccl. disc. p. 1, l. 2, cap. 1, si his stare volumus, Chorepiscopatus unus e sacris Ordinibus, atque adeo divinae institutionis. At hoc (prosequitur idem Auctor) cum eius novitate aut aevi brevitate consistere minime potest. Non Chorepiscopos tria priora saecula habuere, nullos postrema. » Itaque Chorepiscopatui divina institutio deest, sine qua ullo pacto nequit sacris ordinibus accenseri; concilio autem Chalcedonensi, cum officia Ecclesiastica, et ordines recenseret, non immerito placuit Chorepiscopatum ordinibus potius sociare, quam officiis: officia enim temporale tantum ministerium habebant, sed Chorepiscopis spiritualis potestas Episcopis inferior, presbyteris autem superior data est; nimirum Chorepiscopis vi iurisdictionis ab Episcopo demandatae paraeciis pagorum, eorumque presbyteris cum potestate praeficiebantur.

At enim si Chorepiscopatus non alius fuit ab ordine Episcopatus et Presbyteratus, quaestio oritur, num Chorepiscopi veri Episcopi fuerint, an potius Presbyteri officio Chorepiscopi insigniti? Iam

compertum est in disciplina veteri interdum contigisse, ut Chorepiscopi electi sint, qui iam Episcopi essent, et propter persecutiones a suis sedibus pulsi, aut ob aliam causam, gerere Episcopatum non poterant, quales fuerunt Episcopi novatiani ad catholicam Ecclesiam redeuntes, quibus Concilium Nicaenum ita consultum voluit, ut vel ad presbyteri oppidani, vel ad Chorepiscopi officium reciperentur. Unde nonnulli dixerunt Chorepiscopos aliquando Episcopos, aliquando Presbyteros fuisse. Berardi Comment. t. 1, p. 217, Nardi Dei Parrochi t. 1, Spitz de Episc. Chorep. Bonnae 1785.

Verum in Episcoporum numero *Chorepiscopos* habendos esse putarunt Henricus Hammondus, Guillelmus Beveregius, et alii, idque ob eam praesertim causam, quia Athanasius in apolog. contra Arian. « Marcotes, inquit, regio est Alexandrina, in qua numquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus, sed universae illius regionis Ecclesiae Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt, imo plures numero. » Ex quibus nempe verbis cum Presbyteri ab Episcopis et Chorepiscopis discernantur, statim concluserunt, Chorepiscopos eosdem ac Episcopos fuisse.

Nos itaque in eorum sententiam libenter imus, qui Chorepiscopos, suapte natura inspecta, putant Presbyteros fuisse: 1° quia Chorepiscopi ex canone X Concilii Antiocheni ab uno tantum civitatis Episcopo ordinabantur, Episcopi vero a tribus Episcopis consecrandi erant; 2° quia Episcopos in vicis et pagis constituere canones vetabant, contra vero Chorepiscopi non alibi, quam in vicis constituebantur;

3° quia Chorepiscopi a Neocaesariensi Synodo ad similitudinem septuaginta discipulorum instituti dicuntur, at Episcopi non discipulorum modo, verum etiam Apostolorum successores semper habiti sunt.

Erant tamen Chorepiscopi non exiguae dignitatis, quia in pagis et oppidis Episcoporum vices gerebant; adeoque Chorepiscopi apud Graecos Periodeutae, seu circumcursores nuncupabantur, et dicti sunt quasi *ruris Episcopi*, eosque Vicarios Episcoporum appellavit Synodus Neocaesariensis anno 314, cap. 3: « Vicarii, inquit, Episcoporum, quos graeci Chorepiscopos vocant. » Praeerant ruris Presbyteris et Ecclesiis, easque visitabant, Clericis ruralibus in aliam Ecclesiam abeuntibus dabant litteras dimissorias, Subdiaconos, aliosque minores Clericos ordinabant: quin etiamsi episcopali charactere insigniti fuissent (quandoquidem Chorepiscopi interdum eligebantur, qui iam Episcopi erant), Presbyteros quoque et Diaconos consecrabant, ex delegatione tamen, seu consulto prius Urbis Episcopo, cui « Chorepiscopus subiicitur ipse et regio, » ut statuit Synodus Anthiochena. In civitate coram Episcopo et urbanis Presbyteris poterant sacris operari, quod caeteris ruris Presbyteris non licebat. Denique nonnulli Chorepiscopi interdum sederunt in Synodis generalibus, et suffragium tulerunt, non quidem ratione Chorepiscopatus, sed potius vel delegatione, vel substitutione in locnm absentium Episcoporum, vel ex Ecclesiae indulgentia, vel demum ratione Ordinis episcopalis, quo ut diximus, aliqui Chorepiscopi ornabantur.

Cum vero Chorepiscopi tot muneribus decorati

intra potestatis suae limites non se continerent, cumque nec canones conciliorum neque Decretales epistolae Pontificum, quibus Chorepiscoporum coërcebatur insolentia, satis fuissent ad eos in officio continendos, iure meritoque ad ipsorum ordinem penitus extinguendum sedulo saeculo 8 fuit adlaboratum. At licet Chorepiscopi saepius fuerint prohibiti, adhuc tamen in Ecclesiis, praesertim Gallicanis, per multos annos perdurarunt; cuius rei duplex fuit causa. Prima nempe quod nonnulli Episcopi, ut otio et quieti in aula Principum indulgerent, et etiam ex desidia et episcopalium functionum fastidio, subsidiarios sibi Chorepiscopos eligebant, ut in eos modica mercede conductos muneris totius Episcopalis onus reiicerent, et idcirco eorumdem Chorepiscoporum suppressioni pro viribus refragabantur. Altera causa fuit, quod regnantes et Principes occasionem ex Chorepiscopis árripuerint, canonicas episcoporum electiones retardandi. Putabant enim se Ecclesiae et officio suo satisfecisse, si Episcopali Sedi, quae suo pastori esset viduata, Chorepiscopum praefigerent modica mercede conductum, qui episcopalia munera quandocumque obiret. Interim vero ipsi Ecclesiarum proventibus ditabantur, vel suis aulicis percipiendos assignabant. At quibuscumque tandem superatis difficultatibus Chorepiscopi ubique non minus in Oriente, quam in Occidente circa medium saeculum XI penitus extincti fuerunt.

§ 66.

De Archipresbyteris et Decanis.

Exstinctis Chorepiscopis, Archipresbyteri, et Decani in eorum locum suffecti sunt. Nomen Archipresbyteri antiquissimum est, quo Presbyterorum primus intelligitur. Apud Latinos Archipresbyter erat, qui ordinationis antiquitate alios Presbyteros anteibat, verum apud Graecos non aetati, aut ordinationis antiquitati, sed maxime virtuti et merito gradus iste tribuebatur. Unus olim fuit in singulis Dioecesibus Archipresbyter, qui in Ecclesia Cathedrali residebat, tanquam Episcopi Vicarius in iis omnibus, quae ad sacra ministeria, et forum internum pertinerent. Igitur proxime post Episcopum divinis officiis navabat operam, caeteris Presbyteris praeerat, curabatque, ut sua munera diligenter obirent, eorumque moribus invigilabat, et absente aut impedito Episcopo, ad Archipresbyterum spectabat Missae sacrificium offerre, Sacramenta ministrare, benedictionem impertire, et caetera id genus agere, quorum mentionem faciunt cap. 1, 2, et 3 De offic. archip.

Lapsu temporis ruri quoque constituti sunt Archipresbyteri, *rurales* proinde dicti, qui ferme in locum Chorepiscoporum successerunt. Rurales Archipresbyteri vocati sunt etiam *Decani*, quia nimirum Dioeceses in varios, certosque districtus, seu decanias distributae erant, ac singulis decaniis suus Archipresbyter praeficiebatur. Munus autem Archipresbyteri ruralis, seu Decani sic describitur in cap. 4 De offic. archip.: « Non solum imperiti

vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiat, et qua quisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renunciet. »

Vide Sarnelli « Lettere Ecclesiastiche » t. 1, lett. 2.

§ 67.

De Archidiaconis.

Quemadmodum Archipresbyter urbis in muneribus ordinis Sacerdotalis, Archidiaconus in externa iurisdictione et administratione Episcopis subsidio erat. Ex ordine Diaconorum Archidiaconus eligebatur, qui caeteris rerum gerendarum dexteritate praestaret. Amplissima olim fuit Archidiaconorum potestas, cum omnia pene negotia ecclesiastica ipsorum ministerio peragerentur. Archidiaconus enim non solum Episcopo sacris operanti aderat, et officia Diaconorum propria exsequebatur, verum etiam Diaconis et inferioribus clericis suum cuique locum et officium in Ecclesia assignabat, oblationes aliosque Ecclesiae reditus administrabat, et ratam portionem in Clericos, in pauperes, et in Ecclesiae fabricam partiebatur, viduarum, pupillorum, et peregrinorum curam habebat, Parochos aliosque Beneficiatos *corporaliter*, ut aiunt, instituebat, et quos perspiceret ad ordines idoneos Episcopo offerebat, ieiunia et dies festos indicebat et, re Sacramentali excepta, nullum ferme negotium erat, quod sine Archidiacono conficeretur; qua de re, manus et oculus Episcopi

appellabatur. Ab initio tanta Archidiaconi potestas a mandato et arbitrio Episcopi pendebat; at deinceps in potestatem ordinariam abiit, ita ut Archidiaconi non amplius ad Episcopi nutum moverentur, sed tanquam Vicarii Episcoporum nati, sive dati a iure, iurisdictionem propriae dignitati adnexam consequuti sunt, eamque inferiorem quidem, distinctam tamen ab Episcopi iurisdictione: et idcirco a sententiis Archidiaconi non ad Metropolitam, sed ad Episcopum provocabatur. Nunc temporis Archidiaconorum potestas pene concidit, et omne ipsorum munus eo redactum est, ut adsint Episcopo generales ordinationes habenti, vocentque Clericos, qui ad ordines promovendi sunt, de qua re vide Const. Ben. XIV « EX QUO DILECTIS, » et dec. S. C. C. in Tridentin. 28 Iunii 1848. Potestas quoque Archipresbyteri et Decani, de quibus supra diximus, eamdem fortunam passa est. Ergo utriusque auctoritas hodie aut nulla, aut tanta est quanta eis, vel ex Episcopi mandato, vel Ecclesiae et locorum institutis, aut consuetudine tribuitur. At vero ex Archipresbyterorum et Archidiaconorum potestate extincta, sed ad Episcopum revocata, novae dignitates, seu officia emerserunt: namque Archidiaconis Vicarii Generales, Archipresbyteris ruralibus Vicarii Foranei, vel Decani, et Archipresbyteris urbanis Episcopi Suffraganei quodammodo suffecti sunt, de quibus agendum est.

§ 68.

De Vicariis Generalibus.

In hodierna Ecclesiae disciplina, qui contentiosam et voluntariam iurisdictionem auctoritate et nomine Episcopi exercet, Officialis, aut Vicarius Generalis appellatur. Italiae moribus nullum discrimen est inter Vicarium Generalem atque Officialem, nam utraque iurisdictio contentiosa et voluntaria uni eidemque personae delegatur, quem Italiae usum Syn. Trid. sequuta est, sess. XXIV de Reform. cap. 16, ubi Vicarii et Officialis nomina promiscue adhibuit. At in Gallia, aliisque Ecclesiis Transalpinis utraque iurisdictio diversis personis delegatur, et Officialis dicitur, qui iurisdictionem contentiosam exercet, Vicarius autem generalis vocatur, cui voluntariae iurisdictionis administratio tribuitur.

Vicarii habendi consuetudinem plerique acceptam referunt Concilio Lateranensi IV, ubi Innocentius III generali constitutione sancivit, ut Episcopi si totam Episcopatus sarcinam ipsi nequirent sustinere, adiutores sibi adsciscerent, quibuscum collata opera, Dioecesim recte administrarent. Caeterum Vicariorum origo sive ex Lateranensi Concilio, sive ex alia lege, vel consuetudine repetenda sit, illud exploratum videtur, quod Vicarii Generales, aetate Gregorii IX, apud omnes saltem Ecclesias nondum obtinuerant, cum in Gregoriana Decretalium compilatione Vicariorum Generalium vestigia nulla sint. Contra vero temporibus Bonifacii VIII Vicarii Generales invaluerant, namque in

6 Decretalium sub titulo De offic. vic. ipsorum munera distinctius proponuntur.

Constitutio Vicarii Generalis ad solum Episcopum pertinet, qui tamen nullo iure impeditur, quominus omnia officia per se ipsum exsequatur: nullo pariter iure vetatur Episcopus plures sibi Vicarios constituere, et 1° quidem uni iurisdictionem voluntariam, et alteri iurisdictionem contentiosam demandando; 2° Utramque iurisdictionem singulis in solidum delegando; 3° Certas Dioecesis regiones unicuique assignando. Vicarius primo modo constitutus illud iurisdictionis genus explicare potest, quod sibi mandatum est, et idcirco voluntaria iurisdictione auctus limites suae potestatis excederet, si iudicis personam indueret, et sententiam pronuntiaret. Si vero utraque potestas pluribus in solidum concessa sit, semper antefertur qui prior negotium occupavit. Si denique potestas data sit cum certa assignatione, seu distributione territorii, unusquisque debet sese intra limites praestitutos continere. Responsum S. C. EE. et RR. 1 Sept. 1748, de quo loquuntur Analecta Pontificia Livraison 27, pag. 872, ut probent unum tantum dari posse Vicarium Generalem, nullum facessit negotium, quum ipsam duorum Vicariorum nominationem non improbet, sed tantum corrigat modum, quo sibi demandatam potestatem non satis regulatim, et ordinate ipsi exercebant.

Eligi autem debet in Vicarium Clericus non minor viginti quinque annis, moribus integris, ac scientia praestans, quin imo ex stylo Curiae, et SS. CC. decretis requiritur, ut doctorali utriusque iuris, vel saltem canonici laurea, aut gradu aliquo insignitus sit, licet id ex iure nullibi cautum sit,

ut observant Card. de Luca Conc. Trid. disc. 31, n. 14, et Berardi. At in Vicarium sumere non licet Laicum, neque Clericum coniugatum, etiamsi in habitu et tonsura clericali incedat, neque Clericum bigamum, neque Canonicum Poenitentiarium, neque Parochum, neque alium quemlibet animarum curam habentem, ne videantur uti scientia Sacramento Poenitentiae comparata, nec denique Regulares ex Ordine Mendicantium, ex Clem. ut possis de regul. Canonici autem Regulares, vel Monachi ab eo munere non arcentur, dummodo sui Praelati veniam impetraverint, haud concedendam sine gravi causa, et ea lege ut religiosum aliquem sibi socium adiungant et in claustra vivant, ut observat Clem. VIII decr. 1599. Quod si extra claustrum degere ipsis necessarium sit, indultum apostolicum requiritur, quod concedi solet adnexis clausulis, ut habitum regularem semper retineant, vitam iuxta disciplinam ordinis degant, et sub obedientia Episcopi in vim voti permaneant. De Franchis cont. inter Episcopos et regular. haec habet: « In Curia romana observari vidi, quod quoties Episcopus pro Ecclesiae suae necessitate alicuius monachi opera indiget, ut sui Vicarii officio fungatur, S. C. EE. et RR. consulit, quae, attenta exposita necessitate, impertitur, ut monachum in suum Vicarium constituere valeat. »

S. Carolus Borromeus 5 Conc. Prov. Mediol. ait: « Illud maximo expodit, cum omnique ratione consentiens admodum ost, ut vicarii episcopales, quoad eius fieri potest, alienae dioecoseos, quam illius sint, ubi commissum vicariae curae officii munus obire, atque exsequi debeant. Saepe enim fit, ut cum iustitiao quasi oculis tenebras cognatorum, affiniumque illa innata vis offundat: tum gratia, motuque illorum quibus-

cum vixerunt, vivendumque deinceps est, etiam boni, constantesque viri ab aequitatis norma,rectaque via facilius deflectant.» Concilium Romanum t. 8, c. 2 praescribit « non decere Episcopum Vicarium constituere fratrem, aut nepotem suum, aut patruelem, aut alium arctissima cognatione coniunctum, praeterea civem propriae Episcopalis Urbis, qui propter coguationes, affinitates, similesque causas facile suspectus reddi potest. » Pignatelli t. 9, consult. 162, adductis quibusdam SS. CC. decisionibus, ait valde decere, si ne dioecesis quidem civis ad vicarii generalis officium nominetur. Nemo ex iis inferat, *iure communi* prohiberi, quominus cognatus aut affinis Episcopi, vel Civis loci in vicarium generalem renuncietur. Nam nulla, quoad sciamus, generalis lex existit, nullumque generale decretum S. Sedis, quo Episcopis vetitum est, ne in vicarios sibi adsciscere possint, quos idoneos reputaverint, quicunque sint, et ex quocumque loco oriundi. Quae contra afferuntur decisiones peculiares prorsus sunt, adeoque generale iuris principium constituere nequeunt.

§ 69.

De potestate Vicariorum Generalium.

In constitutum Vicarium transit omnis iurisdictio, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet; namque Vicarius in iis, quae iurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque Tribunal cum Episcopo constituit, ideoque a Vicario ad Episcopum non appellatur. Caeterum multa sunt hac de re inspicienda, ne Vicarius potestatis suae limites praetergrediatur. In primis autem cum Vicarius mandato Episcopi constituatur, illud plane consequitur, quod ea facere nequeat, quae nominatim exceperit; nihil enim impedit, quominus Episcopus aut ampliorem potestatem, aut contractiorem concedat. Deinde vero quemadmodum Vicarius non ordinis, sed iurisdictionis potestatem

consequitur, sic ea praestare nequit, quae ad potestatem ordinis spectant, aut ab ea proficiscuntur, qualia sunt chrisma conficere, Ecclesias et altaria consecrare, aut pollutis sanctitatem restituere, sacras supellectiles, aliaque indumenta ecclesiastica benedicere, nec litteras dimissoriales ad ordines tribuere, nisi Episcopus in longinquis partibus versetur, ita ut a Clericis ordinandis sine magna difficultate adiri nequeat; cap. Cum nullus de Temp. ordin. in 6, et glossa ibid. v. *remotis*. Quin etiam quae sunt Episcopalis ordinis non licet Vicario peragere, etiamsi Episcopali charactere insignitus sit, neque ea exercendi potestatem alteri Episcopo facere potest. Praeterea cum Vicarius in sola ordinaria iurisdictione vices Episcopi gerat, idcirco nequit iis rebus sese immiscere, quae ad Episcopum pertinent, tanquam Sedis Apostolicae delegatum, et multo minus in iis, quae Episcopo commissa sunt, talibus verbis aut clausulis, quibus significetur negotium soli Episcopo delegari. Denique ex generali Episcopi mandato, quo quis in Vicarium constituatur, et sine speciali concessione, Vicarius beneficia non confert, nec eis fundandis, supprimendis, vel uniendis assensum impertitur, factas uniones non revocat, resignationes non admittit, et generatim in materia beneficiali nihil agit eorum, quae sunt liberalitatis et gratiae, sed illa tantum, quae sunt necessitatis et iustitiae, veluti praesentatos a patronis instituere, et electos confirmare. Similiter sine speciali mandato causas criminales non cognoscit, irregularitates et suspensiones ex occulto crimine provenientes non relaxat, a casibus Episcopo reservatis non absolvit, neque ab eis absolvendi facultatem

largitur. Sic etiam Synodum non indicit, Capitulum Canonicorum non convocat, eique non interest, neque fert suffragium, non visitat Dioecesim, et universim in negotiis valde arduis et gravioribus, inconsulto Episcopo, non procedit.

Vicarii generalis iurisdictio potius ordinaria videtur quam delegata, quatenus eius officium per legem seu canonem probatum est, et quamquam alterum sibi Provicarium substituere nequeat, causas tamen aliquas alteri delegare potest, quod delegatis non licet; qua super re vide, inter alios, Ferrari in op. «Summ. Inst. Canon. Ianuae 1847» tit. 16, p. 124. Exspirat autem Vicarii iurisdictio tribus praesertim modis et I. quidem Episcopi voluntate, si nempe Vicarium amoverit, sed remotio evulganda est, et ipsi Vicario denuntianda, et si quid ante denuntiationem ipsam a Vicario geratur, omnino valet, propterea quod generatim iurisdictio non extinguitur, donec iudex de revocatione certior fiat. L. Si forte ff. de Off. Praesidis. II. morte Vicarii, aut expressa renuntiatione, vel etiam tacita; censetur autem tacita, si Vicarius a Dioecesi discedat animo non redeundi, quod docet Fagnanus in cap. Praesentata de testibus n. 10. III. denique, cessante iurisdictione Episcopi per eius mortem, renuntiationem, translationem, aliamve causam, ob quam Episcopus Episcopatu abeat, aut iurisdictione privetur; quin illud peculiare est, quod etiam, rebus non integris, potestas Vicarii extinguatur, ita ut in negotiis iam coeptis non progrediatur, qua in re Vicarius differt a Delegato: huius enim potestas in negotiis iam coeptis delegantis morte non exspirat.

§ 70.

De Vicariis Foraneis.

Praeter Vicarium Generalem alii sunt peculiares Vicarii, quos *Foraneos*, vel *Decanos* rurales dicimus, qui in certa parte Dioecesis constituti per unum, aut plura oppida aliquas levioris momenti causas expediunt. Quia vero Vicarii Foranei Tribunal habent ab Episcopo discretum et separatum, idcirco ab eorum sententiis ad ipsum Episcopum appellatur. Quod si hoc discrimen inter Episcopi et Vicarii Foranei tribunal aliquibus minus placeat, aliud afferre possumus appellationem a Vicariis Foraneis ad Episcopum deferri, sive quod huiusmodi mos consuetudine roboratus est, sive quod Vicarii Foranei cum iudicibus pedaneis videntur convenire, a quibus provocatur ad eum, qui delegavit. Itaque pro arbitrio Episcopi constituuntur, tantaque ipsorum potestas est, quantam Episcopus demandaverit. Praecipuum tamen Vicarii Foranei munus est Episcopo renuntiare mores Clericorum, atque in eorum crimina inquirere, observantiam Constitutionum Synodalium, et Decretorum Episcopi sedulo promovere, conventibus de rebus moralibus, seu liturgicis, in territorio sibi demandato, praesidere, et Episcopum admonere, si qua forte in suis oppidis adversus fidem et bonos mores aut Dei cultum, Templorum venerationem, Festorum dierum observantiam, et christianam disciplinam perpetrentur: denique causas civiles parvi momenti definire.

Vide Sbrozzium de Vic. Episcop. q. 3.

§ 71.

De Suffraganeis.

Ubi in aliqua Dioecesi Episcopus non resideat, vel ob aetatem, aut valetudinem, aut ipsius Dioecesis amplitudinem nequeat per se Episcopalis ordinis munera explere, auxiliator interdum conceditur, qui Episcopus *Suffraganeus* vocitatur. Itaque Suffraganeus est Episcopi auxiliator in sacri Ordinis ministeriis, quae ipsemet Episcopus obire, aut nolit, aut nequeat. Ergo necesse est, ut suffraganeus cum titulo alicuius Ecclesiae in partibus infidelium sitae Episcopus consecratus sit; nec datur Ecclesiae, sed Episcopo, atque adeo illius munus et officium cessat statim ac Episcopus aut morte, aut alia ratione Episcopatum reliquerit. Quamquam vero Suffraganeus ad ordinis ministeria sumatur, et nequeat quae iurisdictionis sunt ulla ratione attingere, nihil tamen obstat, quominus ab Episcopo adiuto in Vicarium Generalem constituatur, quo expeditior sit utriusque potestatis administratio. Suffraganeus autem a Romano Pontifice petendus est, quod ea res causis maioribus adnumeretur. Sed Apostolica Sedes Suffraganeum non concedit, nisi eius habendi et necessitas et consuetudo probetur, adsignata etiam Suffraganeo pensione certa, ex qua honestum habeat vitae cultum, neque unquam egere cogatur in dedecus Episcopalis ordinis et dignitatis.

Vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. 13, cap. 14, ubi de Suffraganeis copiose disserit. Dürr De suffraganeis, seu Vicariis in Pontificalibus Episcoporum Germaniae Mogunt. 1782, et Binterim Suffraganei Colonienses Mogunt. 1843.

§ 72.

De Coadiutoribus.

Interdum contingit, ut Episcopus aut senio, aut mala valetudine affectus, vel alia iusta ratione, non solum ad obeunda ministeria ordinis, verum etiam ad regimen et administrationem gerendam Dioecesis impotens evadat. Impotentem vero Episcopum, nisi sponte Episcopatum dimittat, vel invitum cogere ad illum dimittendum inhumanum prorsus videtur; nam « afflicto non est addenda afflictio, sed ipsius miseriae miserandum, » ut loquitur Innocentius III cap. 5 de Clerico aegrotante. Tunc itaque Coadiutor dandus est, cuius opera et consilio Dioecesis recte administratur. Sunt autem Coadiutores duplicis generis; alii enim constituuntur ad tempus, quoad scilicet Episcopus vixerit aut convaluerit. Quamobrem Coadiutores huiusmodi temporanei nullum ius ad successionem consequuntur, sed Episcopo defuncto, aut Episcopatum abdicante, aut etiam impedimento sublato, ex quo impar episcopali munere factus erat, coadiutoris officium et potestas omnine cessat. Alii vero sunt coadiutores perpetui, quod nempe cum iure successionis constituuntur, adeoque mortuo coadiutore in ipsius locum succedunt. De perpetuo coadiutore sic loquitur Canon Quamvis caus. 7, q. 1: « Qui etiamsi Episcopo, qui nunc aegrotat, superstes exstiterit, loco eius debeat consecrari. »

§ 73.

De constitutione Coadiutoris cum futura successione.

De Coadiutoribus cum futura successione constituendis, a Concilio Tridentino cap. VII, sess. XXV de reformat. sancitum est: « Si quando Ecclesiae cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Praelato dari Coadiutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Summo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a iure et decretis huius sanctae Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur. » Itaque postulantur tria ut Coadiutor haereditarius rite recteque constituatur; 1. urgens necessitas, aut evidens utilitas. Necessitatem parere possunt senium, morbus diuturnus, amentia et alia id genus. Causa evidentis utilitatis est, si ex. gr. post Episcopi mortem turbarum, aut gravis alterius mali probabilis et prope certus timor impendat et aliter malum praecaveri non possit, nisi Coadiutor sit, qui statim defuncto Episcopo subrogetur. 2. Auctoritas S. Pontificis, tum quod constitutio Coadiutoris inter causas maiores refertur, cap. unic. de Cler. n. 6, tum quod institutio Coadiutoris est novi Episcopi institutio, quandoquidem Coadiutor sine nova collatione, ut diximus, in Episcopatu vacante succedit; 3. Dignitas personae, ut nempe Coadiutor doctrina, pietate aliisque dotibus praeditus sit, quae in Episcopo desiderantur. Et praeterea si Episcopatus, praevia electione aut nominatione, conferri so-

leat, consensus etiam exquirendus eorum est, qui nominandi, aut eligendi iure potiuntur, ne ipsorum iura laedantur.

In veteri disciplina Coadiutores cum futura successione Episcopi non consecrabantur, quod sententiae Nicenae Synodi adversari videretur duorum Episcoporum in una Sede constitutio. Hinc S. Augustinus Eraclium sibi in Episcopatu Hipponensi Coadiutorem haereditarium adscivit, non tamen Episcopum ordinavit, scribens epist. 110: « Adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre et Episcopo, sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicaeno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.» In praesenti disciplina Coadiutores cum iure successionis Episcopi consecrantur, ut Coadiuto impedito alter sit, qui munera Episcopalis ordinis explere possit. Sed ne duo simul unam eamdemque sedem tenere, neve duo esse unius Ecclesiae sponsi videantur, Coadiutor ad titulum alterius Ecclesiae in partibus infidelium promovetur, quem quidem titulum retinet, usque dum Coadiutus vitam vixerit.

§ 74.

De Constitutione Coadiutoris temporanei.

Quae tria postulantur in perpetuo Coadiutore creando, eadem ferme quaerenda sunt in temporanei Coadiutoris constitutione, gravis causa, Pontificis auctoritas, et Coadiutoris habilitas. Verum

quod Pontificis auctoritatem spectat, hoc loco monendum est in Ecclesiis nimis ab Urbe dissitis Episcopos, qui ob aetatem, valetudinem, aliamque causam ope aliorum indigent, posse unum, vel plures sibi Coadiutores cum assensu Capituli ad tempus constituere. Si vero Episcopus sibi prospicere nequeat, fortasse quod compos sui non sit, tum eidem per eius capitulum, aut duas Capituli partes, unus aut alter Coadiutor recte datur, et si Episcopus contradicat, tota res Apostolicae Sedi aperienda est, ut Ecclesiae necessitati provideatur. Ita decret. Bonif. VIII in cap. un. Pastoralis 1, 3; Decr. 1, 6 de Cler. aegrot. « Verum hodie S. Sedes ex se sola providet de Coadiutore etiam sine consilio et assensu Capituli » ait Giraldi cit. vol. 1, p. 272. Constitutus autem Coadiutor ex reditibus Ecclesiae, cui inservit, moderate alendus est, cap. un. de Cler. aegrot. in 6.

§ 75.

De Potestate Coadiutorum.

Potestatem munerum publicorum ex fine metimur, cuius gratia constituti sunt. In Coadiutoriis finis est auxilium impotenti Episcopo ferendum. Universim itaque potestas Ooadiutoris ad omnia illa pertinet, quibus Coadiutus Episcopus impar est. Quamobrem si Coadiutor Episcopo amenti aut plane inabili datus sit, plenam potestatem habet administrandae Dioecesis, excepta tamen alienatione bonorum, cap. unic. De cler. aegrot. in 6. Quo tamen ex capite non vetatur beneficia conferre, siquidem alienatio Coadiutoribus interdicta

est earum rerum, quae servari possunt; collationes autem beneficiorum ex quadam necessitate fiunt, ne beneficia imminutione divini cultus, et animarum detrimento diutius vacent. At si Episcopus Coadiutus ratione praeditus sit, id ipsi licet quod libeat, et possit facere, nullo Coadiutoris consilio, vel consensu adhibito, cum Episcopali titulo et iurisdictione non privetur. Privatur autem potestate delegandi, propterea quod, quae Coadiutus efficere aut nolit, aut nequeat, ea in primis Coadiutor explere suo iure debet. Verumtamen in statuendis Coadiutorum iuribus non modo finis, seu causae cur dati sint, sed etiam Litterarum Apostolicarum praecipua ratio habenda est.

Vide Schier Const. Can. de Coadiutoribus et Coadiutoriis perpetuis Aug. Vind. 1757, Heck de Coadiut. praesent. Germaniae Lipsiae 1755, Köhler de Coadiut. in Germania Moguntiae 1787, Clem. Beker de elect. Coadiut. Mon. 1781.

§ 76.

De Praelatis inferioribus.

Praelati inferiores secundi Ordinis Clero praestant, sed infra Episcopos sunt, et medium veluti locum inter utrosque tenent, quorum triplex genus est. I. Est eorum, qui certo generi personarum intra septa alicuius Ecclesiae, Conventus, vel Monasterii praesunt, uti sunt Moderatores generales Ordinum, Provinciales, et Abbates sive Regulares, sive Saeculares Romano Pontifici immediate obnoxii, et eam iurisdictionem in Clerum, sive Regularem, sive Saecularem exercent, quam a Regulis et Constitutionibus Ordinis, aut Aposto-

licis privilegiis consequuti sunt. II. Genus eorum est, qui dicuntur *in Dioecesi*, quatenus potestatem exercent in Clerum et Populum certi loci, qui in Dioecesi alterius Episcopi continetur: propterea territorium ab ea separatum non habent, eorumque iurisdictio videtur magis esse personalis quam localis. III. Denique Praelatorum, qui nullius dicuntur, omnium nobilissimum est: habent enim iurisdictionem in Clerum et Populum alicuius loci vel Oppidi, aut etiam plurium locorum, vel Oppidorum omnino avulsum et separatum a iurisdictione Episcopi Dioecesis, et ideo constituunt quamdam quasi Dioecesim, et sunt eorum locorum Ordinarii. Horum iurisdictio quasi Episcopalis dicitur, eo quod, exceptis iis, quae Ordinis Episcopalis sunt, reliqua omnino suo iure exercent; Synodum tamen celebrare non possunt, nisi a Sede Apostolica expressum privilegium convocandi Synodum obtinuerint, et nisi de usu eiusdem privilegii legitime constiterit. Quoniam vero ius convocandi Synodum, et ius indicendi concursus ad Parochiales Ecclesias quodammodo inter se connexa videntur, quum ex Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 10 de Reform. concursus coram Examinatoribus in Synodo Dioecesana electis instituendus sit, idcirco qui Synodum congregare potest, concursum etiam et examen indicere, eaque omnia praestare poterit, quae ab eodem Concilio sancita sunt citato loco. Quas de residentia Episcoporum superius retulimus sanctiones Praelatis nullius applicandas esse quisque facile intelligit.

Vide Ben. XIV Const. APOSTOLICAE et INTER MULTA.

CAPUT VIII.

DE CANONICIS ET PAROCHIS

§ 77.

De origine Canonicorum.

Primis Ecclesiae saeculis Canonicorum nomen Clericis omnibus commune fuit, tum quia per sacram ordinationem canoni, seu matricolae Ecclesiae, id est ecclesiastico ministerio, addicebantur, tum quia ex bonis ecclesiasticis canonem, seu certam portionem; vel sportulam singulis diebus, vel hebdomadibus, vel mensibus seorsim accipiebant, tum quia vitam sub Canone, videlicet sub certa quadam ecclesiastica regula agebant. Eius ecclesiasticae regulae praecipuum caput erat vita communis, quam fideles omnes, in primisque Clerici ab ipsis Apostolis edocti fuerant. At lapsu temporis cum ea rerum communitas negligeretur, in ea promovenda, et ubi lapsa esset restituenda, sanctissimi Antistites Ecclesiae bono nati plurimum laboraverunt, et Crodegangus Mettensis Episcopus octavo saeculo Clericos suos non modo in unam societatem coëgit, verum etiam certam regulam sine votorum nuncupatione eisdem dedit, quam ferme ab institutis monasticis deprompserat. Haec regula in plerisque Cathedralibus Ecclesiis, quin etiam in multis Parochialibus recepta est. Ex eo itaque tempore Canonici vocati tantum Clerici, qui eam regulam tenderent, et Canonici

Cathedrales dicti sunt, qui in Ecclesiis Cathedralibus, et Canonici Collegiales, qui in Parochialibus, aliisque minoribus Ecclesiis canonicam vitam ducebant, unde Capitula Cathedralia et Capitula Ecclesiarum Collegiatarum nata sunt. Hinc Canonici deinceps vocati sunt ii soli, qui communem quodammodo vitam, et certam vivendi regulam sectabantur.

Verum a saeculo decimo illud communis vitae institutum nutare coepit, et sensim corruit. Non omnes tamen Clerici ab ea vivendi forma recesserunt; namque aliqui, religiosis votis rerum communitati adiectis, in religiosas communitates abierunt, qui propterea Canonici Regulares appellati sunt. Caeteri autem Clerici qui, abiecta vita communi, inter se et Episcopum patrimonium ecclesiasticum partiti erant, et suis in domibus singularem vitam agebant, Canonici seculares dicti fuerint; saeculares quidem, quia propria bona retinentes, perpetuisque praebendis donati in saeculo viverent, Canonici autem vocati, tum quod in Ecclesiis Cathedralibus unum veluti corpus cum Episcopo componerent, quod proprium est Canonicorum, qui Ecclesiis Cathedralibus addicti sunt, tum quod inter se unum corpus in alia inferiori Ecclesia constituunt, quod proprium est Canonicorum, qui Ecclesiis Collegiatis addicuntur.

Modo itaque Canonici vel Ecclesiis Cathedralibus addicti sunt, et Canonici Cathedralis Ecclesiae dicuntur, vel alicui inferiori Ecclesiae serviunt, et Canonici Ecclesiae Collegiatae nuncupantur. At Canonici Ecclesiae Cathedralis ius antea comparatum retinuerunt, namque excluso reliquo Clero antiquum Presbyterium, et Senatum Epi-

scopi constituunt, eorumque consilio ecclesiastica negotia tractantur.

Certum est, Ecclesiae cathedralis capitulum ab uno Summo Pontifice erigi posse, qui simul et Ecclesiam designat, et capitulum constituit. Utrum idem dici debeat de collegiata ecclesia, non eadem fuit olim omnium canonistarum sententia, sst ex Card. de Petra comment. in Const. 8 Innoc. IV p. 2, n. 7 et 13 « affirmativam sententiam, licet expresso textu non fulciatur, plures conferunt rationes, tum quia collegia nonnisi potestate principis supremi erigenda sunt, praesertim si sint collegia ecclesiastica, tum quia erectio collegiatae res gravis in se est, praesertim si sit insignis, quae fere cathedrali aequiparatur..... tum ulterius quia nequit Episcopus immutare statum ecclesiae, adeo ut de ecclesia collegiata non posset facere simplicem paroeciam, » tum tandem quia constans Curiae Romanae praxis, et S. C. C. decisiones id confirmant. An Episcopus possit sive in cathedrali, sive in collegiata ecclesia, praeter dignitates in actu erectionis simpliciter constitutas alias adiungere, numerumque canonicorum, si is in fundatione expresse haud praestitutus sit, adaugere, quaesitum fuit, et S. C. C. « affirmative de consensu capituli » reposuit Thes. resil. t. 35, n. 12.

§ 78.

De dotibus ad obtinendum Canonicatum.

In eo qui ad Canonicatum adspirat, multae dotes desiderantur: 1° Est ordo, ut nimirum illo ordine insignitus sit, qui Canonicatui adnexus est, videlicet Presbyteratu, si praebenda Presbyteralis, Diaconatu si Diaconalis, et Subdiaconatu si Subdiaconalis sit, saltem ut infra unius anni spatium eodem ordine initietur. Qui vero nondum Subdiaconus est sive in Cathedrali, sive in Collegiata Ecclesia vocem non obtinet in Capitulo, etiamsi sibi libere a Canonicis, aut Episcopo concedere-

tur. Pariter si quis intra annum non recipiat ordinem Canonicatui adnexum, tum vocem in Capitulo, tum dimidiam distributionum partem amittit. 2° Est aetas: in Canonicatibus Ecclesiae Collegiatae aetas quatuordecim annorum satis habetur, nisi certus ordo Canonicatui sit adiunctus, aut nisi maior aetas ex tabulis fundationis requiratur. At vero in Ecclesiis Cathedralibus nemo aptus est ad Canonicatum, nisi qui vigesimum primum agat aetatis annum, ita ut infra annum ipsum sacro Subdiaconatus Ordine initietur; maior vero requiritur aetas, si superior ordo Diaconatus, vel Presbyteratus Canonicatui adnexus fuerit. Dignitates vero Canonicales curam animarum habentes vigesimum quintum aetatis annum postulant. Trid. sess. XXIV, c. 12. 3° Est Theologiae et SS. Canonum scientia: Canonici enim praesertim Ecclesiae Cathedralis Episcopo a consiliis sunt in regimine animarum; qua in re quantum necesse sit res fidei et morum, et Ecclesiasticas leges callere, nemo est, qui non apertissime cognoscat. 4° Eximia vitae integritas, quamobrem Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Reform. Canonicos monet, « ut ea integritate morum polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possint. » Non desunt Capitula, in quibus speciali lege, aut fundatione Capituli, aut recepta consuetudine, generis nobilitas, ius civitatis, aliaeque qualitates requiruntur.

§ 79.

De officiis Canonicorum.

Canonicorum officia, vel singulorum peculiaria sunt, vel omnibus communia. Officium cuiuslibet Canonici positum est in eo peculiari munere digne, diligenterque explendo', quod ipsius Canonicatui adiunctum est. Iure vero Canonici tenentur: 1° ad professionem fidei emittendam: « Provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo orthodoxae suae fidei publicam facere professionem teneantur, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondere et iurare, alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12, de Ref. Porro ad praecavendas difficultates, quae ex non bene intellectis huius decreti verbis exoriri fortasse possent, rem non ingratam nec inutilem nos facturos esse putamus, si quasdam S. C. C. decisiones hac super re adnotemus, quas compertas habere ac exploratas valde tyronibus proderit. Itaque in Cathac. 25 Ian., et 9 Febr. 1726, ad dubia: « 1° An professio fidei emittenda sit tam a Canonicis Cathedralis, quam Collegiatarum? 2° An eadem emitti possit per procuratorem? 3° An sit emittenda coram Episcopo, aut eius Vicario Generali, et deinde coram Canonicis capitulariter congregatis? 4° Quibus poenis subiaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes professionem fidei? » S. C. reposuit: « Ad 1. esse emittendam a Canonicis Cathedralis,

et non Collegiatarum ; ad 2. negative ; ad 3. emittendam esse coram Episcopo, aut eius Vicario, et etiam coram Canonicis capitulariter congregatis: sufficere tamen si emittatur coram Capitulo , cui Episcopus , vel Vicarius Generalis intersit ; ad 4. non facere fructus suos , sed distributiones lucrari pro horis , quibus intersunt. » Insuper in Tarraconen. Visit. 20 Apr. 1782, ad dubia 1° « An obtinentes beneficium cum cura animarum, dignitates, et canonicatus in ecclesia metropolitana vel cathedrali satisfaciant praecepto Trid. Conc. sess. XXII, c. 12, de reform. , si professionem fidei emittant post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immittantur in casu? 2° An qui fidei professionem facere tenentur, et ultra praefinitum bimestre tempus distulerint , priventur fructibus dicti primi bimestris , seu potius fructibus ex post decurrendis in casu ? » die 11 Martii eiusdem anni S. C. C. reposuit : « Ad 1. affirmative. Ad 2. negative ad primam partem, affirmative ad secundam, nempe a die elapsi primi bimestris. » Tandem propositis ab Hispanis dubiis: « 1° An si quis de novo acquirit canonicatum vel dignitatem in ecclesia cathedrali, et quidem in ea ipsa, in qua ante habuerat, renovanda sit professio fidei ex praescripto Concilii Tridentini ? 2° Utrum haec professio facienda sit coram Episcopo et ipsius Vicario generali , et Sede vacante coram Vicario Capitulari et Capitulo ? An , si consuetudo viget, satis sit eam facere coram solo Capitulo, praesertim in iis Dioecesibus, in quibus Episcopi, praeter Vicarium Generalem, alium habent Vicarium de gremio Capituli, eum in finem, ut in causis Episcopum et Capitulum concernenti-

bus, Capitulum convocet, eique intersit? 3° An, supposita bona fide, ad S. Sedem recurri debeat pro impetranda absolutione a fructuum iam perceptorum restitutione, si quis ob dictam consuetudinem, professionem fecisset coram solo Capitulo? » S. C. C., ad quam Summus Pontifex Pius VI id negotium remisit, die 1 Apr. 1786, respondit: « Ad 1. Affirmative; ad 2. affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam; ad 3. affirmative. » Quam declarationem probavit Summus Pontifex seq. die 8 Apr.

2° Canonici tenentur ad solemnem Horarum Canonicarum in choro recitationem, ad Missae Conventualis de festo, vel feria currente cum cantu, pro benefactoribus celebrationem, aliaque obeunda divina officia vel quotidie, vel alternis vicibus, aut hebdomadibus pro more institutoque Capitulorum, servata tamen hoc postremo in casu lege, de qua pluries S. C. C. loquuta est, praesertim in Terrac. 23 martii 1665, et Tuscul. serv. chor. 18 iunii 1818: « ut omnes Canonici tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. C., Pentecostes, et Sanctissimi Corporis Christi, et Octavarum privilegiatarum, ac aliis temporibus Ordinario benevisis, iugiter servire teneantur. » Canonici quoque omnes, ex citato Trid. Conc. decreto, per se, et non per substitutos sua obire officia compelluntur. Verum de huiusce iuris rigore aliquid successu temporis et gradatim remissum fuit; imo hodie receptum ac probatum, ut Canonicis et Mansionariis in civitate, ubi est Ecclesia Maior, vel in eius suburbiis degentibus, non autem ipsorum coadiutoribus, et honorariis

Canonicis, facultas concessa sit sese invicem substituendi, dummodo huiusmodi facultate non abutantur, hoc est, substitutiones nimis frequentes non existant, et eodem tempore substituens et substitutus chori servitio haud obstringantur.

Cum autem iure cautum non sit, quatenus suburbiorum limites se protrahere possint, praesertim si continuis aedificiis civitas careat, eadem S. C. C. quandoque rescribendum esse censuit: « Canonicos, dummodo intra civitatis territorium degant, sese invicem substituendi iure pollere. » Vide dec. Spolet. Serv. chor. 28 Febr. 1795, dub. 1, Rom. Serv. chor. 2 Iunii 1838, et Ascul. Serv. chori 26 Innii 1837, ubi ad dubia: « 2° An Canonici intra civitatem, eiusque territorium degentes possint sese invicem in chorali servitio substituere? 3° An sustineatur consuetudo, ut Canonici a territorio civitatis absentes, sed intra dioecesim commorantes, gaudeant substitutionis beneficio in casu? » responsum fuit: « Ad 2. affirmative; ad 3. negative. » Exinde tamen nemo inferat fieri numquam posse, ut Canonici, qui intra dioecesim quidem, non vero in civitatis territorio commorantur, aliquando, et ex gratia substituendi privilegio fruantur. Nam, ut alia praeteream exempla, in Montis Alti servit. chor. 21 Iunii 1803, S. C. C. ad dub.: « An et quomodo Capitulares sese invicem substituere possint in servitio chori? » reposuit « Affirmative, exclusis coadiutoribus, dummodo substitutus non sit eodem die servitio chori addictus, et *substituens non absit a Dioecesi,* at substitutiones non sint nimis frequentes. »

Hoc loco non erit abs re animadvertere Cano-

nicos honorarios, utpote omni iure ad praebendam in praesens vel in posterum obtinendam penitus destitutos, nullo unquam titulo, ne exstante quidem immemorabili consuetudine, substituendi facultate potiri, coadiutores vero aliquando, sive consuetudinis vi, sive peculiaribus attentis rerum locorumque adiunctis, hoc iure gaudere. Reapse S. C. C. in Montis Polit. servit. chor. 4 Febr. 1804 ad dub.: « An et quomodo Canonici honorarii in cathedrali Montis Politiani substitui possint in servitio chori aliis Canonicis praebendatis in casu? » reposuit: « Negative, licet immemorabilis adesset consuetudo, » et in Urbin. serv. chor. 21 Ianuar. 1694, ad dub.: « An et quomodo Canonico Coadiutori Staccoli liceat substituere alium Canonicum ad servitium chori in casu? » respondit: « Affirmative ex gratia, attentis peculiaribus circumstantiis, » et in Ascul. 26 iunii 1830 ad dub. 7: « An sustineatur consuetudo, ut Canonici coadiutores substitui ac substituere possint? » rescripsit: « Affirmative. » Qui plura de Canonicis honorariis scire cupit, videat decisiones S. R. C. 31 Maii 1817, 11 Sept. 1847, et 7 Sept. 1850. Notandum hic est, in horum nominatione caute admodum et habito respectu ad numerum titularium canonicorum procedendum esse, ne nimia multitudo in ecclesiae dedecus vergat. Licet Episcopum absque capituli consensu eos constituere non posse, S. C. C. pluries, ac praesertim in Fulgin. 6 August. 1815, decreverit, attentis tamen peculiaribus circumstantiis, aliquando rescripsit consensum hunc non requiri, ut in Gratian., 14 ian. 1860. De coadiutore vide etiam S. C. C. decis. in causa Romana, 22 sept. 1862.

Quaesitum etiam fuit, « Utrum Canonici iubilati interessentes choro pro aliis non iubilatis supplere possent, adeo ut distributionum quotidianarum amissioni haud obnoxii in casu essent? » Hanc quaestionem S. C. C. pluries ipsissimis hisce verbis sibi proposuit, ac praesertim in Praenest. dubiorum Iub. 5 Sept. 1835, ubi rescripsit: Affirmative, exceptis diebus, in quibus iubilatus teneretur per se. » Porro iubilatus is est qui, postquam per quadraginta annos continuos choro laudabiliter inservivit, indultum obtinet, quo, obeundis in choro muneribus eximitur, sumpto exemplo vel a lege mosaica levitam immunem ab omni opere declarante post ministerium per viginti quinque annos in templo praestitum, vel a lege caesarea, qua militibus veteranis concessum erat, ut post diuturnum saecularis militiae servitium perpetuo fruerentur otio. De hoc iubilationis indulto, aliisque ad hanc rem spectantibus vide S. C. C. in causa dubia iubilat. 24 Sept. et 17 Dec. 1718 penes Maschat elencho 6 Apost. Const. § 69, et in Reat. Iub. 10 Apr. 1774. Illud monendum hic est, ex recenti praxi, et S. Sedis indulgentia receptum esse, ut pro obtinendo iubilationis indulto coniungi possit servitium in duplici ecclesia eiusdem dioecesis praestitum. S. C. C. Perus. Iub. 8 Apr. 1784, Recinet. Iub. 23 Nov. 1805, et Verab. 17 Sept. 1842.

3° Canonici tenentur in distributiones quotidianas tertiam suorum beneficiorum choralium partem impendere, ubi distributiones nullae existunt, aut nimis tenues sunt; quin imo Episcopus, non obstante contraria consuetudine, redituum partem distributionibus quotidianis assignare tenetur, ut reposuit

S. C. C. 23 Nov. 1850. Hasce distributiones Ivo Carnotensis primum invexit « ut ad quas horas canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret, » sicut ipse loquitur in epistola 219 ad Paschalem Papam. Quod quidem institutum Honorius III, in cap. LICEAT de praeb. et dignit., et Bonifacius VIII, in cap. UNICO de Cler. non resid. in 6 probarunt, et Trid. Syn. non solum id confirmavit sess. XXII, c. 3, et sess. XXI, c. 3, de reform. quin imo iussit etiam sess. XXIV, c. 12 de reform., ut « distributiones, qui statutis horis interfuerunt, recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa et consuetudine etiam immemorali sublata, his careant, iuxta Bonifacii VIII decretum. » Quo quidem tam salutari instituto et Canonicos, quibus salaria a Gubernio solvuntur, obstringi ex eo quisque facile poterit eruere, quod reditus huiusmodi « beneficiorum sive bonorum ecclesiasticorum naturam induant, obligationemque hisce adhaerentem bonis adnexam habeant, » ut S. Poenitentiaria rescripsit die 19 ian. 1819, et S. RR. C. die 22 maii 1841. Quae cum ita sint, iam quisque facile intelligit distributiones esse constitutas, ut choro addicti suis muneribus alacrius fungantur, negligentesque poena seu multa puniantur. Itaque negligentes ipso iure fallentias amittunt, neque in potestate Capituli est eas ipsis indulgere, ac remittere, aut in massa communi ponere, ut statis temporibus inter diligentes ac negligentes aequaliter dividantur; quum id quamdam collusionem contineat, qua fini legis facile illuditur. Unde factum est, ut consuetudo dividendi fallentias inter absentes ac praesentes a S. C. C. reprobata semper fuerit, ut vi-

dere est in Romana 22 Feb. 1862, 8 August. 1863 et Aesina per summaria Precum 22 Decemb. 1860. Fallentiae absentium praesentibus accrescunt ex Conc. Trident. c. 3, sess. XXI. Verum cum idem Concilium c. 3, sess. XXII statuat distributiones a negligentibus amissas Fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii, esse applicandas, auctores haec duo decreta facile componi posse autumarunt, asserentes in priori sermonem esse de distributionibus ex bonis communibus, seu ex massa communi provenientibus, in posteriori vero loqui tum de bonis separatis a communi massa divisis, tum de distributionibus extraordinariis, ac impropriis, idque statutum esse arbitrantur a S. C. C., prout videre est in Asculana 6 Martii 1843, et Romana 16 Feb. 1865.

Iam vero in singulis ecclesiis unus aut duo a capitulo quotannis designantur fide et integritate commendati viri, qui punctatoris, quod olim *obedientialis* audiebat, munus gerant, quique sacramenti religione iniecta polliceantur, se ex Canonum iure et ex specialibus praescriptis, delato officio caste, rite, accurateque perfuncturos esse, nullo studio, nullaque animi affectione permotos. Hoc loco non est praetereundum adesse Canonicos, qui licet Choro non intersint, distributionibus tamen eodem modo fruuntur, ac illi qui in Choro praesentes sunt. Hi enim, fictione iuris habentur uti praesentes, adeoque percipiunt pleno iure distributiones omnes quotidianas, sive ordinarias, sive extraordinarias, et quaecumque emolumenta, quibus interessentes, ratione servitii ac laboris potiuntur ex portionibus vacantium canonicatuum,

et ex amissionibus, seu fallentiis, ut aiunt, canonicorum illegitime absentium, exceptis tamen incertis adventitiis, seu manualibus, quae tum ex peculiari fidelium devotione, ac pietate, tum ex testatorum voluntate, extraordinarie prorsus obveniunt, prouti sunt emolumenta, quae derivantur sive ex cadaverum associatione, ac respectivis funeribus sive ex incertis anniversariis, novendialibus, processionibus, aliisque similibus functionibus, sive ex missis adventitiis, quae festorum occasione, benefactoribus petentibus, fidelibusque volentibus, a Capitulo celebrantur, ut pluries S. C. C. statuit, ac praesertim 30 Ian. 1858, 28 Apr. 1866, 20 Dec. 1864 et 5 Maii 1866. Haec est generalis iuris regula, quae tamen statuto capitulari, ac legitima consuetudine cohiberi potest. Unde fit, ut in casibus peculiaribus in primis videndum est, an iuris praescripto opponatur statutum, vel consuetudo; quin imo sedulo attendendum est, an statuto concedenti canonicis distributiones cuiusque generis, adversetur consuetudo, quandoquidem in casu consuetudo vincit statutum, ut S. C. C. decrevit in Tudertina an. 1573. Vide decis. 28 Apr. 1860, 27 Ian. et 28 Feb. 1865.

Restat nunc ut videamus modo, quinam sint Canonici, qui sive ex iure, sive ex indulto distributionibus fruantur, licet Choro non intersint. Iure 1° canonicus infirmus, durante infirmitate, si servitio chori assiduus fuit; 2° iubilatus; 3° Canonicus theologus, diebus quibus de Sacris litteris disserere debet, licet ea die lectionis studio operam non dederit, sed statuta tantum perlegerit, nec paucitas lectionum infra annum, aut exiguus Canonicorum numerus efficere potest, ut choro

interesse debeat, ex S. C. C. 30 Iulii 1855 et 3 Iul. 1860; quin imo eximitur etiam iis diebus, quibus licet non doceat, ratione tamen officii sui, clericorum examini interest. Vide S. C. C. Viterb. 27 Iulii 1861, et Arbor. Theol. 7 Dec. 1861. 4° Canonicus Poenitentiarius, vel qui in eius locum in causa necessitatis ab Episcopo positus est, quum peccatis poenitentium audiendis actu distinetur, S. C. C. Savon. dist. 18 Dec. 1745, et Spolet. seu Reat. 3 Apr. 1841. 5° Canonici, qui in piam domum ad spiritualium exercitiorum solitudinem, non ex poena sibi irrogata, sed ultro ac sponte, per decem dies secesserint, exceptis Quadragesimae et Adventus tempore, solemnioribusque festis, iuxta Decretum Clementis XI, 1710. 6° Canonici ac Beneficiarii, quibus incumbit animarum cura, si eo tempore, actu officium sibi commissum exerceant, et sacramenta administrent, onerata conscientia. 7. Canonicus, qui Romam petit ob visitationem SS. Liminum, sive solus mittatur ab Episcopo, sive hunc in visitatione comitetur. 8° Canonici missam celebrantes tempore divini officii, dummodo accedat Praefecti Chori licentia in populi commodum; S. C. C. 8 Febr. 1815, 20 Nov. 1819 et 20 Decemb. 1862, nec non Canonici administratores rerum capitularium pro diebus et horis, quibus reapse incumbunt in administratione. Item Canonicis cancellariis, vel ab actis Capituli pro negotiis capitularibus in archivio distentis in casu urgentiae. Tandem absentes, vel ex causa iniustae detentionis, expulsionis, et deportationis, ut statuit S. C. C. in Lancion. 16 Feb. et 8 Maii 1627, Ferentina 9 Sept. 1815, in Nullius Sublac., 17 Maii 1817, vel ex aliis iustis

inimicitiae causis, de quibus late loquuntur auctores, et praesertim Scarfantonius, op. de Canonicis, et Giraldi Exp. Iur. Publ. p. 1, l. 3, Decret. tit. 4, sect. 368. Huc spectat duplex S. C. C. decisio. Altera Pisana iurisdictionis et iurium 27 Iulii 1837, ad dubia: « 8° An et quomodo caeremoniarum magistri Archiepiscopo et Capitulo inservientes gaudere possint distributionibus quotidianis in casu? 9° An idem ius competat caeremoniariis, magistris, et publicae universitati inservientibus? 10° An Capellani in organo canentes cum musicis frui debeant distributionibus? 11° An et quomodo Camerarius Universitatis absens a choro lucrari possit distributiones in casu? 12° An Capellani praefecti spiritualibus exercitiis frui debeant distributionibus in casu? » reposuit « ad 8. et 9. affirmative in omnibus, dummodo in Metropolitana ecclesia munus exerceant. Ad 10. negative, excepto actuali Capellano, attentis peculiaribus circumstantiis. Ad 11. affirmative pro diebus et horis, onerata, amissis distributionibus inter praesentes tantum. Ad 12. negative iuxta votum Eminentissimi relatoris. » Reproposita eadem causa, S. C. die 22 iunii 1844 statuit in decisis, quoad omnia, si excipias 8^{m}, in quo rescripsit. « In decisis iuxta modum, nimirum quoad Archiepiscopum extra Metropolitanam functiones pontificales exercentem. » Insuper circa capellanos, de quibus in 10 dubio, edixit faciendum esse verbum cum SS.^{mo} Altera Tran. 20 Dec. 1862, ad dubia: « 1° An et quomodo Canonici tempore divinorum officiorum audientes confessiones censeri debeant praesentes in choro ad affectum lucrandi distributiones in casu? 2° An et quomodo iidem Canonici missam celebran-

tes tempore divinorum officiorum, tamquam praesentes haberi debeant in choro ad eumdem effectum in casu? 3° An et quomodo Canonici assistentes Archiepiscopo in pontificalibus, aliisque functionibus, vel missam privatam celebranti absentes a choro lucrentur distributiones in casu? 4° An et quomodo lucrentur distributiones iidem Canonici Archiepiscopo assistentes in pertractandis negotiis dioeceseos, vel ipsum in Dioecesi comitantes in casu? 5° An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absentes a choro ad expendendas rationes massae capitularis in casu? 6° An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absentes a choro ministerio praedicationis vacantes in casu? 7° An et quomodo Canonici lucrentur distributiones, dum absunt a choro pro examine ordinandorum vel confessariorum in casu? 8° An et quomodo Canonici rectoris, administratoris, professorum, et examinatorum munus exercentes in seminario a choro absentes lucrentur distributiones in casu? 9° An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absentes a choro, ut Pro-Vicarii Generalis, Cancellarii, et Actuarii, aliaque munera in Curia exerceant in casu? 10° An et quomodo lucrentur distributiones Canonici absentes a choro rerum capitularium, vel mensae Archiepiscopali vacantes in casu? 11° An et quomodo Canonicus Cancellarius Capituli lucretur distributiones pro negotiis capitularibus in Archivis distentus in casu? » reposuit: « ad 1. negative in omnibus, excepto poenitentiario; ad 2. negative, nisi de licentia praefecti et in populi commodum; ad 3. affirmative ad 1 partem; prout in Lucion. 18 Aug. 1641; ad 2 partem negative; ad 4. negative in

omnibus; ad 5. affirmative per tempus ab ordinario praefiniendum; ad 6. negative in omnibus; ad 7. negative in omnibus; ad 8. negative in omnibus; ad 9. negative in omnibus; ad 10. quoad Canonicum administratorem rerum capitularium affirmative pro diebus et horis, quibus reapse incumbit in administratione; in reliquis negative. Ad 11. negative, nisi in casu urgentiae. «In Causa Lucion. 17 Aug. 1641, quam S. C. indicavit in dubio 3, cum quaesitum esset, an decretum Concilii cap. 12, sess. XXI de ref., locum habeat, quando Episcopus in aliis Ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus pontificaliter celebrat, vel paratus adsistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis et missae solemnia, vel alia pontificalia exercet, si numerus sufficiens Canonicorum et ministrorum in Ecclesia cathedrali remaneat?» Responsum fuit: «Habere locum.»

Indultum vero apostolicum tantum potestatis tribuit distributionum recipiendarum, quantum exprimit, et exspirat lapsu temporis praefinito. Misso hic Decreto, quo Innocentius XII die 9 Maii 1683, indultum reformavit, quo Urbis Canonici ac Beneficiarii, ut a chori servitio eximerentur, potiebantur, non abs re erit in medium afferre quae S. C. C. die 6 Maii 1820 decrevit. Namque dubiis propositis « 1° An et quomodo sit concedendum indultum abessendi a choro addictis S. Sedis servitio sive in temporali, sive in ecclesiastico munere? 2° An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii nunquam possunt, durante munere, suis Ecclesiis deservire, et chorali

officiaturae personaliter interesse? 3° An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expediendis negotiis tum ecclesiastici, tum temporalis regiminis? 4° An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus pontificiae capellae sive in munere magistri caeremoniarum, sive acolythorum et clericorum? 5° An et quomodo sit concedendum indultum lectoribus in publicis Universitatibus? 6° An sit confirmandum vel concedendum indultum pro excipiendis fidelium confessionibus sive in ecclesia beneficii, sive in alia ecclesia vel monasterio, vel vacantibus exercitio SS. Missionum, aliisque pietatis operibus? 7° An et quomodo sit concedendum indultum Coadiutoribus, sive ratione munerum, sive causa studiorum? 8° An sit concedendum indultum addictis servitio particularium personarum, quavis etiam dignitate fulgentium? 9° An et quomodo sit providendum in futuro? » rescriptum fuit: « Ad 1ᵐ Affirmative in omnibus pro diebus et horis, amissis distributionibus inter praesentes tantum. Ad 2ᵐ Negative, exceptis Nuntiis et Internuntiis. Ad 3ᵐ Affirmative pro diebus et horis, amissis. Ad 4ᵐ Affirmative pro diebus et horis, dummodo personaliter, et ex munere intersint, amissis distributionibus inter praesentes, onerata. Ad 5ᵐ Affirmative pro diebus et horis, amissis. Ad 6ᵐ Negative, excepto tantum casu verae necessitatis. Ad 7ᵐ Negative in omnibus. Ad 8ᵐ Negative, exceptis Caudatariis S. R. E. Cardinalium, ad formam tamen decreti diei 19 Augusti 1690. Ad 9ᵐ ad D. Secretarium cum SSᵐᵒ iuxta mentem: mens est, indulta adhuc concessa esse confirmanda, sive re-

vocanda ad formam praecedentium resolutionum, et supplicandum SS^{mo}, ut in posterum non concedantur, nisi per S. C. C., sub poena nullitatis, utque ea indulta non valeant, nisi obtento decreto exsecutoriali Ordinarii, seu legitimi Superioris. » S. C. C. indultum pro diebus et horis tribuere solet consultoribus SS. CC., qui absque ulla mercede ac lucro operam suam navant. Eadem indulgentia dignos esse putat, qui munere deputati ecclesiastici in ditione pontificia funguntur, quod in utilitatem ac commodum populi vergi videtur. S. C. C. 31 Ian. 1835. Pariter indultum datur canonicis, qui sacris missionibus se vovent, dummodo accedat Episcopi iussum, sin'minus consensus, ut habet S. C. C. 18 Maii 1830.

4° Tenentur Canonici ad residentiam; siquidem Canonici propria officia atque munera explere nequeunt, nisi in suis Ecclesiis immorentur. Cap. Quia nonnulli, 3 de Cler. non resid., Cap. Relatum 4, et Trid. Conc. sess. XXIV, c. 12. Huic legi subiicitur etiam coadiutus, licet a chori servitio immunis sit; qua in re melior est conditio iubilati, qui residentiae lege non tenetur, nec ab Episcopo ad Ecclesiae servitium constringi potest, nisi ob illius absentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod subire dignoscatur. Porro Canonicis permittitur, ut ex aliqua honesta causa tres menses abesse possint, « salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. » Licet S. C. C. statuerit nullam exposci licentiam, ut Canonici in mensibus permissis a choro abesse possint, tamen id sibi locum haud vindicare censuit, quotiescumque Canonici extra dioecesim abire voluerint, quo in ca-

su venia Episcopi impetranda, qui absque rationabili causa nunquam eam denegare poterit. Vide S. C. C. in Iudent. 9 Maii 1628 et Castrimaris 4 Maii 1738.

Notandum hic est, Canonicos, qui ultra tres menses, absque legitima causa absunt, dimidia fructuum parte, praeter distributiones quotidianas, primo anno multari; secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia omnibus fructibus, quos eo anno lucrati sunt, destitui, et crescente contumacia, post expletum triennium, praeviis monitionibus ac citationibus, titulo quoque privari posse. Vide S. C. C. in Verulam rest. et priv. fr. 8 Ian. 1865. An Canonici ipsi iure priventur; pro rata absentiae, an post prolatam sententiam, disputatum est et plura in utramque partem dicta sunt. Ast Ben. XIX Const. Cum semper, iure ac merito ait, « Verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime faciant suos, et consequenter ne teneantur ad eorum restitutionem. »

§ 80.

De potestate Capituli Cathedralis.

Omnia Capitula, quatenus peculiare corpus et ab Episcopo separatum constituunt, absque Episcopo conventus agunt, de rebus ad Capitulum pertinentibus deliberant, nova de his negotiis statuta, indictis etiam multis, condunt, non tamen fundationis legi aut praescriptae consuetudini, nec iuri communi, nec iuribus tertii contraria, atque a legitimo Superiore probanda et confirmanda, proprio sigillo utuntur, et Syndicum habent, qui negotia Capituli gerit. Vide votum in causa Senogall. 9 Maii 1829. Thesaur. t. 89 et 93, an. 1833. At vero Cathedralis Ecclesiae Capitulum quatenus unum corpus efficit cum Episcopo et Senatum Ecclesiae constituit amplissima

potestate potitur tum sede Episcopi plena, tum ipsa sede vacante. Sede plena plura negotia sunt, in quibus tenetur Episcopus aut consensum aut saltem consilium Capituli exprimere, de qua re superius dictum est.

At, vacante sede episcopali, non ex privilegio vel delegatione, sed ex iure communi administratio Ecclesiae vacantis ad Capitulum pertinet. In ipsum enim ordinaria Episcopi iurisdictio transfertur per textum in cap. Ilis QUAE, et in cap. CUM OLIM de Maior. et Obed. Itaque Capitulum, vacante sede, statuta condit et poenas infligit, Fagnanus in cap. A NOBIS 21 de sent. excomm. num. 45 et seqq.; causas ecclesiasticas cognoscit atque dirimit, et caetera peragit, quae ordinaria potestate episcopali continentur. Caeterum multa sunt, quae, dum Ecclesia vacat, Capitulum agere nequit. In primis itaque non facit ea, quae sunt ordinis episcopalis, licet ad exercenda pontificalia recte queat exterum Episcopum advocare. Item quo primo anno sedes vacat, litteras dimissorias ad suscipiendum ab alieno Episcopo ullum ordinem non concedit, nisi Clericis arctatis, iis nempe, qui ratione beneficii ecclesiastici recepti, aut recipiendi ad ordinem suscipiendum compelluntur: post annum autem a die vacationis, sive post annum luctus Clericos omnes etiam non arctatos ad ordines suscipiendos dimittit. Nihil quoque, vacante sede, innovare potest de iuribus episcopalibus, nec bona Ecclesiae alienare et donare, in proprios usus convertere, eius statum deteriorem facere, nec litem de iuribus Ecclesiae movere aut prosequi, quod ex natura interregni dimanat, in quo nihil innovant, nihil diminuunt, qui gubernant, sed

tantum ea sibi sumunt, quae sine damno non differuntur. Hinc praesentatos a patronis instituit, quod institutio est actus iustitiae et necessitatis; sed beneficia non confert, neque ad ea eligit nec praesentat, ubi collatio, electio aut praesentatio ad unum Episcopum pertinent, neque etiam parochiales Ecclesias vacantes confert, sed tantum concursum indicit, et repertos idoneos, et inter ipsos magis idoneum Pontifici exhibet; qua de re multis agit Fagnanus in cap. 2. Ne sede vacante aliq innov. Denique Capitulum non facit ea, quae ex Canonum delegatione Episcopis concessa sunt, nec potest iis negotiis sese immiscere, quae per rescripta sive per litteras apostolicas Episcopo, aut eius Vicario generali commissa fuerint, quamvis uterque rem infectam reliquerit.

Cuinam administratio devolvatur, ubi vacante Sede Episcopali, nullum adest capitulum, exponit Ben. XIV Const. « QUAM SUBLIMI » 1755. An administratio capitulo devolvatur, adeo ut ad electionem Vicarii Capitularis id devenire possit, quando Episcopus sedem facto abdicans absque sanctae Sedis potestate, suum non relinquit Vicarium generalem, qui iurisdictionem exerceat, quaesitum est. Cum dioecesis nequeat remanere sine spirituali iurisdictione, valde probabile videtur, ex ipso abdicationis facto licet nullo et invalido ante acceptationem S. S., ius capitulo dari Vicarium Capitularem eligendi. Id eruitur ex litteris Card. Pacca an. 1814, qui tunc a secretis erat S. C., negotiorum extraordinariorum ad D. Ciamberlani S. Sedis negotiorum gestorem in Hollandia datis.

§ 81.

De Vicario Capitulari.

Quamquam viduatae Ecclesiae regimen ad universum Capitulum spectet, eius tamen temporalis regiminis, quod ad fructuum ac redituum perceptionem attinet, uni vel pluribus, iisque fidelibus diligentibusque viris, ubi id muneris capitulo incumbit, cura est tribuenda; regiminis vero spiritualis administratio singulari personae committenda est. Etenim Trid. Patres sess. XXIV, cap. 16 de reform. constituerunt: « Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, oeconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum et Vicarium idoneos possit constituere. »

Duo hic quaeri possunt. Alterum est, an duo, vel plures Vicarii Capitulares, attenta praesertim territorii vastitate, constitui vi consuetudinis pos-

sint? Non defuerunt qui putarent facultatem, qua capitulum iure communi fruebatur, plures deputandi vicarios, a Concilio Tridentino sess. XXIV, c. 16 de ref. haud fuisse sublatam per ea verba, quibus unius tantum Vicarii deputatio praescribitur. Verum postquam S. C. C. pluries declaravit « Capitulum non duos aut plures debere eligere, simulque reposuit in Panorm. 20 Apr. 1592, et Derth. 19 Martii 1639 « non esse eo decreto (Tridentino) sublatam consuetudinem duos aut plures vicarios capitulares eligendi, praesertim immemorabilem » iam dubitari amplius nequit, quin consuetudo saltem centenaria potens sit per se, ut plures Vicarii legitime deputentur. An consuetudo quadragenaria, et longi temporis sufficiat, quaestio est. Qui affirmativam sequuntur sententiam, innituntur tum litteris Cardinalis Pacca ad Vicarios capitulares Ecclesiae Nannetensis, in quibus declaratur Capitulum legitime plures vicarios iuxta usum Ecclesiae Gallicanae elegisse, tum pluribus conciliis provincialibus superioribus annis in Gallia habitis, et a S. C. C. de more recognitis, in quibus expressis verbis decernitur Capitulum posse deputare plures Vicarios secundum receptum morem ex diuturna consuetudine, tum denique ex litteris datis a SS. Congregationibus, et ab ipso summo Pontifice, sede vacante, et inscriptis Vicariis Capitularibus canonice electis. Qui negativam defendunt sententiam validioribus armis pugnare videntur. Hi enim afferunt 1° S. C. C. decis. Rom. 10 Maii 1623, et Tiran. 13 Ian. 1669, ubi, circumscripta contraria consuetudine legitime praescripta, responsum fuit nequaquam licuisse Capitulo, sede vacante, duos Vi-

carios constituere; 2° S. Poenitentiariae responsum 7 Iunii 1825, ubi dicitur « Vicarium capitularem unum tantummodo eligendum esse, iuxta Trid. Synodi sanctionem, » quo quidem omnis consuetudo, quae centenaria saltem non sit, reiici ac reprobari videtur; 3° Conc. Lugdun. an. 1849 celebrati auctoritatem, utpote quod de Vicario in singulari loquitur; 4° responsum Card. Cagiano ad Archiepisc. Rhemensem datum die 14 Iulii 1860: « Quod innuis, ait, istic, sede vacante, tres Vicarios capitulares eligi solere, animadvertunt EE. PP. Capitulum cathedrale intra octiduum, post obitum Episcopi, unum dumtaxat Vicarium capitularem, non autem duos, aut plures deputare debere... Monebis itaque capitulum, ut quando vacatio acciderit, quod longe sit, huic disciplinae adhaereat. » Accedit tandem responsum, quod tum an. 1821, 7 Iunii, ad Ep. Pictaviensem, tum anno 1863 ad Capitulum Petrocariense et Camorcense S. C. C. dedit. Quaerentibus enim « an Capitulum eligere possit duos Vicarios capitulares iuxta usum gallicum? » rescriptum fuit: « posse tolerari. » Iam vero haec duo conciliari nequeunt; benigne scilicet annuere, ut receptus mos tolerari possit, et supponere eodem tempore eumdem morem legitimae consuetudini inniti; quae enim consuetudini legitimae innituntur tolerari non solent, sed debent admitti, aut confirmari, et ea solum benigne tolerantur, quae consuetudinis conditiones haud praeseferentes, legi derogant, et specialibus de causis introducta facile immutari non possunt. Mos, qui toleretur nec legitime receptus, nec iure approbatus dici potest. V. Revue des sciences ecclésiastiques, livr. mai et juin 1863.

Alterum, quod quaeri potest, est, an Capitulum, omisso doctore, vel licentiato in iure canonico, possit alium in Vicarium capitularem, etiam extra gremium Capituli eligere, quem magis idoneum ac prudentem reputat? Sunt qui affirmativam sequuntur sententiam, sive quod dictio illa, *vel alias*, alternativa ac disiunctiva, quoad effectum, dicenda sit; sive quod S. C. C. electionem non doctoris, spretis doctoris querelis, saepe confirmandam esse decrevit. Vide de Luca, annot. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 19: et Formosini, de Pot. Cap. tract. 1, q. 9, qui ait: « Usus invaluit in Hispania, ut aliquando eligantur de gremio capituli qui non sunt doctores, et hoc iustificari potest, si alius eligatur prudens et idoneus. » Qui negativam tenent sententiam, in eo toti sunt, ut probent per concilii decretum ordinem ita esse constitutum, ut doctores prius, et ipse Vicarius generalis defuncti Episcopi pariter graduatus admittantur, dummodo digni ac idonei sint, iisque solum non exstantibus, alius, qui omnibus inspectis, magis gubernio idoneus reputatur in Vicarium capitularem assumatur. Qui quidem auctores eo progrediuntur, ut affirment Capituli facultatem ita coarctari, ut doctor eligi debeat omnino, etsi unicus, caeteroquin idoneus, in gremio Capituli reperiatur. Alternativae siquidem dictiones, aiunt, ordinem in textu conciliari inducunt, non optionem, ita ut ad secundam alternativae partem devenire Capitulum nequeat, nisi in subsidium et in defectum primae. Afferuntur pro hac sententia nonnullae S. C. C. decisiones.

Verum S. haec Congregatio, attentis specialibus factorum circumstantiis, aliquando irritam,

aliquando validam nominationem Vicarii non doctoris, posthabito doctore, declaravit; unde ex eius agendi ratione, regula generalis omnibus casibus accommodanda constitui haud posse videtur. Reapse in Gauriensi et alior., 23 Ianuar. 1862 ad dubium: « An et quomodo deputatio Vicarii capitularis non doctoris, aut licentiati in iure canonico, licet electus fuerit Vicarius generalis praedefuncti Episcopi, nullitate laboret, si unus saltem de gremio Capituli sic graduatus existat? » reposuit: « Providebitur in casibus particularibus, et ad mentem. » Quae cum ita sint, ne quid de hac quaestione desiderari videatur, pauca subiiciam, quae tamquam certa admitti possunt: 1° Si intra vel extra Capitulum nullus gradu decoratus existat, vel adsit quidem, sed qualitatibus ad tanti oneris munus prudenter exercendum requisitis careat, licitum erit Capitulo, sive Vicarium generalem defuncti Episcopi, in quo maiorem idoneitatem adesse praesumitur, confirmare, sive alium, non graduatum, sed idoneum e gremio Capituli, aut extra ipsum eligere. 2° Exstantibus tam intra, quam extra Capitulum graduatis, simulque idoneis viris, licet quemlibet ex iis magis idoneum iudicaverint Canonici stricto iure nominare queant, ut ait de Luca, cit. loc.; tamen S. C. C. aequitatem sequuta, pluries censuit, Capitularem, extraneo, *caeteris paribus*, esse praeferendum, simul decernens haec verba, *caeteris paribus*, ita esse intelligenda, ut sufficiat Capitularem habere qualitates a Concilio requisitas. 3° Existente in Capitulo unico tantum doctore, aliis tamen idoneis non deficientibus, doctor est necessario eligendus in Vicarium capitularem. S. C. C. id decrevit in

eccl. 3 Iulii 1677, ubi ad dubium « an existente in Capitulo unico tantum doctore, aliis tamen idoneis non deficientibus, » doctor necessario sit eligendus in Vicarium Capitularem; reposuit: » In casu proposito affirmative. Semel autem Vicarius electus revocari non amplius potest, nisi causa cognita, et a S. C. EE. et RR. probata, quod ab ea saepe declaratum esse refert Barbosa de Canon. et Dignitat. cap. 24. n. 47. Praeterea nihil sibi potest Capitulum reservare, sed tota potestas, quam habet, in Vicarium conferenda omnino est. S. C. C. die 1 Dec. 1736 ad 3, et in Adrien. iurisdict. 30 Maii 1835 ad dubium: « An reservatio facta a Capitulo in Vicarii Capitularis electione, prout in casu, valida sit? » rescripsit: « Negative in omnibus. » Tempus autem dierum octo currit a die, quo notitia vacationis habita sit, et si in Ecclesia per translationem Episcopi vacaverit, duo meminisse oportet; I. est, iurisdictionem penes ipsum Episcopum prorogari, quoad eius vinculum cum vinculum cum priori Ecclesia in Consistorio Pontificis solutum fuerit: II. est, perlata eius solutionis notitia ex documento Secretarii S. Collegii, vel alio indubio testimonio, Episcopum translatum ab omni usu iurisdictionis abstinere omnino debere, etiamsi Apostolicae litterae translationis nondum expeditae, nec secundae Ecclesiae possessionem adeptus fuerit.

Qui vacantis Ecclesiae Episcopus a principe est nominatus, eiusdem Ecclesiae regimen et administrationem ante suam confirmationem proprio nutu, suscipere nequit. Is enim tanquam intrusus habendus esset, licet administrationem sub no-

mine Vicarii Capitularis, susciperet. Canones enim generatim et universim cavent, ne quis Ecclesiae regimen in Ecclesiis quovis praetextu et quaesito colore aggrediatur. Hinc Clemens XI in suis litteris in forma Brevis « IN SUPREMO », die 24 Augusti 1709, iure merito declaravit, Franciscum de Solis, qui, habita a Philippo V Hispaniarum rege ad Episcopatum Abulensem nominatione, regimen et administrationem eiusdem Episcopatus, ceu Procurator et Vicarius, ante Apostolicam confirmationem aggressus erat « nullam in eadem Ecclesia sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia iurisdictionem, aut potestatem habere vel habuisse, adeoque nec ullam circa ea, quae Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut alias forum conscientiae, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse, nec potuisse. » Sic etiam Pius VII tum suis litteris Savonae datis ad Vicarium capitularem Ecclesiae Florentinae die 2 Decemb. 1810, tum aliis ad Vicarium capitularem Ecclesiae Parisiensis datis, die 18 eiusdem mensis et anni, graviter pronuntiavit, Episcopos ad eas sedes nominatos administrationi earumdem sedium recipiendae gerendaeque sub Vicarii capitularis aut alio quovis nomine inhabiles prorsus esse, atque adeo administrationem huiusmodi « non modo improbandam, verum etiam irritam et nullam fore, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiae leges, eiusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad principia legitimae missionis obscuranda et destruenda. »

Qui a Capitulo electus est Episcopus nequit administrationem dignitatis, ad quam electus est,

ullo colore ac titulo exercere, antequam eius fiat a S. Sede confirmatio. Patres Concilii Lugdunensis II, an. 1272, cap. AVARITIAE de Election. in 6, constituerunt « ut nullus de caetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, oeconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium pro parte, vel in toto gerere vel recipere, aut illi se immiscere praesumat: omnes illos qui secus fecerint, iure, si quod eis per electionem quaesitum fuerit, decernentes eo ipso privatos. » Bonifacius VIII, Extravag. INIUNCTAE inter comm. an. 1300; Alexander V, Constit. « EX INIUNCTO, » Iulius II. Constit. «ROMANI PONTIFICIS, » et Iulius III, ut alios mittam, Constit. « SANCTISSIMUS, » non modo Lugdunensi Canoni adstipulati sunt, verum etiam poenas in eo sancitas admodum auxerunt. Quid dicendum sit de cap. NIHIL 44, de electione, sermo deinceps redibit.

In disputationem positum est, an vacantis Ecclesiae Vicarius capitularis deputari a Capitulo possit, qui iam eiusdem Ecclesiae vel electus a Capitulo, vel a Principe nominatus est Episcopus. Qui negativam sequuntur sententiam sic ratiocinantur. Cum can. Avaritiae generatim statutum sit, ut nemo ad episcopatum electus, ante confirmationem possit quovis unquam nomine, vel quaesito colore administrationem eius episcopatus suscipere, consequens omnino est, nec electum, nec nominatum Episcopum in Vicarium capitularem constitui ullo pacto posse, secus enim hoc nomine vacantem ecclesiam administraret. Praeterea,

aiunt, cum Tridentina Synodus loco cit. iusserit « Episcopum ad vacantem Ecclesiam promotum, de iis, quae ad eam spectant ab Oeconomo, Vicario et aliis quibuscumque, sede vacante, constitutis rationem exigere, perspicuum est. Vicarii capitularis et futuri Episcopi personam esse distinctam oportere, cum sibi nemo rationem reddat. Tandem SS. Pontifices, nullo non tempore declararunt administrationem Ecclesiae vacantis, quam nominati a Principe aggressi sunt, ante apostolicam confirmationem, nullam esse et invalidam. Pius VII, Archiepiscopo Florentino sciscitanti an Episcopus Nanciensis ad sedem Florentiae per Napoleonem nominatus, a Capitulo Flor., praevia renuntiatione Vicarii capitularis, possit eligi in Vicarium capitularem, reposuit « negative.» S. Poenitentiaria die 7 iunii 1821 ad dubium propositum a Canonico Pictaviensi « an Canonici titulares eligere possint pro Vicario capitulari hunc sacerdotem, qui iam a Rege Christianissimo sedis vacantis Episcopus nominatus est? » rescripsit: «Ex cap. Avaritiae, et ex pluribus litteris in forma brevis Pii VII, minime eligi posse in Vicarium capitularem sacerdotem illum, qui ab Rege nominatus est Episcopus sede vacante. » Gregorius XVI, allocutione 5 martii 1841, de negotiis Hispaniarum, haec habet: « Querimus de vacantium Ecclesiarum Canonicis temere inductis, aut aperta etiam vi adactis, ut munus Vicarii Generalis viro a Gubernio in Episcopum nominato deferrent contra sanctiones Concilii Lugdunensis. » Qui affirmativam tenent sententiam, haec omnia loca alio omnino spectare dicunt. Nam, aiunt, de hac quaestione ne verbum quidem fit in can. Avaritiae,

praesertim quod de Vicario capitulari tunc temporis nil per canones statutum erat, in eoque tantummodo sermo est de *electis*, non vero de *nominatis*, et generatim de his, « quos avaritiae caecitas et damnandae ambitionis improbitas in illam temeritatem impellit, ut quae sibi a iure interdicta noverint, exquisitis fraudibus, usurpare conentur, et administrationem Ecclesiae, sibi tamquam procuratoribus seu oeconomis committi procurent. » Quibus verbis « cum non sit malitiae hominum indulgendum » stricte prohibet, ne de caetero « administrationem Ecclesiae ante confirmationem sub oeconomatus vel procurationis nomine, vel alio de novo quaesito colore, gerere et recipere, aut illi se immiscere praesumat. » Quo valde perspicuum ipsis videtur sermonem hic haberi de Episcopo electo, qui propria auctoritate, ante confirmationem, ambitione aut avaritia ductus administrationi immiscere se audet. Itaque, prosequuntur, non est quaestio nisi de Episcopo, et Capitulum in genere non vetatur quominus electum vel nominatum Episcopum nil talia molientem, ac praetendentem, quin imo repugnantem, in Vicarium capitularem deputet. Concilium Tridentinum, prosequuntur adhuc, duo praescribit loc. cit., quorum alterum est, Capitulum decernere « oeconomum unum, vel plures, qui rerum ecclesiasticarum ac proventuum curam gerant, quorum rationem, ei ad quem pertinebit, sint reddituri, » atque insuper vicarium intra octiduum constituere. Alterum est, Episcopum promotum « in iis quae ad eum spectant, ab iisdem oeconomo, vicario, et aliis quibuscumque officialibus et administratoribus, qui sede vacante, fuerunt a capitulo vel ab aliis in e-

ius locum constituti, etiamsi fuerint in eodem capitulo, rationem exigere officiorum iurisdictionis et administrationis. » Hinc concludunt nil haberi quod exigat necessario, ut Vicarius capitularis et Episcopus distinctae personae sint, praesertim quod Episcopus electus vel nominatus, si factus Vicarius capitularis sit, potest ab oeconomo uno vel pluribus, aliisque a Capitulo constitutis rationem administrationis exigere, licet sibi, qua Vicarius capitularis eam reddere nequeat. Ab auctoritate tandem SS. PP. facili negotio se expedire posse putant, animadvertendo iure optimo administrationem, quam ii Episcopi sub Vicarii capitularis, aut alio quovis nomine gesserunt, irritam ac nullam declaratam esse, non ea praecise ratione quod Vicariorum capitularium, si a Capitulo canonice deputati fuerint, officio fungi nequiverant, sed vel quod nominationem acceptarunt, quae ob res in deteriores partes cum solemni clavium contemptu actas, prohibita erat, vel quod propria auctoritate et abusu saecularis potestatis in administrationem hoc titulo sese immiscuerunt, emendicata a Vicario capitulari existente, renuntiatione, ac minis etiam et sollicitationibus extorta, prout in casu Eccl. Florentinae et Parisiensis, vel quod Canonici, ut ait Gregorius XVI, aperta vi adacti, vel timore inducti, vel honoris causa contra canonicas regulas eos ad tale munus deputarunt, vel quod demum agebatur de Episcopis, qui alterius ecclesiae vinculo devincti ac copulati erant, quique propterea, antequam vinculum a S. Sede solutum esset, administrationem vacantis Ecclesiae, ad quam nominati erant, suscipere nulla ratione poterant. Vide litt. Fontana

ad Vic. capit. Parisien. 9 Martii 1815. Quibus sic explicatis, ii auctores se probasse arbitrantur, electum a Capitulo, nominatum a Principe, et etiam a Summo Pontifice promotum in Vicarium capitularem valide ac licite deputari, dummodo id canonice et sponte fiat a Capitulo. Pro nostro instituto praecipua utriusque sententiae argumenta indicasse sufficiat.

Notandum hic quod qui negativam sequuntur sententiam, et ii maiores numero sunt, non unum idemque sentire videntur de altera quaestione, quae adhuc submoveri potest, an Vicarius capitularis statim ac ad sedem episcopalem, quam vicaria auctoritate iure iam administrat, electus et nominatus est, teneatur illico se munere suo abdicare, ita ut, iuxta sanctionem citatam Lugdunensis Concilii, Ecclesiae eiusdem, sub quovis titulo ac nomine regendae ac gubernandae, statim inhabilis prorsus evadat? Sunt qui nihil omnino dubitant, quin, inspecta casus diversitate, negativam tueantur sententiam, quin imo Bouvier Inst. Theol. t. 4, p. 155, edit. Paris 1853, postquam dixit: « Haec privatio iure non exprimitur, et odia restringi convenit, » haec addit: « SS. Gregorius XVI, eo sensu respondit anno 1832, in causa D. Blanquart de Bailleul Vicarii capitularis Versaliensis ad sedem episcopalem eiusdem ecclesiae nominati. » Hanc sententiam tenet auctor « Prael. I.-C. habitae in Seminario S. Sulpitii » t. 1, p. 1, art. 2, p. 222. Non desunt tamen qui cum Reiffenstuel, tit. de Elect., n. 43, in affirmativam descendunt sententiam, praesertim quod ipsis visus est in utroque casu canon Concilii Lugdunensis sibi locum vindicare; par enim ratio inesse videtur utrique spe-

ciei. Accedit, argumentum desumptum ex auctoritate Gregorii XVI, valde nutare, quandoquidem compertum nobis est, nullum de citato responso vestigium neque in regestis Curiae Versaliensis, neque in archivis SS. Urbis Congregationum reperiri. Et haec de proposita quaestione innuisse sufficiat.

Vide op. « Nullità delle amministrazioni capitolari abusive dimostrata con documenti autentici, per l'avvocato Carlo Fea, » Roma 1815; Card. d'Astros, « du pouvoir prétendu des sujets nommés aux Évêchés, » Toulouse 1839; Muzzarelli « De l'administration capitulaire des sujets nommés aux évêchés, » et « Disposizioni canoniche circa l'Elezione de' Vicarii capitolari in risposta al rescritto circolare di Mancini 14 maggio 1861. Napoli nell'officio dell'*Ape Cattolica.*

§ 82.

De diversis honoris gradibus in Capitulo.

Inter Canonicos eminent, qui Personatum, aut Officium, aut dignitatem obtinent. Personatus est honoris praerogativa sine ulla administratione et iurisdictione: Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine ulla honoris praerogativa et iurisdictione: Dignitas est praerogativa honoris cum iurisdictione, aut administratione. His honoris gradibus praesertim insigniti fuerunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Praepositi, Decani, Primicerii, Cantores, Thesaurarii et Scholastici. Nunc autem Canonicis haec quidem honoris nomina relicta sunt, sed nomina inania, et dignitates ven-

tosae vocari solent, quod nullum pene retinent vestigium pristinae potestatis.

At nomine, et re quidem vera dignitas, vel officia sunt illa duo, quae Concilium Lateranense IV instituit, scilicet Theologi et Poenitentiarii. Saluberrima haec institutio stabiliorem deinde formam accepit a Syn. Trid. sess. v, cap. 1 de reform., quae iussit in omnibus Cathedralibus Ecclesiis et insignioribus Collegiatis Theologum Canonicum constitui, qui divinas litteras explanaret, unamque ex Canonicalibus praebendis, ubi primum vacaverit, huic officio assignari. Vult etiam sess. xxiv cap. 8 de reform. « ut in omnibus... Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, qui Magister sit vel Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel Iure Canonico, et annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro qualitate loci reperiatur. » Quamvis ubique ferme locorum decretum hoc vires suas nactum sit, tamen Ben. XIII ad ampliorem eidem observantiam comparandam edidit Const. PASTORALIS pro Italia, insulisque adiacentibus. Id ipsum praestitit Gregorius XVI encyclicis litteris. Inter multiplices, die 8 Maii 1844 datis.

Iam vero Theologi officium est, praestitutis ab Episcopo diebus et horis Scripturam Sacram explanare, aut etiam in rebus Theologicis, quae ad salutem animarum spectant, Clerum et populum publico loco erudire. Qua de re multis agit Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 13, cap. 9 S. C. C. in Pacen. 14 Aug. 1765 ad dubium: « An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Epi-

scopi etiam per multas, loco S. Scripturae, legere casus conscientiae, seu Theologiam moralem? » rescripsit « Affirmative, » et die 3 Iulii 1784 ad dubium, « An Canonicus Theologus, loco explicationis S. S., possit explicare catechesim, et dicere lectiones Theologiae Moralis, » reposuit: « Scribatur Episcopo iuxta mentem: mens est, ut omnino servetur cap. 7, sess. XXIV per eos, qui curam animarum gerunt: quoad vero Canonicum Theologum, suas lectiones peragere debere iuxta tradita a Ben. XIV de Syn. cap. 9, Episcopus vero cogere potest Canonicum Theologum, ut Theologiam moralem et casus conscientiae legat. » Verum post Encyclicam Gregorii XVI mox citatam, S. C. S. non semel reposuit haud expedire commutationem lectionis S. S. in explicationem casuum conscientiae. In Dork. 27 Iulii 1844 ad dubium « An et quomodo sit annuendum postulato super commutatione lectionis S. S. in casuum conscientiae explicationem? » reposuit: « Non expedire, et Episcopus curet executionem nuperrimae encyclicae SS. D. N. « In Casalen. 26 Iunii 1847 ad dubium « An et quomodo Theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones S. S. instar Concionis habendas, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis? » reposuit: « Negative, et servetur lectio biblica ad tramites Conc. Trid. sess. VI, cap. 6, et prout exponitur in Conc. Rom. an. 1725, t. 1, cap. 8: » Numerus lectionum, licet pro Italia quadragenarium ad minus attingere debeat, ut pluries declaravit S. C. C., et praesertim in Centumcell. per summaria precum 18 Dec. 1847, isque numerus imminui nequeat, absque speciali S. Sedis indulgentia, ut patet ex Balneoreg.

V. SS. LL. 9. Maii 1840, tamen Pro reliquis locis ab Episcopo, pro eius arbitrio, praefiniendus est. Munus autem Poenitentiarii est fidelium confessiones excipere: est enim, ut ait Fagnanus in cap. GRAVE de Praeb. et Dig.: « Quasi Parochus totius Dioecesis, habetque ius audiendi Dioecesanorum confessiones non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege, id est a Tridentino Concilio, ideoque Ordinarius censeri debet. » Eius tamen potestas non ita late patet, ut possit casus Episcopo reservatos sine ipsius Episcopi delegatione relaxare.

Theologus autem qua die Scripturae lectionem habet, aeque ac Canonicus Poenitentiarius, quamdiu in Sacro Tribunali iudex sedet, quotidianas distributiones, aliaque emolumenta, ut superius diximus, capiant, perinde atque choro et divinis officiis interessent. Denique Leo X, Sixtus V et Gregorius XIV pro Hispania et pro Gallia, Clemens XIV pro Sardiniae regno, Leo XII pro Sabaudia, et Pius IX pro Anglia, Hollandia, ac Foederatis Americae Statibus praescripserunt, ut Officium Theologi ac Poenitentiarii, praevio concursu, addiceretur. Ben. XIII. cit. Const. PASTORALIS ulterius voluit, ut concursus fieret coram Episcopo et quatuor examinatoribus, in theologali facultate licentiatis, et valde peritis, ab eodem Episcopo eligendis, officium magis idoneo et probato conferretur, simulque praescripsit, ut theologus saltem intra annum Doctor in s. Theologia fieret. Nec sufficit eum utriusque iuris laurea coronatum fuisse. Vide Benedictum XIV de Syn. Dioeces. lib. 13, cap. 9, n. 16.

S. C. C. in *Avers.* 21 Nov. 1829 proposito dubio, an Episcopus polleat iure eligendi ad Prae-

bendam Theologalem et Poenitentiariam, quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem iudicaverit, seu potius illum eligere teneatur quem magis idoneum in eodem concursu Examinatores renuntiaverint? » respondit « affirmative ad primam partem, negative ad secundam. » Idem confirmavit in *Urbevetana Concursus* 11 Iulii 1846, et in alia 17 Dec. 1852 ac 18 Feb. 1863.

Item Archidiaconus non amplius tenetur decreto Concilii sess. XXIV cap. 12 de ref. de laurea doctorali suscipienda, etiamsi in Bulla Apostolica suae provisionis sit clausula « quod infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis.» Qua de re confer Lucium Ferraris ad verba *Archidiaconus*, Monacelli tom. III, supplem. ad I. tom., num. 212, et S. C. C. in Senogallien. 9 Augusti 1766.

Qui de Canonicis plura scire desiderat, adeat praeter alios, Barbosa de Can. dignitatibus aliisque honor., Scarfantonium ad Ceccoperium, I. Ab. Iekstadt, de Capitul. Metrop. et Cathed. Archiep. Germaniae origine, progressu et iuribus ad 2. Amstelod. 1774, Bürs de Capit. clausis Eccl. tam. Cathed. quam Colleg., Maii de dignitate in Capit. Cath., et Zindel de Eccl. Cathedr.

§ 83.

De origine Parochorum.

Parochi sunt Presbyteri, quibus intra certos limites Dioecesis assidua et perpetua animarum cura tradita est. Hanc Parochorum germanam indolem exhibet Trid. Syn. sess. XXIV, cap. 13 de Reform., dum ait: « In iis civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem re-

gant, sed promiscue Sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis pro tutiore animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo licite Sacramenta suscipiant, aut alias utiliori modo, prout qualitas loci exiget, provideant. »

Primis Ecclesiae saeculis nulli exstiterunt Parochi, qui certa huiusmodi et stabili sede proprium populum ac territorium haberent, sed unus erat totius Dioecesis Pastor et idem Episcopus, qui in animarum salute procuranda, ubi opus esset, Presbyterorum opera utebatur. Hinc Tertullianus de Bapt. cap. 17: « Dandi quidem Baptismi ius habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dein Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. » Consule Marium Lupi Dissertat. de Paroeciis cap. 6, edit. Bergami 1788. At numero fidelium aucto tum in civitatibus, tum etiam ruri, Presbyteri constituti sunt, eisque peculiaris et proprius populus assignatus est, unde Parochi duxerunt originem, quorum institutio pluribus auctoribus quarto Ecclesiae saeculo antiquior non videtur. Nam Canone Dionysii Papae, qui tertio saeculo vixit, non satis evincitur Paroecias ea iam aetate exstitisse, cum Canon a plerisque apocryphus traducatur. Hoc tamen minime obstante, non desunt, qui putant saeculo iam tertio presbyteros in pagis saltem, parvisque oppidis exstitisse, qui fidelium ibidem commorantium coetibus ex officio praesiderent, ac munera parochialia, etiamsi nomen Parochorum, quod nondum invaluerat, non praeseferrent, re quidem seiunctim ab

Episcopo peragerent. De hoc argumento vide, praeter auctores plures, cl. Binterim op. « Denkwürdigkeiten der Christ. Katholischen Kirche, apud quem argumenta reperies, quibus nullas in civitatibus episcopalibus, dempta forsan Alexandria et Roma, ante an. 1000 paroecias exstitisse demonstrare conatur. Sunt etiam qui tertio saeculo antiquiorem, imo vero divinam originem et institutionem Parochis tribuunt, tanquam successoribus septuaginta duorum Discipulorum, quos Christus ipse designavit, adeoque, praeter Pontificem et Episcopos tertium constituunt in Hierarchia iurisdictionis gradum, in quo Parochos locandos esse iure divino existimant. Verum haec de divina Parochorum institutione sententia a celeberrimis Theologis et Canonistis iamdiu refutata est.

Opinio de divina Parochorum origine a Gersone prius in medium exposita iamdiu a celeberrimis Theologis et Canonistis profligata est. Parochi quidem institutionis divinae sunt, quod ad characterem ordinis attinet, propterea quod in ordinis Hierarchia divinitus constituta, praeter Episcopos, Sacerdotes etiam, et Ministri positi sunt, et sub hoc respectu nullum gradum ad exclusionem caeterorum presbyterorum sibi vindicare possunt. At nullum in Scriptura, aut in Traditione testimonium reperitur, quo demonstrari possit, Parochos a Christo institutos fuisse. Hinc S. Thomas 2, 2 q. 188 art. 4 ad 5 ait: « Dicendum, quod formam septuaginta duorum Discipulorum non solum tenent presbyteri, Curati, sed quicunque alii minoris ordinis, qui Episcopis in eorum officio subserviunt. Non enim legitur quod septuaginta duobus Discipulis Dominus aliquas determinatas Parochias assignaret, sed quod mittebat eos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. » Dionysius Petavius in Eccl. hierarch. l. 3, c. 16, n. 2 loquitur de missione, quam septuaginta duo discipuli a Christo acceperunt; nullam autem, in hac missione, ordinis aut iurisdictionis potestatem agnovit. « Prior ista missio, ait, nullam aliam quam praedicandae poe-

nitentiae, ac tam doctrina, quam miraculis praeparandi ad Christi fidem populi facultatem illis indidit: non regendi gubernandique ius ullum, aut potestatem sive ordinis, sive iurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa et, ut loquuntur, actu tradidit. » Quo posito iam sequitur parochos esse institutionis ecclesiasticae, adeoque haud constituere tertium ordinem, habereque in populos sibi commissos regiminis potestatem propriam, immediatam, ac principalem, ita ut efficiantur in parochiis suis iure divino Christi Vicarii, sicut Episcopi in Dioecesi, et Papa in tota Ecclesia, quod Iansenistarum acerrimus fautor Nicolaus Travers effutire non erubuit in proscripto suo opere: « Le pouvoir légitime des Pasteurs du premier et du second ordre, » et post eum propugnare ausi sunt, inter alios, Van Espenius Ius Eccles. Univers p. 1, t. 6, c. 2, t. 22, c. 1 et p. 2, t. 2, Schismatica Ultraiectensis Synodus, ut videre est in op. « Acta et Decreta Syn. Prov. Metr. Ultrai. » An. 1763 p. 3, Tamburinius, « Vera idea della S. Sede, » c. 1, §. 6, Caietanus De Rottenstader de div. Instit. Past. sec. ord. et haeretica Synodus Pistoriensis « Atti e decreti del Concilio di Pistoia. Firenze 1788. » Non inde tamen inferas, Parochos habendos esse, uti meros Episcoporum commissarios, ut contendit Nardi op. « sui Parochi, » quandoquidem iure ordinario suum exercent ministerium, populumque sibi commissum proprio nomine regunt, adeoque Episcopo non licet Parocho rite instituto nullaque innodato censura, paroehialium munerum exercitium prorsus delere, eiusque iurisdictionem imminuere adeo ut inanis prorsus remaneat.

De hoc argumento late disserit cl. Ioannes Devoti *Institut. canonic.* lib. 1, tit. 3, sect. 10, §. 87, itemque Petrus Paludanus de *caus. immed. Eccles. potest.* art. 2 conclus., Reclusius de re parochiali univers. Romae 1763, Bolgenius « Vera idea della S. Sede, » De la Luzerne, Des droits et des devoirs des Evêques. Paris. Migne 1844, Bouix Tract. de Parocho p. 1, sess. 1, c. 4, §. 1 et Victorinus Aug. Houwen Dissert. de Paroch. statu. Lovanii 1844, c. 1, §. 1-5.

§ 84.

De officiis Parochorum.

Praecipua Parochorum officia haec sunt: 1° publicam orthodoxae fidei professionem in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram Vicario Generali seu Officiali, intra duos menses adeptae possessionis emittere. Contraria, si qua adest consuetudo, ut observat Ben. XIV Inst. 60, n. 7 « licet constans habeatur, nihili facienda est. » 2° Pueros rudesque personas christianae fidei rudimenta ac vitae praecepta edocere, atque diebus etiam Dominicis, festisque solemnioribus concionem ad populum habere, eique per se, vel alterius opera, ubi Parochi se rite distineri dignoscant, exponere et explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt, eo tamen orationis genere, quod sit ad audientium captum atque intelligentiam accommodatum. Neque se hoc onere solutos censeant, propterea quod sacrae conciones alibi habeantur, ut monent Conc. Trid. sess. V, c. 2, sess. XXIII, c. 1, sess. XXIV, c. 4 de reform., Innocentius XIII Const. « APOSTOLICI MINISTERII » et Benedictus XIV Instit. 10. 3° Dies per hebdomadam solemnes, vigilias ac ieiunia, si qua incidant, Stationes ac indulgentias, quae Ecclesiam loci pie adeuntibus, aliave exercitia ineunte hebdomada peragentibus decreta sunt, et supplicationes demum, pompas, novendiales vel triduales precationes, aliaque id genus alicubi obeunda denunciare. Conc. Trident. sess. XXV de reform. decret. de delectu ciborum; de qua re confer Constitutionem S. Pii V « CUM

PRIMUM » 1 apr. 1566, Sixti V « PROVIDE » 29 apr. 1589 et Benedicti XIII « CONTINUO » 4° Praesto esse in Sacramentis Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis populo administrandis, eique paterna caritate et studio opitulari. 5° Baptizatos, matrimonio copulatos, et mortuos suis libris distincte diligenterque adnotare. 6° Missarum oneribus, aliisque legatis piis satisfacere, aedificia et bona Ecclesiae temporalia sedulo curare. 7° Oves suas agnoscere, eisque verbo et vitae exemplo praeire. 8° SS. Missae sacrificium pro populo eorum curae concredito, *per se ipsos*, nisi legitimo detineantur impedimento, vel per alium *necessitatis casu* et *concurrente causa canonica*, offerre et applicare, tum omnibus dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui de Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt; idque praestare Parochi tenentur, quocumque vocentur nomine, sive sint perpetui, sive amovibiles ad nutum, et ad breve tempus constituti, et praecario titulo curam gerant, sive *congruos* habeant reditus, sive non, cum non causa redituum, sed ratione officii, pro populo perlitare teneantur, ut statuit Conc. Trident., et S. C. C. in Unogall. 20 martii 1790. Confer. Const. Benedicti XIV « CUM SEMPER » 19 aug. 1744, Innocentii XII, decretum « NUPER, » an. 1699, decis. tum S. C. C. 28 Martii 1801; 9 Dec. 1840 : 14 Iunii 1841; 27 Ian. 1842, et 25 Sept. 1847; tum S. R. C. 18 Oct. 1818, 22 Ian. 1842, 27 Feb. 1842, et 22 Iunii 1848, nec non Epist. Encycl. Pii IX « AMATISSIMI REDEMPTORIS » 3 Maii 1858, ubi haec habentur: « Quod

vero attinet ad festos translatos dies ad unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini Officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet. » Quae diximus, applicari etiam debent Missionariis, ac Vicariis Apostolicis, qui praesunt Ecclesiis vere ac proprie parochialibus, utpote qui vero ac proprio sensu dicuntur animarum curam gerere. Vide S. C. C. in Egitan. 1777 ; et S. C. de Propaganda Fide dec. 25 Maii 1788, 11 Martii 1843, 23 Marti 1863, et etiam, si lubet, Verhoeven in op. « Dissertatio canonica de SS. Missae sacrificio a Parocho, aliisque curam animarum habentibus pro plebe sibi concredita Deo offerendo diebus dominicis et festis, » Hasselti 1849, et Mélanges Théologiques, » 2 série. Caeteri vero missionarii, ipsique vicarii apostolici, qui vere parochi non sunt, eo quod alicui derelicto populo, nullo pastoris titulo, succurrunt, sed missione, aut S. Sedis delegatione mysteria dispensant, nulla missam offerendi pro populo, cui praesunt, obligatione ex iustitia tenentur. An teneantur ex caritate missam offerre, quaesitum fuit. S. C. de Propaganda fide die 5 Feb. 1803 reposuit « ex caritate id decere. » Verum 12 Sept. 1843 ait « eos teneri nonnisi ratione caritatis. » Cum vero obligatio ex caritate oriatur tantum ex alterius necessitate, cum praeterea missae applicatio pro populo numquam absolute necessaria dici debeat ad populi salutem, vel ad servandum iustitiae statum, eo quod alia media non desint, profecto iure meritoque eadem

S. Congregatio die 23 martii 1863 ad dubium 3. « An illis, qui ex iustitia non tenentur, responderi debeat decere ex caritate, vel teneri ex caritate ad applicandam missam pro populo, » reposuit « vitandam esse locutionem teneri ex caritate, dicendum autem esse decere ex charitate, idque ut nulla propriae dictae obligationis significatio appareat. » Eximuntur pariter ab hoc onere parochorum coadiutores, ex S. C. C. Tiburt. 22 decemb. 1835, vicariique perpetui, qui in solidum, aeque ac parochi curam non obtinent, nec non cappellani carcerum, nosocomiorum, monialium, domorum pro pauperibus, aliorumque locorum, ut habet S. C. C. « dubia per summaria precum 2 Iun. 1860. Cum porro obligatio celebrandae missae pro populo non a iure divino absolute spectato, sed tantum hypothetice considerato oriatur, hinc fit, ut peculiares dari casus possint, in quibus, pro re ac tempore, aliqua huius obligationis remissio parochis est tribuenda, quibus extantibus ad S. C. Concilii fiat recursus, vel si agatur de quibusdam Episcopis ac Vicariis apostolicis, ad S. C. Propagandae Fidei praepositam. Porro SS. CC., ne onus gravius sit, iis maxime pastoribus, quorum e tenui parochia exigui sunt reditus, non solum indulgere solènt, ut ad dominicos solum dies officium pro populo celebrandi finiatur, sed etiam ut in aliam eiusdem hebdomadis diem sacri perlitatio transferatur, si dies dominica fixa ac certa missa, impedita sit. Verum nequit concedi, ut Parochi ab onere applicandi missam pro populo prorsus eximantur. Huc spectat responsum datum a S. C. C. ad Episcopum Spirensem die 18 Feb. 1865. Attenta namque Sacerdotum penuria, ex qua fiebat, ut unus pa-

rochus par non esset satisfaciendis missarum oneribus, sive quae ex fidelium oblationibus in dies proveniebant, Antistes enixe rogabat, ut parochi exonerarentur ab onere applicandi missam pro populo diebus festis. Responsum est : « Negative et ad mentem. Mens est, ut Episcopo facultas detur ad septennium indulgendi, ut missae provenientes a fundationibus perpetuis celebrari extra dioecesim etiam possint. » Haec quae hucusque exposuimus ad occidentalem Ecclesiam referuntur.

An in Ecclesia orientali res eodem modo procedere debeant, quaesitum est, et S. C. de Propaganda Fide die 23 martii 1863 ad dubia; 1° an obligatio applicandi missam pro populo, quae secundum ius Ecclesiae occidentalis imponitur Episcopis et Parochis locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis? et quatenus affirmative 2° an quoad dierum determinationem servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiuntur in aliquibus dioecesibus eiusdem ritus? 3° an in defectu talium legum et consuetudinum, eiusmodi dierum determinatio fieri debeat iuxta normam et integram extensionem legum occidentalium? 4° an ob graves rationes et circumstantias, locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus occidentalibus et deveniri etiam ad totalem dispensationem, obligatione tamen iniuncta orandi pro populo in iisdem missis, quae applicari pro eodem deberent ? » responsum est « ad 1. affirmative; ad 2. affirmative; ad 3. negative, ad 4. provisum in 3° et ad mentem. Mens fuit, quod secundum opportunitatem inculcaretur Episcopis Ecclesiae orientalis obligatio, qua etiam in eo gravantur animarum pastores applicandi a-

liqua vice missam pro populo et, in eo quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis Ecclesiae, ut ex hac normam habeant ad dignoscendum, usque dum ea convenire posset in eorumdem dioecesibus et quocumque in casu ad proponendum S. S. eas moderationes, quas necessarias putaturi essent. »

Tandem Parochorum officium est in Paroecia residere. Residentia tum materialis, tum moralis est: illa importat, ut Parochus diu noctuque in Parochia regulatim commoretur, aedibusque parochialibus vel, ubi iis destituatur, domo propinquiori Ecclesiae degere et inhabitare teneatur; ista requirit, ut ad subveniendum fidelium necessitatibus praesto semper sit. Ubi is corpore solum intersit, et nulla aut leviora tantum munera sibi reservet, reliquis omnibus suis Vicariis attributis, nullum est dubium, quin lethali crimine obnoxius sit, et a Praeside pro culpae gravitate plecti possit, licet praebendae fructus suos faciat. Si vero corpore absit, duplici pro non residentia poenae subiicitur; quarum altera est fructuum ipso iure privatio, pro rata temporis, quo abfuerit, quibusvis privilegiis et consuetudinibus, quae corruptelae sunt, abrogatis; altera est ipsius tituli privatio, praeviò processu iuridico, et monitionibus. Liberum vero erit Episcopo contra Parochum non residentem sive per fructuum subtractionem, servatis intervallis, sive per censuras, sive per beneficii privationem procedere; namque S. C. C., ut refert Fagnanus in cap. An tua de cler. non resid. ad dubium: « An sit arbitrio Episcopi, qua via et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione, vel

subtractione fructuum, vel privatione? » respondit: « Ita esse. » Fructus hi applicari debent ex Conc. Trid. sess. XXIII, c. 1 fabricae ecclesiae, praesertim si indigeat, secus pauperibus.

Residentiae lex non est adeo rigorosa, ut Parocho abesse numquam liceat; quin imo id ei iure permittitur, dummodo 1° rationabilis adsit causa; 2° Episcopi licentia obtineatur, 3° sacerdos, durante absentia, praevio Episcopi examine et approbatione substituatur. Causa primum plus minusve urgens requiritur, prout absentia longiori breviorique tempore protrahitur. Ut absentia bimestre excedat, gravis causa expostulatur, eaque ultimatim ad unam ex quatuor notis refertur; nempe christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Si absentia bimestri contineatur, sufficit quodlibet motivum, ex. gr. honestae recreationis ad levandum animum. Ad Episcopi licentiam quod spectat, haec semper in scriptis, gratisque dari debet, nisi agatur de modici admodum temporis absentia, legitima interveniente causa, in quibusdam casibus, ubi licentia Vicarii Foranei sufficit; quin imo si talis necessitas repente sese offerat, quae dilationem non patiatur, parochus discedere potest, absque ulla licentia, quia necessitas non habet legem, et solum tenetur, quamprimum de discessu, ordinarium certiorem reddere, vel directe, vel per Vicarium Foraneum, ut de vera causa, ac necessitate cognoscatur. Tandem, sive diuturno, sive brevi absit tempore, Parochus providere debet, ne ullum detrimentum spirituale patiantur fideles, adeoque Vicarium, pro custodia gregis, deputare tenetur.

De quaestione, an et quando Parochus eadem die, in diversis, sive in eadem ecclesia licite bis Sacrum conficere queat, vide Benedictum XIV, Const. « Declarasti » ad epist. Oscensem, 16 martii 1746 et votum Cardinalis de Zelada Thes. S. C. C. 26 aug. 1768, ubi haec leguntur: « Ut liceat parocho duas paroecias habenti, vel duos populos maxime inter se dissitos, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus Missae Sacrificio intersit, sive celebranda ea sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, sive in una tantum ecclesia, ad quam universus populus nequit insimul convenire, non alia necessitatis causa admittenda secundum hodiernam Ecclesiae disciplinam, quam quae oritur ex defectu alterius Sacerdotis, qui aliud Sacrificium offerre possit. Quae tamen ita intelligenda sunt, ut nullum inde inferri putetur praeiudicium aliis casibus, qui solent contingere in Sacris Missionibus, in quarum utilitatem Missionariis conceditur facultas plures Missas celebrandi eodem die; » et inferius: « ad facultatem bis in die festo celebrandi concedendam haud sufficere, secundum hodiernam Ecclesiae disciplinam, necessitatem quamcumque, sed eam requiri, cui nulla alia ratione remedium afferri possit, et ex qua Episcopi coacti dici queant ad illam impertiendam. » Quaestio itaque eo tota reducitur, ut videatur, an, deficiente altero Presbytero, aliqua adsit causa, quaecumque ea tandem sit, sed tamen vera, qua celebratio alterius sacrificii in diversa, vel eadem ecclesia parocho concedatur in bonum non exiguae populi partis, quae eidem, si unicum sit, interesse nequiret. Vide Mélanges Théologiques, 4 série, 3 cahier, p. 424 et seqq. Decisiones tum S. Offi-

cii die 1 Dec. 1841, tum S. R. C. in caus. 16 Septem, 1815, 22 Maii 1841, 11 Sept. 1847, tum etiam S. C. C. Nicien. 20 Nov. 1790, Vent. 19 Dec. 1835, et Lingon. 23 Ian. 1847, quas reperies in Analectis Iuris Pontificii Oct. 1853 pag. 545.

Hic tria notanda sunt: 1 est ex decis. S. C. C. in Lucen. Applic. Miss. 12 Martii 1774 Parochum teneri applicationi missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex Ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter, vel subiective coniunctae sunt, atque incorporatae, cum applicatio unius tantummodo missae pro populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae ac coniunctae sunt, ut ex duabus una prorsus exurrexerit cum tituli extinctione. 2. est, Parocho vel alio sacerdoti, ratione solummodo necessitatis missam iteranti, permitti, ut una libere applicetur, ita tamen ut nulla inde eleemosyna, quocunque titulo recipiatur; S. C. C. die 2 Martii 1855. 3. Est, Parochis aliisque, qui sacrum, necessitate exigente, in locis a parochiali Ecclesia remotis celebrant, permitti posse, ut stipendium aliquod, titulo remunerationis pro speciali labore recipiant. S. C. C. in Munster. 11 Ian. 1845 et per summaria precum 23 Maii 1861. Haec certa sunt, nec allegari potest consuetudo, etiam immemorabilis, veluti titulus sufficiens ad missam legitime iterandam, siquidem in hac materia consuetudo nec praesumptivam, nec praescriptivam vim habere potest, quin imo potius corrupte dicenda est. S. C. C. 22 Feb. 1862. Tandem notandum est S. RR. Congregationem, attentis difficultibus, quibus Parochi subiiciuntur, quando sale-

brosum arduumque iter aggredi debent pro secundo sacro in alia Ecclesia litando, praesertim si flumina traiicere equitando debeant, provide decrevisse, ut loco unius eiusdemque calicis, de quo ediderat decretum die 16 Sept. 1815, duplici calice parochus uti possit iuxta decretum et instructionem die 11 Martii 1858 editam, quam vides in Analectis Iuris Pontificii, 27 Maii et Iunii 1858, p. 756, et Revue des Sciences ecclésiastiques, n. 10, pag. 275.

§ 85.

De iuribus Parochorum.

Gravissimis Parochorum officiis multa iura adiuncta sunt, quae idcirco parochialia vocantur. Itaque ad Parochum pertinet 1° Ius fori poenitentialis, et ideo Parochus potestate ordinaria parochianos suos sacramentaliter absolvit, tum in propria Paroecia, tum etiam in alieno territorio, cum iurisdictio voluntaria extra proprium territorium explicari possit. Non tamen Parochiani, etiam in paschate et mortis articulo, vetantur coram altero Sacerdote approbato peccatorum maculas expiare. 2° Ius conferendi Baptismum, ac proinde habendi Fontem baptismalem, nisi eum sibi Ecclesia matrix reservaverit: Conc. Trident. sess. XXVI, cap. 2 de reformat. matrimon. 3° Ius administrandi sacram Eucharistiam in Paschate, quo tempore parochiani Sacram Synaxim alibi sumentes sine Parochi venia Paschali praecepto non satisfaciunt, non obstante immemorabili contraria consuetudine, quae non est attendenda, nisi ser-

mo sit de Ecclesia Cathedrali, ut ait S. Rota 14 Maii 1779 et 24 Ian. 1780 cor. Riminaldo, et S. C. C. in Ilerd. 7 Maii 1785. 4° Ius ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem Parochianis in periculo mortis constitutis, etiam privative quoad Capitulum cathedrale vel collegiale, nisi probetur legitimum in contrarium receptum esse morem, ut S. C. C. habet 3 Dec. 1718. Vide Benedictum XIV de Synodo Diocesana lib. 7, cap. 21, etBarbosa de Parocho cap. 22. 5° Ius assistendi matrimoniis, et nuptiis benedicendi. Conc. Trident. sess. XXIV, cap. 1 de reformat. matrim. 6° Ius sepeliendi, iura stolae, aliasque oblationes, seu consuetas et laudabiles praestationes accipiendi atque etiam percipiendi decimas, nisi victui et cultui Parochorum aliunde consultum sit. Olim Parochus contentiosam etiam iurisdictionem sibi vindicabat. Hinc memoriae proditum est, tum laicos, tum clericos excommunicasse. Id satis ostendunt verba S. Thomae in Summ. q. 22, a. 1. Nunc vero Parochus omni iurisdictione caret, quod pertinet ad forum externum, et iure communi nequit causas audire, leges ferre, neque super legibus dispensare. Verum praeter iura Parochialia sunt etiam *functiones Parochiales* dictae, quia a Parochis fieri consueverunt, non tamen omnes *privative*, ut aiunt, ad eos pertinent, de quibus Parochos inter et Confraternitates laicorum, earumque Capellanos et Officiales saepius certatum est, proindeque SS. CC., in primisque S. R. C. ad avertendas lites decreta ediderunt, quae referuntur a Benedicto XIV in Inst. Eccl. 105, § 4. Vide C. C. Reatina 13 Ian. 1844.

Parochis illiteratis, et imperitis, aut curae ani-

marum ineptis ab Episcopo etiam tanquam Sedis Apostolicae delegato Coadiutor *ad tempus* dari potest, quin imo debet; ex c. 3 DE CLER. AEGROT. et ex Trid. Syn. sess. XXI, cap. 6 de Reform., « partemque fructuum eisdem Coadiutoribus pro sufficienti victu Episcopus assignare, vel aliter providere potest. »

Item Episcopus, si necessarium iudicaverit, Parochum cogere poterit, ut tot sibi sacerdotes ad hoc munus adiungat, quot ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum sufficiant. Concil. Trid. sess. XXI, cap. 4, de Reform. In disputatione positum est 1° an Parochus absque Episcopi licentia et auctoritate, ob adversam valetudinem, vel ob populi incrementum, aliasve iustas causas, in parochialis officii exercitio presbyterum ad excipiendas confessiones et ad Dei verbum praedicandum debite probatum, adsciscere sibi possit? Pro affirmativa sententia affertur Dec. S. C. C. t. 12, p. 80, 99, 155, ubi ad dubium, « an in casu infirmitatis curabilis et temporalis ipsius parochi possit ipsemet in vicarium temporalem constituere unum ex confessariis approbatis absque licentia et alia speciali approbatione Episcopi in casu? » responsum fuit « affirmative, dummodo eligatur unus de gremio participantium et amplius. » Pro negativa afferuntur Constitut. Innoc. XII, « APOSTOLICI MINISTERII, » et Ben. XIII, « IN SUPREMIS, » quae haec habent: « Ubi etiam praedicti coadiutores, aut Vicarii temporanei a Parochis nominati, vel assumpti fuerint, de eorum idoneitate Episcopis constare pro examine debet, antequam ad exercitium admittantur, nec satis sit, quod ad

confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis praediti sint.» Licet hae constitutiones pro regno Hiberico editae sint, quae tamen ad rem nostram pertinent universae Ecclesiae convenire ex pluribus S. C. C. definitiobus apertum fit ac manifestum. Reapse die 26 Apr. 1732 ad dubium « an et ad quem spectat ius eligendi Coadiutorem in exercitio curae, quoties opus est? » responsum est « spectare ad Parochum cum approbatione Ordinarii, » et in Com. 7 Aug. 1745 et Ausc. 26 Feb. 1763 aperte dicitur « a Capitulo Parochum nominandum et ab Episcopo approbandum esse. » Pro hac sententia standum est, eo vel magis, quod superius citata definitio alio spectare videtur, ut paululum attendenti patebit. In Galliis, Belgio ac Hollandia id moris est, ut Vicarii et Coadiutores Parochorum ab Episcopis, Parochis haud contra reclamantibus, directe nominentur et removeantur. Non est huius loci inquirere, an id legitime fiat, vi legis synodalis, longae consuetudinis, S. Sedis silentii, alteriusve tituli, quandoquidem constat S. C. C. semel ac iterum reposuisse, « servandum esse huiusmodi usum, usquedum aliter fuerit a S. Sede deliberatum. » Vide responsum S. C. ad Episcopum Leodiensem an. 1845. Vide pariter Praelect. Can. in Sem. S. Sulpicii t. 1, p. 402, Bouix de Parocho p. 659, et Analecta I. P. Civ. 43 Iulii et Aug. 1860. 2° In disputationem positum est, an Episcopus, quando ipse debet congruam fructuum portionem Vicariis et Adiutoribus Parochorum definire, eam ex oblationibus e Sacramentorum administratione, ac funeribus provenientibus decer-

nere iure possit. Verum nullus amplius dubitandi hac de re locus relinquitur, post S. C. C. decisionem per summ. precum 9 Sept. 1848. Vide Mélanges théologiques 3 Série 1849-1850 p. 173, et Bouix tract. de Episc. vol. 2, p. 5, c. 32.

§ 86.

De Parochorum creandorum forma et ratione.

Nemo Parochiali Ecclesiae praeficiendus est, qui vigesimum quartum aetatis annum non exegerit, cap. Cum in cunctis de Elect. Parochiales vero Ecclesias dignioribus conferendas esse statutum est in cap. Quoniam de Iurepatron.; et in cap. Constitutis de Appellat. Quae quidem res ut fideliter servaretur, in Concil. Trid. cap. 18, sess. XXIV de Reform. lata lex fuit de concursu habendo in collatione Parochialium Ecclesiarum, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent, ut ex praevio competitorum examine is Parochiali Ecclesiae praeficiatur, qui moribus, doctrina et prudentia caeteris antecellit. Examen autem competitorum ex eadem Tridentina Synodo coram Episcopo, vel suo Vicario, et tribus saltem Examinatoribus Synodalibus habendum est, eoque absoluto fit tantummodo potestas examinatoribus renuntiandi quotquot regendae Ecclesiae idoneos iudicarint, reservata uni Episcopo electione dignioris ex approbatis. Vide S. C. C. in Hortana Paroeciae 27 Martii 1801, et praeter Constitutiones tum S. Pii V « IN CONFERENDIS » 18 Martii 1566, tum Benedicti XIV « CUM ILLUD » 14 Dec. 1842, confer responsum Ssmi Dni Nostri Pii IX, quod suis

edictalibus litteris 21 Febr. 1854 Episcopus Leodiensis refert et commendat, ut legere est in « Revue Théologique » 1er cahier Février 1856, p. 12.

Ecclesiae iurispatronatus Laicorum a lege concursus solutae sunt; namque Episcopus debet Rectorem a patrono oblatum instituere, dummodo facto experimento coram Examinatoribus in Synodo designatis eum ferendo muneri Parochiali parem esse compererit. Potest vero Patronus Laicus plures vel simul, vel etiam successive Episcopo praesentare; ei tamen non licet praesentationem priorum iam perfectam retractare. At vero Ecclesiae iuris Patronatus Ecclesiastici conferendae sunt per concursum, ita quidem ut patronus debeat inter Competitores approbatos ab iisdem Examinatoribus digniorem eligere, eumque Episcopo offerre: Episcopus autem praesentatum a Patrono Ecclesiastico tamquam digniorem instituere omnino debet, neque in iudicium patroni inquirere potest, nisi aliquis sit, qui de eo iudicio conqueratur. Vide Benedictum XIV in Const. « REDDITE NOBIS » tom. II sui Bullarii. Quin etiam ab indicendo concursu abstinendum est in Parochialibus Ecclesiis iurispatronatus mixti, ne iura laicorum ob consortium cum Ecclesiastico Patrono laedantur; quae declaratio est S. C. C. die 6 Febr. ann. 1628.

Sunt praeterea Paroeciae quaedam primitivae, seu *in habitu* ut vocantur, quarum nempe cura *habitualis* cum Capitulis, Abbatiis, aliisve Ecclesiis coniuncta est; *actualis* autem per vicarium, seu Pro-Parochum exercetur. De his Paroeciis a Trid. Syn. sic decretum est sess. VII cap. 4 de Re-

format.: « Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, aut monasteriis, seu Collegiis, aut Locis piis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur. » Illud vero compertum est ad Vicarium Parochialem totam animarum curam, et iura spiritualia pertinere, adeoque Vicarius proprio et ordinario Parocho comparatur. Debet tamen Vicarius sive perpetuus, sive amovibilis ab Episcopo examinari et probari, ac proinde integrum est Episcopo praesentatum sibi Vicarium non probare, si parochiali muneri impar sit, aut congrua eidem portio non assignetur. Vide Constitutionem S. Pii V. « AD EXSEQUENDUM » 1 Nov. 1567.

Vicarii autem perpetui officio suo privari non possunt, nisi legitima causa et probata, et consulto Episcopo cap. 31 De Praeben. Sed Vicarii temporarii, seu ad nutum amovibiles sine causa removeri possunt, dummodo dolus et omnis odii causa abfuerit, et notabile exinde, ob speciales circumstantias, damnum ipsis haud sequatur, ut Rota Romana ait in Hispalen. 23 Iunii 1642 coram Peutingero Decision. t. 1, p. 9; quin imo Vicarii temporanei a Capitulis ac Monasteriis nominati, tum ab Episcopo, tum a Superiore Regulari, non requisito alterius consensu, animarum cura

privari possunt, nec unus alteri tenetur causas iudicii sui aperire; quod a S. C. C. decretum est, et confirmatum a Benedicto XIV in sua Bulla « FIRMANDIS » dummodo remotio fiat absque dolo, et non ex odio.

Quaesitum est, an regularis praefici possit curae animarum ab Episcopo, sine dispensatione apostolica, et S. C. C. censuit non posse, nisi accedente dispensatione, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae, ut refert Fagnanus Cap. quod Dei timorem de statu Monach. n. 17. Idem dicendum de Canonicis regularibus, qui, aiente Bened. XIV Const. INSCRUTABILI 9 Iulii 1745, absque apostolico indulto ad seculares parochias promoveri non possunt. Excipe regulares praemonstratenses, quibus est privilegium quascunque parochiales ecclesias, absque beneplacito apostolico assequendi et retinendi; de qua re vide Ben. XIV Const. ONEROSO 1 Sept. 1751.

CAPUT IX.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS

§ 87.

De origine Monachorum et Regularium.

Personis Ecclesiasticis accensentur Monachi et Regulares, de quibus postremo loco dicendum est. Iam inde ab Ecclesiae primordiis fuere, qui vitam ad Evangelica consilia accuratius exigerent, et corpore in servitutem redacto, mente a mundanarum rerum amore libera, in sancta Dei contemplatione quiescerent, ab ipsa severioris vitae exercitatione *Ascetae* dicti, a graeca voce ἄσκησις exercitatio, ut observat Antonellius « Opera S. Iacobi Nisibeni dissertat. De Ascetis » cap. 1 et 2 Romae 1756. An esseni, seu therapeutae aegyptiani inter ascetas accensendi sint, quaestio est, de qua vide, praeter Antonelli, Haiden « dissert. de therapeutis» t. 4, Zaccaria, et op. « examen libri Verhoeven» t. I. Huius vitae institutum tum viri tum foeminae, et praecipue virgines profitebantur, quae perpetuam castitatem promittentes, ab Episcopo consecrabantur, sacrumque velamen accipiebant. At in propriis domibus versabantur; si tamen minus caste viverent, aut nuptias inirent, excommunicabantur, quod ex can. 15 Concili Chalcedonensis compertum est. Inducta vero inter mares monastica vita, paullatim factum est, ut virgines quoque a frequentia hominum separatae,

et intra coenobia perpetuam castitatem, et communem vivendi regulam profiterentur.

Quae autem fuerit vitae monasticae origo sive iuridica, sive historica, non una est omnium sententia. Ad originem iuridicam quod spectat, alii dicunt monasticam vitam ab ipso Christo esse institutam, quia statum monasticum de necessitate essentiae ad Ecclesiam pertinere arbitrantur. Alii tenent esse institutionis humanae, ita ut Ecclesia sine ordinibus regularibus existere possit. Alii asserunt eius originem a Christo quoad substantiam, ab Ecclesia vero quoad peculiarem determinatumque vivendi modum, repetendam esse, de qua sententia Suarez de Rel. t. c. 2, n. 3 ait: « Haec est sententia catholicorum recte sentientium. » De historica origine, notandum illud in primis est, quod qui antiquitus communiter vitam agebant, coenobitae a voce graeca κοινός communis, seu monachi dicti sunt; anachoretae vero seu eremitae, a voce ἀναχώρησις recessus ἐρημία desertum, iure nuncupati, qui ut curas profanas, aut persecutiones effugerent, vel etiam ut liberius pietati et divinarum rerum contemplationi operam darent, in loca deserta et solitudines sese receperunt, inter quos primi ac nobilissimi fuerunt Paulus et Antonius Aegypti Eremitae. Paulus quidem huius vitae auctor, illustrator autem Antonius, qui sectatores plurimos habuit, eosque certis vivendi regulis ac legibus addixit. Videntur itaque non procul a veritate abesse, qui distinguentes inter vitam anachoreticam et coenobiticam, S. Athanasii et Hieronymi verbis innixi, illam quidem Paulo et Antonio, a quibus primum eremus habitari coepta est, acceptam referunt, hanc autem haud antiquis-

simam esse seu a principe Ioanne Baptista fundatam, ut nonnulli argumentis demonstrare connituntur, sed, aedificatis coenobiis, et inducta communi vita, a Pacomio et Basilio in Oriente, fundatam esse putant, in Occidente autem a S. Athanasio primum et dein a S. Benedicto absolutam, et longe lateque diffusam. Benedictus enim aut primus, aut certe inter primos et communem regulam tradidit, et solemnis professionis formulam praescripsit, ut Monachi ad perpetuam eiusdem regulae observantiam adstringerentur, cum antea « tot propemodum typi ac regulae essent, quot cellae ac monasteria, » ut ait Cassianus lib. 2, Inst. cap. 2. Vide Selvaggium Antiq. Christ. Inst. lib. 1, p. 2, cap. 13, § 2, et Helyot op. « Histoire des Ordres Monastiques. »

Monasticum Institutum ad Benedictinae regulae normam stetit ad saeculum usque nonum, quo tempore cum aliquid remittere de pristina disciplina visum esset, ad illam instaurandam ortae sunt Congregationes Cluniacensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Cisterciensis, Trappistae, Carthusianae aliaeque, unde monasticum institutum, quod antea ferme unum erat, in plures Ordines divisum est, et nova itidem monastica Instituta invecta sunt, quae vitae contemplativae se dicant, ac devovent.

Canonici Regulares, uti supra diximus, ineunte saeculo nono clericalem statum cum vita monastica coniunxerunt et regulam a S. Augustino exaratam passim amplexati sunt, ideoque Canonicorum Regularium S. Augustini nomen acceperunt. Ex his ortum habuit Canonicorum Regularium Congregatio, quae, in Basilica Lateranensi recepta,

Lateranensis appellata est. Celebres etiam fuerunt Congregationes Canonicorum Praemonstratensium, et SS. Salvatoris: Canonici autem Regulares a Monachis discrepant, quia « etsi a SS. Monachorum consortio non putentur seiuncti, regulae tamen inserviunt laxiori, » ut legitur cap. 5 DE STATU MONACH. et vitam mixtam agunt, exercitio vitae monasticae sacra ordinis ministeria consociantes.

Perfectionem vitae monasticae et clericalis simul aemulati sunt Ordines Mendicantes, inter quos praecipui, et celeberrimi Fratres Minores S. Francisci, Praedicatores, Carmelitae, Eremitae S. Augustini, ex quibus veluti stipitibus processerunt caeteri Ordines Regulares, quorum originem atque indicem exhibet Doujat in Append. Praenot. Canonic. cap. ultimo. His denique accesserunt Congregationes Clericorum, qui, nuncupatis votis, certisque legibus addicti communem vitam agunt, ex quo factum est, ut Clerici Regulares vocarentur. Horum prima Congregatio est Theatinorum, deinceps veniunt Barnabitae, Societatis Iesu Patres, Somaschi, Scholarum Piarum Sacerdotes, Servitae, Minimi, Redemptoristae. Deinde et alii plures prodierunt, qui ex institutione sua principaliter ad opera misericordiae et caritatis exercenda, intenti erant, et vitam activam sequebantur eo fine, ut Christi fideles, qui pia peregrinatione loca sancta adibant, armis defenderent, vel christianos ab infidelibus in captivitatem redactos redimerent, ut sunt equites melitani, et religiosi a SS. Trinitate, et B. M. de Mercede pro redemptione captivorum. Accedunt aliae plures « quae, ut verba SS. Pii IX, Encyclicis litteris « UBI PRIMUM » 17 Iunii 1847, ad Superiores Ordinum Regularium datis, mea faciam, « ad maio-

rem Omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem procurandam a SS. viris divino afflatis spiritu institutae, atque ab Apostolica Sede confirmatae, earum forma pulcherrimam illam varietatem efficiunt, quae mirifice circumdat Ecclesiam et lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quae maximo tum Christianae, tum civilis reipublicae usui, ornamento, atque praesidio semper fuerunt. »

Interim Conc. Trid. sess. XXIV, cap. de reform. « concessit omnibus Monasteriis et domibus tam virorum, quam mulierum et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Cappucinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. » Hinc Fratres Minores de Observantia, et Cappucini Mendicantes ex regula, caeteri Mendicantes ex Constitutionibus dicuntur.

Illud denique monendum est, quod cum coeptum esset varias vivendi regulas, novosque Ordines excogitare, Concil. Lateran. IV sub Innoc. III an. 1215 « ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem induceret, prohibuit, ne quis de caetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat » cap. 9 DE RELIG. DOMIBUS. Quod quidem decretum a Concilio Lugdunensi sub Gregorio X renovatum, et a Ioanne XXII confirmatum est, atque adeo ad novam religionem et ordinem instituendum Summi Pontificis approbatione opus omnino est.

Vide Suaresium « De religione » t. 3, l. 2, c. 16, n. 4, 5, 6 et Bouix op. « Tractatus de iure regularium » Paris 1857 ; t. 1, p. 2, c. 2, §. 2, apud quos pertractatam reperies quaestionem, an S. Sedis approbatio de iure divino, an ecclesiastico tantum requiratur. Quaeri item solet, an haec approbatio de iure communi necessaria sit pro congregationibus et ordinibus, ubi viri et mulieres sub certo quodam ritu, ac habitu, devotionis et pietatis causa viventes, vel nulla vota emittunt, et religiosi statûs formam solummodo imitantur, vel vota tantum simplicia sive perpetua, sive ad tempus nuncupant, et unam ex quatuor magnis regulis, specialibus constitutionibus additis, assumunt. De hac quaestione satis nobis erit animadvertere a saeculo saltem XVII tum consuetudine, tum S. S. indulgentia factum esse, ut novae religiosae familiae de sola Episcopi licentia et auctoritate efformarentur, ac instituerentur, novis erectis domibus propagarentur, eximiis laudibus cohonestarentur, gratiis ac favoribus ab ipsa S. S. ditarentur, et approbatione tandem constitutionum ac regularum confirmarentur, eo modo ac ordine, de quo erit inferius dicendi locus §. de monasteriis. Vide Gautrelet Traité de l' Esprit religieux t. 1, p. 126 an. 1853.

§ 88.

De natura Status religiosi.

Religio, seu Status Religiosus communiter definitur « Fidelium ad christianae caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis, et castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus. » Ex quo facile colliges: 1° Finem Status religiosi in Christiana perfectione positum ; tria autem vota tanquam modum et media esse, quibus ad perfectionem facilius et tutius pervenitur. Quibus quidem votis peculiares Ordines alia superaddere possunt: sic Trinitarii captivorum redemptionem etiam vovent. 2° Ad statum religiosum aliqua regula, atque regimine opus esse, eo quod stabilis in

communi vivendi modus ita comparatus est, ut sine certa regula, et regimine non subsistat. 3° Vim et essentiam status religiosi in obligatione perpetuo servandi eadem vota ac regulam sitam esse, atque adeo promissionem eamque personalem atque perpetuam requiri. At satis esse videtur simplicia vota emittere, dum simplex quoque votum est perpetuum et constans vinculum, quo religioni obligamur. Huc facit Constitutio Greg. XIII « QUANTO FRUCTUOSIUS » an. 1583, « ASCENDENTE DOMINO » 1584, qua Scholastici Societatis Iesu veris et propriis Religiosis accensentur, etsi tria tantum vota simplicia nuncuparint et bonorum dominium adhuc servent. 4° Tandem regulam ab Ecclesia approbatam, et debita auctoritate munitam esse oportere, ut ea Communitas, ubi vovetur, in verum statum religiosum erecta sit, eique collata spiritualis potestas, qua status religiosus continetur, ex. gr. condendi statuta, eligendi Praelatos, ad professionem recipiendi, et alia id genus.

Notandum hic est, inter statuta et regulas maximum adesse discrimen. Regulae perfectionis modum proponunt, atque, a S. Pontifice approbatae, nunquam immutantur, ut de quatuor magnis regulis Basilii, Augustini, Benedicti, ac s. Francisci constat, quae proprie regularum nomine veniunt, et perpetuae sunt. Statuta modum explicant, quo illis uti liceat, et a superioribus confectae ac receptae, immutationi subiiciuntur. Ad rem S. Franciscus Salesius « Règles des Soeurs de la Visitation » t. 4, p. 474. « Les règles des religions proposent les moyens de se perfectionner au service de Dieu et les constitutions montrent la façon avec laquelle il les faut employer. » Saepe accidit, ut Constitutiones ipsae ab Apostolica Sede, sive absolute et *ex certa scientia*, seu *in forma specifica*, sive *conditionale*, seu in *forma communi*, confirmentur. Priori casu, cum Constitutiones legis pontificiae naturam induant, nullis

inferiorum fas est eisdem derogare; secundo casu integrum est statuentibus delere, atque ab illius obligatione aliquem ex iusta causa subtrahere. Vide Suarez lib. 8 de Leg. c. 18 et Ben. XIV de Syn. lib. 13, c. 5.

§ 89.

De Professione eiusque effectibus.

Itaque religiosa professio est certae et probatae Religionis promissio rite ac libere facta, legitimeque acceptata: rite facta dicitur, si profitens in eo statu sit, quo libere vovere possit, ac integrum et continuum probationis annum exegerit. Vovere autem prohibentur, qui decimum sextum aetatis annum non expleverint. Servis etiam ex antiquis regulis sine dominorum consensu, et Episcopis sine Pontificis venia ad professionem aditus non patet. Item coniugati post carnis commixtionem professionem edere nequeunt, nisi uterque libere consentiat, et in claustra sese recipiat, aut nisi saltem qui in saeculo remanet aetatis provectae sit, et ab omni incontinentiae suspicione absit, et praeterea coram testibus, et Ecclesiastico Superiore votum castitatis emittat. Quod si nullus adhuc matrimonii usus fuerit, tum certe alteri, altero etiam invito, ad monasticam vitam transire licet, quia coniuges post initas nuptias habent duorum mensium inducias, ut interim possint de amplectenda Religione deliberare. Necesse deinde est, ut professio libere edatur, propria nimirum et omnino libera voluntate eius, qui profitetur. Itaque non voluntas parentum liberos obstringere potest, et prorsus abesse debent quae libertati et voluntati propriae contraria sunt,

veluti error et ignorantia, multoque magis metus et coactio. Denique professio a legitimo Superiore acceptanda est: fit enim contractus instar, quo nempe profitens ad servandum vota et regulas obstringitur Deo et Religioni: religio autem obligationem contrahit ipsum alendi, retinendi, augendique illis bonis atque iuribus, quae peculiares Ordinum constitutiones communia esse voluerunt.

Professio autem duplex est, expressa nempe et tacita, quatenus aut verbis ore prolatis, vel scripto exaratis, aut factis ipsis enunciatur. Iure Decretalium et praesertim cap. 4 et 22 de Regul.; et cap. 1 et 6 eodem in 6; et Clementina 2ª eodem qui exacto probationis anno habitum monasticum non dimittit, sed manens intra claustra actibus professorum propriis sese immiscet, tacite professus habetur. Sed moribus iam receptis, professiones expressis verbis et adhibitis singulorum Ordinum solemnitatibus et ritibus emittuntur, scriptisque consignantur.

Validae professionis effectus sunt: 1. quod irregularitatem ex natalibus, intuitu sacrorum Ordinum, non dignitatum ecclesiasticarum abstergat. 2. Matrimonium nondum consummatum dissolvat, contrahendum vero dirimat. 3. Obligationem pariat in suscepta vita monastica permanendi, nisi forte causa perfectionis ad rigidiorem ordinem transire cupiat, petita, licet non impetrata, Superioris sui venia, « *ubi enim spiritus Dei est*, inquit Innocentius III cap. 18 de Regul., *ibi libertas, et qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto.* » Si tamen dubitatio occurrat, subdit Pontifex « *utrum quis velit ad Ordinem laxiorem aut arctiorem ex caritate, an*

temeritate transire, Superioris iudicium est requirendum, ne forte Angelus Satanae in lucis Angelum se transformet. » Sed ab Ordine rigidiore ad laxiorem transitus vetitus est sine venia Summi Pontificis et iusta causa, veluti si quis ob aegritudinem aut corporis infirmitatem rigidiori regulae servandae impar effectus sit. 4. Omnia vota in saeculo nuncupata prorsus perimat, quod in ipsa professione eminenter contenta seu commutata censentur. 5. Eluat maculas seu inhabilitatem ad civiles effectus ex anteactae vitae delictis ortam: «*est enim conversatio monachalis sic honesta*, ut ait Iustin. in Novel. 5. *ut omnem maculam detergat.* » Quin etiam peccatorum omnium maculas delet quod ad poenam, non autem ad culpam attinet, ita ut professio religiosa, veluti secundum baptisma, habeatur, eamque Trullana Synodus Can. 40 benedictionem gratiae appellavit. 6. Tollat notam ingratitudinis, ut exinde filii a parentibus exhaeredari nequeant, quod ex Novel. 113 refert Gratianus Can. finali causa 19 quaest. 3. 7. Patriam potestatem solvat, quia professus in religiosam familiam transit, et potestati Superioris subiicitur. 8. Beneficia, si qua professus obtinebat, statim vacent, fitque incapax aliis beneficiis obtinendis, regularibus beneficiis exceptis, quae nonnisi regularibus personis conferuntur. 9. Denique omnia bona professi tum praesentia, tum futura ad Monasterium transferantur, si capax sit, sin minus ad haeredes ab intestato venientes deferuntur, perinde atque professus mortem naturalem obiisset. Verumtamen Novitiis, antequam profiteantur, integrum est sua bona distribuere. Ne tamen fortunis suis imprudentes spolientur, atque

adeo inopes facti vel inviti cogantur professionem emittere, Tridentina Synodus sess. XXV, cap. 16 de Regular. et Monial. ita statuit: « *Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiusque causae piae, valeat nisi cum licentia Episcopi vel eius Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem ; ac nec alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi sequuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renunciatione , etiam iurata, sit irrita et nullius effectus.* » Disputatum fuit olim, an Concilium loquatur de renuntiationibus, quas novitius ante ingressum in novitiatum forte emiserit. Responsio negativa sensui verborum magis consentanea videtur.

Consule Bouix tract. de Iur. Reg. p. 4 c. 6. Notandum hic est, renuntiationem professionis intuitu factam, irrevocabilem esse, nec per saecularizationem resolvi, ut statuit S. C. C. in Pisaur. 13 Sept. 1804.

§ 90.

De nuperis S. Sedis decretis super regularium professione.

Praestat hic referre , quae nuperrime a S. C. super statu Regularium prudenter sapienterque praecepta sunt , triplici decreto. Etenim primo « Romani Pontifices » diei 25 ian. 1848, pro Italia et insulis adiacentibus statuitur: « ut nemo ad habitum admittatur absque litteris testimonialibus tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. » Altero « Regulari disciplina » eiusdem

diei et anni, traduntur regulae ac leges observandae, tum in probandis iis, qui ad habitum religiosum recipi postulant, tum in admittendis Novitiis ad professionem. De hoc duplici decreto vide decl. eiusdem S. C. 1 Maii 1851, 16 Ian., 5 et 9 Nov. 1852, et 27 Maii 1857. Tertio tandem « Neminem latet » diei 19 martii 1857, decernitur, ut: « peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad Laicos et Conversos postquam ad eam pervenerint aetatem quae in Constitutione Clementis VIII, incipiente « In Supremo, » praefinita est. » Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, ni fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori Domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri Novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint. »

Quum decretum hoc quibusdam dubiis locum dederit de votorum natura et qualitate, et de obligationibus ac iuribus eorum, qui vota nuncupant, eadem S. C. sequentia, auctoritate apostolica, decernenda statuit die 21 iunii 1858. « 1° Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem, et complementum accipient. 2° Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui Professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt. 3° Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut, data dimissione, Professi ab omni dictorum votorum vinculo, et obligatione eo ipso liberi fiant. 4° Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum generalem ordinis cum suo generali Consilio. Idem Magister generalis cum suo generali Consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus, et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debent. 5° Licet ad decernendam dimissionem neque processus, neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit, sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa caritate, prudentia, et ex iustis ac rationalibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventa dimitti poterit. 6° Professi dictorum votorum simplicium participes e-

runt omnium gratiarum, et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent. 7° Superiores Regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram, et ad ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim, quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt. 8° Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus, et prout habent solemniter professi. 9° Professi votorum simplicium dominium *radicale* uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. 10° Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii, et Studiorum, et vitam communem perfectam observare. 11° Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est. » Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat.

Ad quaestiones: « 1° An professi votorum simpli-

cium teneantur ad officium divinum? 2° An teneantur ad observantiam regulae ordinis, prout solemniter professi? » Responsum fuit die 6 Aug. 1858: « Ad 1^m non teneri ad privatam recitationem, debere tamen interesse, ut solemniter professi. Ad 2^m affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis. » Die 9 Dec. 1859, ad dubium « An professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum solemnium admittantur, transferendi sint in conventu novitiatus, vel eam emittere possint, in quo morantur? » Responsum fuit: « Eos libere emittere posse in conventu, seu domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti novitiatus. » Anno 1860, die 20 Ian. Archiepiscopo Mexicano rescriptum fuit: « 1° Quod regulares, post emissa vota simplicia, et ante emissionem solemnem non possunt ad SS. Ordines promoveri, titulo paupertatis; 2° quod provinciales gaudentes apostolico indulto, possint dispensare cum novitiis super defectu natalium, ante emissionem votorum solemnium, sed ad primam tonsuram tantum et minores ordines; 3° quod expectandum sit triennium ante professionem solemnem, etsi religiosus induerit habitum maior 25 annis; 4° quod Episcopus possit se gerere cum dimissis nondum solemniter professis, prout se gerit cum caeteris suae Dioeceseos. » Quum praeterea dubium submotum sit, an quis, anno novitiatus, ac 16 suae aetatis expleto, absque votorum simplicium professione, solemnem professionem valide emitteret, S. D. N. litt Ap. « AD UNIVERSALIS » 7 sept. 1862 statuit, solemnem professionem irritam esse, nisi simplicia

vota iuxta decretum a Congregatione an. 1848 latum praemittantur.

Vide Acta S. C. super statu Regularium ab Archiep. Philipp. secretario collecta, Romae 1862, et opus A. Lucidi « de Visitatione SS. LL. p. 1, vol. 2, pag. 66 et seq. Romae 1866. Pauca addam de novitiatu.

Novitiatus « est probationis tempus inductum non solum in favorem novitii, sed etiam in favorem monasterii, ut ille asperitates istius, et istud mores illius experiri valeant, » ut ait Alex. III C. ad Apostolicam 16 de Regul. Huiusmodi probationis tempus quamvis religiose servandum esset, non tamen ante Concilium Tridentinum ad formam essentialem actus religiosae professionis pertinebat. Quare probationis tempore non accurate servato, tum novitius, tum monasterii Abbas renuntiare videbantur ei, quod per se introductum noscebatur. Verum Concilium Tridentinum sess. 25, c. 15 annum integrum et continuum probationis, adiecta clausula irritante, servandum asse praescribit, simulque statuit sess. 1, c. 1: « Qui durante novitiatu, exeat e conventu, dimisso habito, ac animo religionem deserendi, interrumpit novitiatum, adeoque tenetur denuo probationis annum inchoare, licet post unum vel alterum diem, imo post aliquot dumtaxat horas, aut unicum momentum monasterium regrediatur. » Quae cum ita sint, nemo est qui non videat tempus probationis inductum esse in formam actus, cui nec novitius, nec monasterium renuntiare amplius potest. « Ubi enim est data forma, consensus partium nihil operatur » ait Fagnanus in cap. ad Apost. de regul. n. 24. Porro hic sedulo notandum est, ex tribus extremis, quae Concilium Tridentinum exponit, si unum, vel alterum deficiat, non inde probationis annum interrumpi. Extrema sunt, dimissio habitus, egressus e monasterio, et deliberatus animus deserendi religionem.

§ 91.

De instituendo iudicio contra professionem.

Saepe contingit, ut regulares professionem suam impugnent, eamque vitio aetatis, probationis, coactionis, aut alia causa nullam fuisse contendant.

Ben. XIV const. a se datam 1748 certam agendi iudicii rationem praefinivit, quoties super professionis nullitate certandum sit. Huius const. haec praecipua sunt: 1° regularis intra quinquennium a die professionis emissae, certas nullitates proponere debet, et interim in claustris moretur, vestemque monachalem retineat, et si antea forte dimiserit, denuo induat necesse est; secus enim ad agendam causam non admittitur, et poenis apostatarum omnino multatur; 2° causa nullitatis ab antistite loci ordinarii, et a superiori regulari cognoscenda est. Superioris regularis nomine intelligitur qui monasterio, ubi professus degit, tunc temporis praeest. At superior regularis, si iudicis partes sumere aut nolit, aut nequeat, alium sibi potest vel regularem, vel ecclesiasticam saecularem iuris canonici peritum subrogare... Nequit tamen ordinario loci ius suum deferre, ut solus procedat et iudicet. 3° Si ordinarii et superioris regularis iudicia discrepent inter se, causa ad Ap. S. devoluta censetur. Ad ipsam quoque Sedem causa omnino pertinet, ubi validitas professionis ex eo capite oppugnetur, quod in coenobio ad novitiorum institutionem addicto emissa non fuerit. 4° Ab Antistite loci ordinario vir probitate et doctrina praeditus eligendus est, qui praestet fidem suam ac diligentiam in defendenda professione, idque ea lege, eoque modo, quo ab altera eiusdem Pontificis const. quae incipit «Dei miseratione» defensor matrimonii constituendus est. 5° In huiusmodi causis iudicialis processus conficiendus omnino, in quo et articuli exhibendi ab eo, qui contra professionem agit, et interrogatoria danda ab eo, qui validitatem professionis tuetur, et testes tum super articulis,

tum secundum interrogatoria examinandi sunt. Citandi etiam defensores monasterii, in quo professus vota edidit, tum ipsius consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus sua bona donavit, aut cessit, caeterique omnes, quorum interest professionem ratam esse, in primis autem vocandi, si superstites sint, qui coactionis aut incussi metus auctores et complices designantur. 6° Denique si pro validitate professionis sententia feratur, nec professus opponat, causa finita est. At si professio nulla et irrita pronunciatur, defensor professionis appellare omnino debet, et in secunda ac alterius instantia iudicio semper adesse. Iudex autem appellationis est ille, ad quem caeterae causae eccl. post ordinarii sententiam de iure pertinent; eisque procedere et iudicare oportet una cum superiore Monasterii, non ubi monachus professionem edidit, sed alterius monast. eiusdem ordinis, quod in civitate vel dioecesi exstiterit, secus enim cum superiore eius monasterii, quod dioecesi iudicis appellationis proximius est, aut saltem cum persona ab ipso superiore deputanda. Porro integrum non est professo a religione discedere, nisi duas sententias conformes obtinuerit.

Quamquam vero, ut initio diximus, regularis audiendus non sit, nisi intra quinquennium de nullitate professionis conquestus fuerit, iustis tamen de causis gravibusque, tribui consuevit beneficium restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii, qui quidem extraordinarium remedium non a iudicibus inferioribus, sed ab Apostolica S. petendum est. Conceditur autem, causis restitutionis in iudicio deductis et expensis, servatis saltem in substantialibus praescriptionibus

Const. « SI DATAM » et duplici sententia, opus est ut regularis beneficio restitutionis fruatur. »

§ 92.

De exemptionibus Regularium.

Regulares nonnullis privilegiis cumulati sunt, inter quae illud est praecipuum, quod ab ordinaria Episcopi iurisdictione eximantur. Exemptionem tamen huiusmodi concilia, et praecipue Tridentinum, et Summi Pontifices in multis temperarunt, quorum abs re non erit saltem potiora capita enumerare. In primis itaque, quod ad vitam et mores Regularium pertinet, Regulares cuiuslibet ordinis et Instituti, qui extra claustra etiam cum Superiorum venia vel obedientia versantur, si deliquerint, ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicae delegato corrigi possunt et puniri. Conc. Trid. sess. XXV, c. 14 de Regular. Regulares autem in claustris degentes, si notorie delinquant, ut populo scandalo sint, a suis Superioribus, instante Episcopo et infra tempus ab eodem Episcopo constituendum, revera puniendi sunt, et Episcopus de poena irrogata monendus; sin minus Superiores a Praelatis maioribus officio privandi sunt, et ipsi Episcopo in delinquentem Regularem animadvertendi potestas erit. Conc. Trid. sess. XXV, c. 14 de Regul. Cum autem Superiores interdum delinquentem Monachum extra Dioecesim impunitum dimitterent, Clemens VIII in sua Const. « SUSCEPTI » omnibus Ordinum Praepositis sub poena privationis officii mandavit, ut in-

fra praestitutum ab Episcopo tempus reum, ubicumque esset, castigarent.

Quod autem ad actus hierarchicos pertinet, Regulares confessiones fidelium in Ecclesiis alienis, aut suis sine auctoritate et approbatione Episcopi audire non possunt, neque absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis potestatem habeant absolvendi a casibus et censuris Pontifici reservatis; neque Monialium confessiones excipere, quamvis sint e Monasterio Regularibus subiecto, neque approbatus pro uno Monasterio potest eadem facultate in alio uti. De praedicatione vero iam dictum superius est. Huc spectat S. C. C. decisio in causa Angelopolitana, ubi ad dubium 3: « An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel praedicatione verbi Dei, et hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem »? responsum fuit: « posse procedere non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorii XV « INSCRUTABILI. »

Monasteria etiam, quibus animarum cura adnexa est, in iis quae ad eam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni et correctioni Episcopi subiiciuntur: qua super re videnda est Constitutio Benedicti XIV. « FIRMANDIS » ubi diligentissime explanat quid possit Episcopus in Parochialibus Regularium, quid facere nequeat. Praeterea Regulares ab Episcopo pendent in Ordinibus recipiendis, quod multis explicat idem Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 9, cap. 17. Censuras et interdicta ab Episcopo promulgata, tum dies festos in Ecclesiis suorum Ordinum ser-

vare debent, atque etiam ad publicas processiones accedere, iis tantum Monachis exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in suis Ecclesiis custodire possunt; eis tamen non licet publice fidelium venerationi exponere, nisi ex causa publica et ab Episcopo approbata, ex S. C. C. 17 Augusti 1630, et S. R. C. 31 Iulii 1635, et 12 Iunii 1638, excepta hebdomada Corporis Christi inter Missarum Solemnia et ad Vesperas, ut ait S. R. C. 20 Aprilis 1641: possunt tamen privata de causa, dummodo e tabernaculo non extrahatur, et ita velo sit tectum, ut ipsa Sacrà Hostia videri non possit, ex S. C. EE., et RR. 6 Dec. 1602. Praeterea Sacram Eucharistiam die Paschatis administrare nequeunt, ne iis quidem, qui illam iam a proprio Parocho acceperint, nisi fuerint de eorumdem Regularium familia. Itemque SS. Viatici, et Extremae Unctionis Sacramenta iis tantum administrare possunt, qui sint de Coenobii familia. Ii autem, ad praescriptum Trid. Conc. sess. XXV, c. 11 de Regular. et Monial. et Constit. Greg. XIII « CIRCUMSPECTA » 25 nov. 1580, de coenobio et familia dicuntur, qui inter septa ac domos Regularium habitant, eis actu inserviunt, et ratione saltem muneris sub eorum obedientia vivunt. Hinc S. C. C. die 17 Febr. 1649 ad dubium: « An Regulares possint laicis ratione hospitii et similis habitantibus in eorum conventibus, si ibidem infirmentur, ministrare Eucharistiae Sacramentum pro viatico, nec non Sacramentum Extremae Unctionis » ? respondit « non posse, sed tantum illis, qui sunt continui commensales et de familia conventuum »; et die 21 Ian. 1713, ad dub. 1. « An hebdomadarius, cle-

ricus, pistor, olitor, et spenditrix habitantes in cortile monasterii... habeant requisita Concilii in casu » ? Rescripsit: « Negative. » Tandem die 17 Sept. 1822. propositis dubiis, 2° « An famuli et famulae Monialium saeculares in iisdem mansionibus (sitis in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, et quae sunt contigua monasteriis, et habent portam, quae clauditur in casu) degentes, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiae tempore paschali a parochis, in quorum parochiis monasterium et mansiones sitae sunt in casu? 3° An ad dictos Parochos spectet Sacramenta dictis famulis et famulabus ministrare in casu ultimae infirmitatis in casu? » reposuit « ad 2m Affirmative, ad 3m Affirmative. » Vide Ben. XIV. Inst. 55, n. 7. Quaeritur etiam, an iuvenes et convictores ex Regularium collegiis, et puellae in exemptis Monialium monasteriis educationis causa degentes, habendi sint, veluti spectantes ad coenobii et monasterii familiam, adeo ut, irrequisito parocho, Communionem paschalem, Viaticum, et Extremam Unctionem a superiori regulari recipere possint? Pro negativa nonnulli adducunt decisionem S. C. EE. et RR. die 21 Iulii 1848, qua statutum est, ut iura parochi in casu mortis salva remaneant. Verum in casu agebatur de monasterio, ubi Parochus vi consuetudinis hoc ius exercebat. Eadem S. Congregatio die 8 Iun. 1864 dubium quoad hanc quaestionem sibi proposuit, sed rescripsit: « Dilata et dividantur dubia » et S. Pontifex deinde 3 Sept. 1864 exemptionis indultum largitus est. Quaestio ita proposita difficilis est, et eam nos aliis solvendam eo libentius relinquimus, quo certius nobis est, in praxi, ad omnem removendam difficultatem

Episcopos ipsos Regularibus facultatem concedere, certioratis ipsis parochis, Sacramenta et Eucharistiam, adolescentibus et puellis internis et externis etiam administrandi. Denique novas reliquias, aut insolitas imagines exponere sine approbatione Episcopi, nequeunt neque nova miracula, novasque indulgentias promulgare, sine ipsius Episcopi recognitione et approbatione. Concil. Trid. sess. XXV de Invòcat. Sanctorum.

In reliquis autem quae ad disciplinam domesticam, observantiam regularum et votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coërcitiones religiosorum pertinent, nequit Episcopus sese immiscere.

Nostrum non est innumera hic recensere commoda, quae ex hac exemptione in Ordines ipsos, in Sanctam Sedem, et in Ecclesiam Catholicam promanant. Satis sit adnotare SS. Pontifices in eo semper totos fuisse, ut eam sartam tectam servarent, et omnibus mediis vindicarent, praesertim quod, ut verbis utar Gregorii XVI Decr. 23 Ian. 1836: « Ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in illam odio comprobata est. » Vide de exemptionis antiquitate, utilitate et aequitate, quae habet Bouix tract. de regul. t. 2, p. 5, n. 2, c. 2, §. 128.



CAPUT X.

DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM

§ 93.

De veteri eligendi Pontificis Summi disciplina.

Hactenus de singulis Clericorum gradibus eorumque iuribus et officiis disseruimus. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut videamus quemadmodum ad eos Ecclesiae gradus et dignitates perveniatur. Iam vero primi gradus in hierarchia iurisdictionis, videlicet Summus Pontificatus, Episcopatus et Praelaturae regulares et saeculares per electionem obtinentur; inferiores hierarchiae gradus per collationem beneficiorum tribuuntur; potestas vero ordinis per consecrationem aut sacram ordinationem confertur. Primum itaque de Electionibus, tum de sacris Ordinationibus enucleate videamus, nam de beneficiorum collationibus proximo libro dicendum est. Igitur initium ducimus a veteri eligendi Pontificis disciplina.

S. Gregorius lib. 5, epist. 20: « Cunctis, inquit, Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro Principi totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: PETRE, AMAS ME? PASCE OVES MEAS. » Reliqui vero Pontifices S. Petri Successores per electionem creati sunt; sed varia fuit eligendi Pontificis ratio pro varia temporum antiquorum vi-

cissitudine. Tria itaque tempora distinguenda sunt:

1° *A Lino*, qui, ut ait Eusebius Hist. eccl. l. 3, cap. 2 « post Petri martyrium primus Ecclesiae Romanae Episcopatum suscepit *ad Simplicium usque*, qui anno 467 Pontifex renuntiatus est. Tam longo temporis spatio Romani Pontifices, praesente ac testimonium dicente populo, tum Cleri suffragio, tum Episcoporum iudicio electi fuerunt. Vacante autem sede, Romanus Clerus in gravioribus totius Ecclesiae negotiis consulebatur, eiusque iudicia remotiores etiam Ecclesiae magni faciebant, quod praesertim ex Cypriano constat.

2° *A Simplicio ad Zachariam*, hoc est ab anno 467 ad annum 741. Iam ab anno 476 Odoacer Herulorum rex devicto Augustulo, Italia potitus erat. Mortuo autem Simplicio, sancivit, ne novus Pontifex, se inconsulto, eligeretur. Quae res antea inaudita, ut aliqua religionis specie contegeretur, Basilius Praefectus, praetorio ipsius Odoacris Vicarius, dixisse fertur: « Admonitione beatissimi viri Papae nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum, et venerabilis Ecclesiae detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cuiuslibet celebretur electio. » Quare Baronius ad annum 483, § 11: « Vides, inquit, quibus artibus saeculares potestates immiscere se conati sint in electione Romani Pontificis. Potuit forte rogare eum Simplicius Papa, ut ad comprimendas turbas, dissidiaque vitanda praesto esset futurae electioni Successoris Pontificis, non autem ut absque eius consultatione ele-

etio haud fieret.» Verum Pontifices Simplicii successores Odoaeris legem contempserunt. Nam Symmachus P., in Conciliis Romae habitis an. 500 et 502 tum eam legem abrogavit, tum etiam statuit, ut ille Pontifex haberetur, qui, consentientibus totius ecclesiastici ordinis suffragiis, creatus esset, aut si studia in partem diversam animos inclinarent, « vinceret sententia plurimorum : » quod decretum exstat apud Gratianum c. SI TRANSITUS PAPAE dist. 79.

At vero Odoacer regno ac vita a Theodorico Gothorum Rege privatus est. Quo facto, Theodoricus non solum confirmandi, sed etiam eligendi Romani Pontificis ius sibi usurpavit. Huic rei cum Clerus Senatusque Romanus primum obstitisset, deinde evitandi novi schismatis gratia assensus est, eaque lege res composita, ut in posterum more pristino Clerus eligeret Romanum Pontificem, quem Rex assensu suo confirmaret. Victis denique pulsisque Italia Gothis, cum Iustinianus Roma potiretur, ius confirmandae electionis Romani Pontificis sibi arrogavit, quod ius Successores tenuerunt; quin imo, teste Anastasio, in vita Agathonis, pro electionis confirmatione certam pecuniae summam exigebant. At Constantinus Pogonatus Imp. pristinam Ecclesiae libertatem restituit, voluitque, ut Pontifex canonice electus sine ulla foedissimi tributi solutione, et sine ullo Imperatoris aut Exarchae consensu statim ordinaretur. « Verum, ut ait Papebrochius in Conatu chronologico historico pag. 199, num. 3, huius privilegii usu frustrata videtur fuisse Romana Ecclesia, quamdiu sub graecis Imperatoribus fuit: nam usque ad regnum Longobardorum in Italia, et

Zachariam Papam quarto post decessoris obitum die ordinatum, nemo fuit, cuius ordinationem non praecesserit sex hebdomadarum ut minimum interpontificium, plerumque autem mensium duorum et amplius; ut videatur Iustinianus iunior patri succedens nullam habere voluisse talis privilegii rationem, sed inhaesisse ei, quod idem Constantinus pater suus sub Leone dederat, ut relevaretur quantitas, quae solita erat dari pro ordinatione Pontificia facienda.» Eadem sententia est Cardinalis Baronii ad annum 686, n. 3. Sed Caietanus Cenni, in notis chronologicis ad Anastasium in vita Canonis, et Mansius, in notis ad Baronium, putant ab Imperatore Iustiniano II Pogonati Imperatoris legem abrogatam non fuisse, ideo quod eius abrogationis nullum perspicuum documentum, nec indicium quidem ullum afferatur.

3° *A Zacharia ad Nicolaum II*, hoc est ab anno 741 ad annum 1058. Zacharias itaque anno 741 Pontifex inauguratus est. Qui putant libertatem electionum, quam Pogonatus Imperator concesserat, a Iustiniano II ademptam non fuisse, ii quoque censent Ioanni V, quo anno 685 primus post legem Pogonati electus Pontifex exstitit, omnium itidem primo contigisse, ut nec expectata, nec petita Imperatoris confirmatione, Pontificatum iniret. Qui vero de Imperatore Iustiniano II non bene existimant, ii omnino contendunt Zachariam fuisse primum, qui sine ulla Imperatorum confirmatione totius Ecclesiae administrationem suscepit. Id vero apud omnes certum est, tum Zachariam, tum reliquos ex eo tempore Pontifices sese ab iniusta obtinendae confirmationis servitute vindicasse.

Hoc loco illud unum monemus, omnem fidem merito denegari duobus canonibus, qui sunt apud Gratianum, nimirum canoni HADRIANUS 22, dist. 63 qui profertur his verbis: « Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo (Magno) ius et potestatem eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem: » itemque canoni IN SYNODO 23 eadem dist. 63, in quo pseudopontifex Leo VIII ad exemplum B. Hadriani, Othoni I Imperatori potestatem concessisse dicitur Romanum Pontificem eligendi. Utrumque huiusmodi canonem commentitium esse demonstrant Baronius ad annum 774, § 10, et ad annum 964, § 22. Petrus de Marca lib. 8 de Concordia cap. 12, § 9, et Sandinius in dissertatione 19 « de falsa Synodo sub Hadriano I, circa ius eligendi Romanum Pontificem, et investituras concedendi Episcopis.»

Quibus ex rebus colligere licet primis hisce temporibus Clerum et populum ad electionem Pontificis convenisse, sed ius eligendi ad Clerum proprie spectasse. Quod vero ad confirmationem imperatorum pertinet, Ecclesia nec dissimulare potuit, aut non dolere eiusmodi servitutem, a qua tandem aliquando liberata est.

§ 94.

De hodierna Summi Pontificis eligendi disciplina.

Nicolaus II in Romano conventu Cardinalibus Episcopis « principaliter, ut ait S. Petrus Damiani ad Cadolaum Parmensem Episcopum lib. 1, epist. 20, potestatem dedit Romanum Pontificem eligendi, sic tamen ut reliquus Clerus et populus ad

consensum novae electionis accederet. » Decretum habes apud Baronium ad annum 1059, § 25; apud Labbaeum tom. 9 conc.; et apud Gratianum can. IN NOMINE DOMINI dist. 23; Alexander vero III decreto edito in Concilio Lateranensi, quod exstat cap. LICET 6 de Elect. sancivit, « ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus (Cardinalium) concordantibus electus fuerit et receptus. Itaque ab Alexandro III, ut annotavit Panvinius ad Platinam pag. 157, « Clero omnino et populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos primum redacta est, ad evitanda in posterum schismata. » Quo in decreto sancitum est « ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia R. P. haberetur, qui a duabus partibus concordantibus delectus fuerit et receptus. »

At eo tempore, ut idem Panvinius notat p. 779, «nequaquam Cardinales in conclavi recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romae erant, Laterani vel in basilica S. Petri, aut alibi, prout occasio sese offerebat, sive autem extra urbem in Ecclesia cathedrali illius civitatis, in qua tunc commorabantur, una conveniebant, perinde ac ii nostro tempore faciunt, cum Congregationem sint habituri de Romani Pontificis electione tractantes.

At Gregorius X in Conc. Lugdun. II celeri Pontificum electioni consulturus statuit, ut in quacumque Urbe contigerit Pontificem mori, in ea erigatur conclave, et decimo ab obitu die ingrediantur Cardinales, incipiantque novi Pontificis electioni operam dare, nemine expectato, neque absentium suffragio exquisito. Qui superveniant, re nondum

perfecta, admittantur. Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam epistolam accipere, aut dare, neminem alloqui sub poena anathematis. Exstat huiusmodi decretum, cap. Ubi periculum de elect. in 6. Verum hae leges, procedente tempore, explicatae sunt. Nam 1° electio nulla est, nisi clauso conclavi peragatur, et idcirco, antequam inchoëtur electio, conclave diligenter claudendum est, idque publicis tabulis conscribendum: quo facto, licet exinde apertum inveniatur, semper clausum fuisse censendum est, ut electio valida habeatur. 2° nullus ex Cardinalibus etiam excommunicatus, suspensus, aut interdictus ab electione Pontificis repelli potest, quod a Clemente V in Concilio Viennensi statutum est, ut omnis occasio turbarum adimeretur. Sed Cardinales in ordine diaconatus non constituti a facienda electione excluduntur, nisi Pontificis privilegio donati sint. Solis autem praesentibus ius est ferendi suffragia, et absentes nequeunt procuratorem constituere. 3° Electio triplici pacto institui potest, aut per inspirationem, quae fieri dicitur, dum Cardinales omnes concordi subitoque consensu, quasi divino spiritu afflati, aliquem uno ore Pontificem proclamant, nullo praecedente tractatu, unde aliqua fraus vel suggestio praesumi possit; aut per scrutinium, qui modus eligendi ordinarius est, quando Cardinales tres scrutatores ex proprio collegio capiunt, qui singillatim colligant suffragia singulorum secreta et scripta, omnique conditione et ambiguitate vacantia, quae publicantur, ut eius electio valeat, in quem duae ex tribus partibus consenserint, et, si publicato scrutinio, nemo illum suffragiorum numerum ob-

tinuerit, Cardinales novo suffragio numerum suffragiorum, quae desint, complere possunt, sicque electio per scrutinium et per accessum peracta dicitur; aut denique per compromissum, dum Cardinales ad unum omnes nonnullis e suo gremio ius et arbitrium tribuunt Pontificem nomine et vice omnium eligendi. 4° Scrutinium bis quovis die peragendum est, ad quod singuli Cardinales infirmitate non impediti convenire tenentur; ad infirmos autem mittuntur scrutatores, qui infirmarii vocari solent, ut ipsorum vota colligant. 5° Cardinalibus abstinendum omnino est ab omnibus pactionibus, conventionibus, et promissionibus de dando, vel non dando suffragio, tractatus tamen et generales exhortationes ad digni pastoris electionem non probibentur. 6° Denique electio simoniaca non subsistit omnino, neque unquam consistere et convalescere potest, sive simoniace electus pontificali thiara coronatus, sive iuramentum fidelitatis et obedientiae eidem praestitum sit. Cardinales autem, qui per simoniam elegerunt, dignitate, beneficiis et privilegiis omnibus privantur, et potestas eligendi Pontificis ad Cardinales transit, qui participes in illo crimine non extiterint.

Caetera quae ad Pontificis electionem pertinent a Gregorio XV accurate descripta sunt in constit. *Decet Rom. Pont.* et in altera *Caeteri*, atque in libello, cui titulus « Caeremoniale electionis R. Pontificis. »

§ 95.

De Persona eligenda.

Singuli Cardinales suam schedulam sive suffragium laturi iurant hisce verbis: « Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo. » Tanti quidem momenti est S. Pontificis electio, ut ab ea potissimum totius Ecclesiae salus et incolumitas pendeat: salus enim non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur, » quemadmodum sapienter praefatus est Gregorius XV in praeconio suae const. Aeterni. Quis itaque non videat, quae cardinalibus imposita sit obligatio eligendi eum, quem iudicant tantae dignitati parem?

Verumtamen quod ad validitatem electionis attinet, ut omnis discordiarum et schismatum occasio removeatur, quivis sine ulla exceptione ordinis, aetatis, aut nationis, nisi ius ipsum naturale, aut divinum inhabilem faciat, in Pontificem eligi potest, quod perspicue docemur in cap. Licet de elect., ubi statuitur, « ut sine ulla exceptione ab universali Ecclesia R. Pontifex habeatur, qui a duobus partibus concordantibus electus fuerit et receptus. » Itaque Canones 3 et 4 apud Gratianum dist. 79, unde colligi videtur solis presbyteris et diaconis Cardinalibus (hoc est presbyteris et diaconis R. Ecclesiae addictis, seu incardinatis) summum Pontificatum reservatum esse, non indubiae auctoritatis sunt, aut certe contraria consuetudine abrogati, cum saepius Pontifices electi

sint, quamvis Cardinales non essent. Praeterea eorumdem canonum disciplina temperata est per can. 1, quem ex decreto Nicolai II in Conc. Lateran. Gratianus recitat dist. 23 hisce verbis: « Eligatur autem de ipsius Ecclesiae romanae gremio, si reperiatur idoneus, vel, si de ipsa non inveniatur, ex alia assumatur. » Quin imo Canonistae omnes consentiunt laicum quoque in Pontificem eligi posse, quod exemplo Ioannis XIX comprobatur. Communis etiam sententia est nullam certam aetatem requiri, dummodo vir eligatur, qui vi iudicii polleat. Nam Ioannes XII cum nondum plenam pubertatem explesset, ut Baronius ait, et Benedictus IX vix an. 20 natus ad Pontificatum pervenerunt. De quibus tamen Pontificibus, si liceat, et expediat dicere quod sentimus, Ecclesia oppressa et afflicta eosdem excepit tamquam legitimos Pontifices, schismatis vitandi causa, Deus autem Pontifices adeo exiguae aetatis et quosdam etiam moribus haud integris passus est, ne forte putaremus prudentia, consilio et virtute Pontificum Sedem Romanam stetisse, sed eam stare et mansuram, quod singulari ipsius Dei providentia ita regitur, ut adversus eam portae inferorum praevalere non possint.

Ut autem revertamur, unde digressi sumus, Pontificis electio confirmatione non eget, cum Pontifex ab ipso Christo potestatem omnem accipiat. Cardinales enim eligunt, sed electo primatum non conferunt. Pontifex quidem electus coronatur, ac primo etiam, si episcopali charactere aut aliis ordinibus non fuerit insignitus ordinatur et consecratur. Verum consecratio non ea quae sunt iurisdictionis, sed ordinis tantum potestatem confert.

Coronatio autem est actus caeremonialis ad quamdam solemnitatem usurpatus, qui suis tamen significationibus non vacat. Vide Barbosa Iur. eccl. c. 14, p. 114-115.

Praeterea, in potestate et arbitrio Pontificis est non solum dignitatem sibi delatam non acceptare, verum etiam Pontificatum ipsum deponere, quod Coelestinus V egit, qui tamen, si dictis Christiani Imp. in secunda diss. prooemiali de Crim. Simoniae c. 2 part. 4 fidem tribuas, non primus Pontificum exstitit, qui tantum virtutis exemplum reliquerit. Certum est, dum Coelestinus coepit de Pontificatu deponendo cogitare, tunc primum in disquisitionem venisse, num pontificatu se abdicare potuisset. Qua super re deliberatione habita cum suis fratribus Ecclesiae Romanae Cardinalibus, omnium concordi consilio et assensu Coelestinus ipse, auctoritate apostolica, statuit, et decrevit R. P. posse libere resignare. Quod quidem decretum ad perpetuam rei memoriam Bonifacius VIII retulit in 6 decret. cap. Quoniam de renunt. Neque opus est ulla Cardinalium vel Ecclesiae acceptatione, aut consensu; namque, ut notat glossa in idem cap. ad verb. Videbantur: « Inferiores praelati a suis praelatis confirmantur et instituuntur, unde non est mirum, si sine ipsorum licentia renuntiare non possunt: sed Papa a nemine confirmatur, unde sicut sine superiore instituitur, ita sine superiore renuntiat. »

Verum, vacante Apostolica Sede, Austriae et Galliarum Imperatores, nec non Lusitaniae ac Hispaniarum Reges, aliquot abhinc saeculis, consueverunt Cardinalibus ad faciendam novi Pontificis electionem in conclavi congregatis, eorum singulis per unum

ex iisdem Cardinalibus tanquam suum Legatum denuntiare, quemdam Cardinalem, quem nominat, si Pontifex eligatur, sibi minime acceptum fore; quae denuntiatio vulgo dicitur *exclusiva*, eiusque exempla nostra etiam aetate non defuerunt. Id nonnulli Auctores originem habuisse putant ex Decreto Nicolai II, quod refertur a Gratiano can. 1, distinct. 23: sed plerisque et gravioribus Doctoribus, qui citatum Canonem a Schismaticis depravatum fuisse non dubitant, ea sententia minime probatur ; verosimile autem videtur Ecclesiam huiusmodi Principibus providentissime morem gessisse , ne inter eos et Apostolicam Sedem dissidia et scandala orientur.

Si quis rem penitus cognitam habere cupiat , videat Dissertationem Historicam criticam Ioann. Georgii Estor , quae inscribitur : « Commentatio de iure exclusivo, ut appellant, quo Caesar Augustus uti potest, quum Patres Purpurati in creando Pontifice sunt occupati ; » Cennium in Bullario Basilicae Vaticanae tom. 3; P. Iosephum Tamagna in op.: « Origine e prerogativa dei Cardinali » t. 1, cap. 7; et P. Novaes : « Elementi della Storia dei Sommi Pontefici » tom. 13, part. 9.

Pirrhing , ad titulum de electione sectione 9 eam quaestionem pertractat, an nimirum Romanus Pontifex possit sibi Successorem eligere. Aliqui putant id fieri posse , et revera factum esse, tum a S. Petro, qui sibi Successorem destinavit, tum ab aliis Pontificibus, quum praesertim latere propter persecutiones cogebantur. Afferunt etiam exempla aliquorum Episcoporum, qui primis Ecclesiae saeculis, ut ait Baronius ad annum 426, § 13 « quos sanctissimos scirent, eos ad episcopale munus de-

ligebant. » Card. Petra Comment. ad Const. Ap. t. 4, p. 119 auctores profert, qui putant id facere posse Pontificem, si Ecclesiae necessitas, aut evidens utilitas postulat.

Quod ad Episcopos attinet, certum est, primis Ecclesiae saeculis in more positum fuisse, ut Episcopi sibi successorem designarent. Sed Summus Pontifex Hilarus, Consilio duodequinquaginta Episcoporum Romae celebrato, quinque canones ad constituendam Ecclesiae disciplinam edidit, atque horum postremo cavit, « ne quis Episcopus sibi eligeret successorem. » Quod vero ad Pontifices pertinet, si annales et antiquae Ecclesiae monumenta perscrutemur, nullum profecto certum, exploratumque exemplum inveniemus ullius Pontificis, qui sibi Successorem elegerit. Contra vero compertum habemus, Bonifacium II, ut licentiae Regum Gothorum in designandis Pontificibus occurreret, habito Romae Concilio, elegisse Vigilium Diaconum, qui sibi succederet, Clero tum consentiente, tum consensum suum iureiurando et chirographis confirmante. Cuius rei, utpote sacris legibus, et libertati electionum contrariae, adeo Clericos et Bonifacium ipsum poenituit, ut Pontifex, alio congregato Concilio, decretum abrogaret, ignique traderet. Itaque si veteribus exemplis standum est, haec potius obstant huiusmodi electionibus quam faveant.

In hodierna vero disciplina videntur canones cum facto Bonifacii II consentire, quos Pirrhing magno numero congerit, et rationibus auctoritateque illustrat. Ad canones accessit decretum Pii IV, quo sancitum est, Pontificem, Cardinalibus quoque consentientibus, non posse Successorem

sibi eligere. Raynaldus ad ann. 1561, § 9: « Occasionem, inquit, huius sanctionis restituendae potius quam instituendae, cum iam olim in Concilio Romano sub Bonifacio II emanaverit, videtur ex parte innuere Victorellus in additionibus ad vitam Pii IV, quam Diana part. 10, tract. 5, De potestate Pontificis eligendi sibi successorem retulit, quem lector sciendi cupidus consulere potest, invenietque agitatam inter Canonistas quaestionem, sit ne hoc iure, ut vocant, divino, an canonico, vel naturali interdictum: quam etiam controversiam doctissime more suo expendit Prosper Fagnanus in 2 part. primi Decretal. cap. ACCEPIMUS de pactis num. 16. »

§ 96.

De electione Episcoporum.

Apostolis vita functis, Episcoporum electio fuit penes Episcopos Provinciae cum Clero ac populo congregato. Hinc S. Athanasius ep. ad Episc. orthod. n. 2, op. t. 1 demonstrat, Gregorium in Sedem Alexandrinam invasisse ideo praesertim, quod eius electio facta non fuerit « secundum verba Pauli, congregatis populis, et spiritu ordinantium cum virtute D. N. Iesu Christi. » Et Apostoli, ut legimus Act. VI Diaconos a multitudine designatos ordinarunt.

Ex hac eligendi forma, cuius nonnulla exempla in Sacra Scriptura habentur, Doctores aliqui sibi visi sunt rectissime posse concludere. 1° in electionibus Episcoporum suas partes tribuendas esse christianae plebi, idque iure divino saltem morali,

si non constitutivo; 2° iniuriam proinde populo factam esse, dum eo iure, vel eius iuris usu privatus est, nova eligendorum Episcoporum disciplina invecta; 3° denique eos, qui in civitate imperant, quique populi iura complectuntur universa, posse sibi eas partes, quas in huiusmodi electionibus populus obtinuit, vindicare.

Verum ubinam exstat ius illud divinum, quo tota conclusio nititur? Nusquam quidem certe. Neque enim in Sacra Scriptura, neque in Traditione quidquam est, quo ius illud divinum probari possit. Sunt quidem in sacris litteris aliqua eius rei exempla, sed nullum praeceptum, nulla lex, praescriptum nullum, unde eius iuris comprobandi argumentum vel probabile duci queat.

Praeterea si ius illud divinum exstitisset, initio saltem Ecclesiae, ab Apostolis Virisque Apostolicis semper, et ubique servatum esset. At nusquam legimus Petrum et Paulum, et reliquos Apostolos in constituendis Episcopis populum adhibuisse. Quin imo ex Act. Apost. XIV, 22; et Ep. ad Tit. I. 5, nec non ex iis, quae habent S. Greg. M. l. 5, Ep. 6, 37, ex S. Hieron. in cap. 1 et 3 Epist. ad Titum nobis notum est ac exploratum, Episcopos, in ipsis Ecclesiae primordiis ab ipsis Apostolis, vel eorum mandato, fuisse constitutos. In Ecclesia Alexandrina, a Marco usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, sacrae electiones a Clero factae sunt, sine ullo suffragio et consortio plebis; quod scripsit S. Hieronymus ep. 146 ad Evagrium; « Nam et Alexandriae, inquit, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum a se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nomina-

bant.» Sic etiam ex Historia Ecclesiastica liquet in aliquibus Ecclesiis interdum christianam plebem ad sacras electiones receptam, interdum quoque reiectam fuisse. Conf. Conc. Laod. c. XII et XIII; Antioch. l. c. XVI, et Conc. Nic. I. c. 4. Igitur munus ferendi suffragii vel testimonii, quod aliquando totius populi proprium fuit, divino iure ad eumdem populum non pertinebat; idque duabus distinctis propositionibus egregie demonstrat Natalis Alexander Hist. eccl. sec. I, dissert. 8. Sola proinde concessione et indulgentia Ecclesiae, suffragium et testimonium populi adhibitum est, tum ut optimi quique et vulgo probati Antistites eligerentur, quo spectat illud Cypriani epist. 63: « Episcopus deligatur, plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit; et illud Goffridi Ab. Vindocinensis op. 2; « Populus concurrebat ad electiones postulatione, et bonae vitae testimoniis: neque enim in re ecclesiastica dare poterat ius electo. » Non immorabor in refutanda neoterici cuiusdam auctoris opinione, qui nova distinctione inter ius divinum *constitutivum* et ius divinum *morale*, invecta, in eo totus est, ut ius populi Episcopum suum eligendi a morali hoc iure dimanare contendat: nam ius hoc morale aut *naturale* est, et iam admittitur saltem implicite error pluries damnatus, qui Summam Ecclesiae potestatem in ipsa plebe *iure naturae* constituit, aut est ius improprie dictum, idest quaedam *congruentia*, et tunc non est amplius sermo de iure, adeoque eo res reducitur ut desiderium aliquod exprimatur illudque repetatur antiquum adagium, hoc est non detur invito populo daretur Episcopus.

« Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, » ut ait S. Leo Magnus epist. 167 ad Rusticum cap. 1.

At vero sive ex can. 2 Concilii Nicaeni II, et can. 22, Concilii Constantinopolitani IV, quibus laici homines ab electionibus excludebantur, sive ex can. 33, dist. 63, quo sancitum est, ut a Canonicis sine populi testimonio, ac suffragio Episcopi eligerentur, sive denique ex consuetudine (unicuique enim harum trium sententiarum sui patroni exstiterunt), factum est, ut populus ab Episcoporum electionibus prorsus amoveretur, citius quidem in Graeca, quam in Latina Ecclesia; et apud Graecos ius omne eligendi sine ullo populi testimonio, aut suffragio in Episcopis permansit: apud Latinos vero ad Canonicos vacantis Ecclesiae Cathedralis delatum est. Reapse etsi iure divino ex Christi institutione fixum et immutabile sit, neminem fore legitimum Ecclesiae Ministrum, « qui nec ecclesiastica et canonica potestate rite ordinatus, nec missus fuerit, quae est definitio Concilii Trident. sess. 23, can. 7, quod tamen ad formam electionum attinet, Christus eam rem arbitrio Ecclesiae reliquit; quod ex varia Episcoporum eligendorum ratione manifestum est.

In hac varia eligendi forma iuxta veterem atque hodiernam disciplinam pauca dicenda sunt. Huiusmodi argumentum latius pertractat Thomassinus p. 2, lib. 2 a cap. 1 usque ad caput 41. Pauca quaedam tum ex eo, tum ex aliis delibabimus.

Per universas fere provincias ante Constantini Magni aetatem, et aliquot post Constantinum sae-

cula haec fuit electionis ratio, ut Episcopus eligeretur a vicinis eiusdem Provinciae episcopis, Clero item ipso, cui erat praeficiendus, et christiana plebe suffragantibus ita ut tria illa ad electionem concurrerent, auctoritas Episcoporum, vota cleri, et testimonia plebis. Suae igitur fuerunt plebi partes in electione Episcoporum, ita tamen ut optimatum et magistratuum ratio potior haberetur. At minus in Oriente, quam in Occidente videtur licuisse plebi in Episcopis eligendis, ideo hic diutius, quam illic differebatur et difficilior fiebat electio. Porro multiplex ratio fuit admittendi plebem in sacris electionibus, ut « plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita eligantur, » ut ait S. Leo M. ep. ad Episc. Viennenses, quae est decima in edit. Quesnelliana, seu « ut nullis invitis detur Episcopus » ut ait Coelestinus I ep. 2, c. 5, can. 13, dist. 64.

Quae de plebe dicta sunt, de ea fere sola intelligenda sunt, quae civitatis Episcopalis foret: non enim quae in rusticanis degebat parochiis consuli consuevit; quandoque etiam vilis plebecula ad arcendas turbas fuit exclusa, ut ex nov. Iustiniani 123, c. 1. Potiores tamen erant in Episcopi electione partes Cleri, quam plebis. Praecipua vero et summa in eo negotio auctoritas erat penes Episcopos. Cleri enim et populi testimonia ac desideria aequiparabantur ob causas superius expositas; at ad Episcopos tanquam iudices proprie pertinebat electio. Itaque si Clerus et populus aliquem minus idoneum designassent, eumdem reiicere integrum Episcopis erat, quos docere populum, non sequi oportere tradidit Coelestinus I,

can. 2, dist. 62; idcirco Nicaeni Patres can. 4, quem refert Gratianus can. 1, dist. 64 maxime optabant, ut huiusmodi electionibus omnes Provinciae Episcopi adessent, aut tres saltem, si aut urgens necessitas, aut itineris longitudo obstaret quominus singuli interessent. Verum inter Episcopos praecipua fuit auctoritas Metropolitae, ita ut citra eius praesentiam vel assensum, electio fieri nequiret; imo ab errantibus Episcoporum iudiciis, aut inter se dissidentibus, Metropolitae sententia quaestionem dissolvebat.

Idcirco quo omnia rite procederent, cum primum Metropolitano de alicuius provinciae suae Episcopi morte renuntiaretur, mitti ab eo mos fuit ad vacantem Ecclesiam Episcopum visitatorem, qui populum, quid esset de Episcoporum electione in sacris canonibus constitutum edoceret, eius vota exploraret et, si in contraria studia scinderetur, motus animorum componeret; ita Clerici ac Laici cum visitatore in certam personam conveniebant. Re deinde ad Metropolitam perlata, hic, advocatis provinciae Episcopis, si nihil contra canones peccatum esset, electionem ratam habebat. Vide Van-Espen p. 1, t. 13, c. 1, n. 11.

At vero cum aliqua votorum plebis in Episcopis eligendis haberetur ratio, maior vero optimatum et magistratuum, fieri nullatenus potuit quin aliquid ea in re summis etiam Principibus tribueretur. Ante Constantinum M., uti Religionis nostrae negotia propter ethnicorum principum metum in abdito plerumque expedire necesse erat, ita ipsis inconsultis, electiones ab Episcopis, assentiente Clero et Plebe, eo, qui expositus est, modo peragebantur. At postquam fidem catholicam Reges et

Principes sunt amplexi et ipsi sacris electionibus ceperunt se immiscere; et licet initio salvas Episcopis, Clero et Plebi suas partes reliquerint, tamen, successu temporis eorum Principum auctoritas in Episcoporum electionibus ad eam evasit abusionem, ut nullo Cleri, Episcoporum, aut Metropolitae iudicio Episcopi constituerentur, et quod nefas est, pro legitimis electionibus simonia inducta est; nam passim Episcopatus et Abatiae auro emebantur. Ea de causa, 50 ferme annos inter Ecclesiam et Imperium, magnis motibus, pugnatum est, donec in Syn. Lateranensi I sub Callixto II res compositae sunt, pactis in conventu Wormatiensi an. superiori initis inter Pontificem et Imperatorem omnino confirmatis. Itaque restitutae sunt canonicae electiones et abolita simonia est. Verum ius electionis ad solos viduatae Ecclesiae canonicos in Ecclesia latina saec. XII transferri coepit. Cum enim Episcopi comprovinciales ex propria negligentia iure suo paullatim excidissent, et aliunde turba populi et Clerus, qui admodum excreverat, dissensionibus suis impedimentum electioni saepissime obiicerent, consultius visum fuit ad selectiores Cleri, nempe ad Collegium Canonicorum cathedralis Ecclesiae unum corpus cum ipso constituentium totum ius electionis devolvi; quod circa initium saec. XIII fuisse plene stabilitum, ex responso Innocentii III in cap. 14 de post. praeb. arguit Van-Espen I. E. U. p. 1, t. 13, c. 2, n. 3; illudque usque ad tempora Bonifacii VIII et Clementis V perstitisse ex titulis de electione qui prostant tum in 6, tum in Clementinis satis super qua compertum est.

Clemens V. Ecclesias Cathedrales, quae tempore

sui Pontificatus apud Sedem Apostolicam vacarent, sibi reservavit, mox Ioannes XXII, Benedictus XII et Paulus II alias novas reservationes induxerunt, deinceps vero Pontifices alii, editis Cancellariae regulis, Ecclesias omnes Cathedrales sibi reservarunt, ut eisdem optimos Episcopos praeficerent. Verum cum eam rem Capitula et Reges ipsi aegre ferrent, bono pacis factum est, ut Apostolicis Indultis, aut pactis conventis, catholicis regibus, ac guberniis privilegium nominandi Episcopos pro omnibus, aut aliquibus Ecclesiis tribueretur, et quibusdam Capitulis electiones Episcoporum plena libertate restituerentur, vel ea conditione attribuerentur, ut ante electionem candidatorum nomina principi acatholico subiicerentur, qui unum vel plures ut minus gratos reiicere possit, sufficienti reliquo manente numero, ex quo antistes eligatur, ea tamen lege in utroque casu, ut electiones, vel nominationes a Romano Pontifice confirmarentur. Nonnullis capitulis munus certe praeclarum, ex S. Sedis gratia, benigne concessum est eidem commendandi quos ad onus episcopale digne promovendos in Domino censuerint, salvo tamen iure, S. S. alium eligendi, si id opportunum sibi visum fuerit. Nunc igitur Episcopos aut Romanus Pontifex constituit, aut Capitula eligunt vel commendant, aut Principes nominant. De electione igitur, quemadmodum a Capitulo fieri debeat, sequentibus § agemus; deinde pauca de regia nominatione dicturi.

§ 97.

De electoribus Episcoporum.

Personarum, de quibus in electione habenda ratio est, quaedam eligunt, quaedam eliguntur. Dicendum est primo loco de iis, qui eligunt. Ius eligendi Episcopum ad solum Cathedralis Ecclesiae Capitulum iure communi pertinet, sed iure speciali, consuetudine scilicet, pacto, vel privilegio, alii etiam Clerici, qui ex gremio Capituli non sint, iure eligendi ius habent, et possunt interesse, sive in provincia praesentes, sive absentes, et si quis contemnatur, aut opportune non vocetur, poterit de contemptu agere, ut electio irrita habeatur, cap. 28 de Elect. Si qui autem vel incertis, vel nimium dissitis in locis versentur, aut si periculum aliquod esset in mora, eis non vocatis, recte fieri electio potest, cap. 28 eod., tum quia vocatio aut inutilis esset, aut impossibilis, tum quia privatis iuribus publicum bonum praeferendum est. Qui vero vocati sunt, alterum agant necesse est, aut acccedant, aut iuri ferendi suffragii renuntient; neque enim fas est per litteras suffragium ferre, c. 46 hoc tit. in 6. Ii tantum, qui ex iusta causa accedere nequeant, possunt suffragium suum uni ex ipso Capitulo demandare, aut etiam extraneum ex consensu ipsius Capituli procuratorem sibi constituere. Procurator autem, si de gremio Capituli sit, non potest ancipiti conscientia alium suo, alio principalis nomine eligere, cum digniorem unum eligere teneatur, nisi mandatum speciale ad certam personam eligendam traditum sit, cap. eod. § *Porro.*

Caeterum ab electione facienda aliqui removentur vel impedimento naturae, vel impedimento legis: impedimento naturae arcentur furiosi, mentecapti, et omnes consilii et rationis inopes, cap. 22 eod.: impedimento aut legis removentur impuberes, Subdiaconatus Ordini nondum initiati, excommunicatione maiori excommunicati, infamia iuris, ab officio suspensi, quique ne eligant personaliter interdicti sunt. Praeterea laicos ad suffragium ferendum excipientes, indignum eligentes, intra tempus a iure definitum operam electioni non dantes, aut canonicam formam non observantes, iure eligendi pro una et prima vice privantur et ius ipsum reliquis Canonicis accrescit: quod si Canonici omnes deliquerint, ad proximum Superiorem devolvitur.

At vero celebrari electio debet in Ecclesia Cathedrali, aut alio decenti et honesto loco, ut res ita postulare videtur. Iure Decretalium electio Episcopi intra tres menses a die vacationis celebranda est, cap. 41 de Elect. Si forte capitulares electionem intra hoc tempus neglexerint, eligendi facultas simul cum iisdem temporis spatiis ad proximum superiorem devolvitur. Si Ecclesia Sedi Apostolicae sit proxime subiecta, statim ad Rom. Pontificem electio devolvitur. Si pars Capituli maior deficiat, sive per absentiam, sive per negligentiam, sive per renuntiationem, totum eligendi ius in minorem partem transit, quae integrum capitulum repraesentat, ex cap. 53 de elect.

Ad formam electionis quod attinet, posthabito usu sortium, qui illicitus per se est, et penitus improbatus ab Honorio III in cap. 3 de sortilegiis, nisi ex speciali divino instinctu fiat, aut nisi res

sit inter candidatos meritis omnino pares, tres electionis formae iure decretalium propositae sunt, ut ex ipsis quam mallent, sequerentur, nimirum scrutinium, compromissum, et inspiratio.

De forma electionis per scrutinium haec habentur cap. quia propter 42 de Elect. « Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire cogantur, et multa impedimenta proveniunt et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent et volunt, et possunt, commodo interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete et singillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, et sanior pars Capituli consentit. » Et cap. 2 de Elect. in 6 haec sunt animadversione digna: « In electionibus, et postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprobamus, statuentes ut huiusmodi votis pro non adiectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum qui non pure consenserint, ea vice in alios recidente. »

Si vero numeratis suffragiis nemo a maiori parte Capituli electus inveniatur, aut iteranda electio, quoad maiora suffragia in unum consenserint, aut res componenda est per compromissum, quod fit, quando ab universo Capitulo, nemine discrepante, electio arbitrio paucorum Capitularium, vel etiam extraneorum committitur, cap. 33 et 35 de Elect. Potestas compromissariis attri-

buta, re non integra revocari nequit, quin imo Capitulum tenetur eum ut Episcopum habere, quem servatis compromissi legibus, est electus.

Denique fit per inspirationem, quum Electores omnes, nemine repugnante, in loco solito congregati, quasi divino spiritu ducti in unum consentiunt, cap. 45 de Elect.

§ 98.

De Personis eligendis.

Electores tum ex Sacris Canonibus, tum ipso iure naturali tenentur, eo meliori modo, quo fieri possit, communi bono atque utilitati Ecclesiae providere, atque adeo inter plures dignos dignior eligendus est. Attamen electio minus digni subsistit, dummodo indignus non sit, secus enim nulla electio tuta esset, cum perpetuae disceptationes de maiori, vel minori dignitate excitarentur. Indignus autem dicitur, qui aut dotibus instructus non est, quas Canones in Episcopo postulant, aut aliquo impedimento affectus, propter quod aditus ad Episcopatum intercludatur. Itaque Canones has dotes in Episcopo flagitant: 1° Aetatis maturitatem, nempe triginta annos absolutos, et legitimos natales. 2° Morum et fidei integritatem: mores sint oportet, quos designat Apostolus 1 ad Timoth. cap. I, et ad Titum cap. I et II: Religio autem adeo integra esse debet, ut non modo haeretici eorumque receptores, fautores, defensores, verum etiam ipsorum filii, licet catholici usque ad secundam generationem ex linea paterna et ad

primam ex linea materna eligi nequeant, nisi parentes ante mortem poenituerit, et iterum in Ecclesiae Catholicae communionem fuerint cooptati, cap. STATUTUM 15 de Haer. in 6. 3° Scientiam litterarum, siquidem ex Conc. Trid. sess. XXII de Reform. cap. 2 « necesse est, ut Episcopus eligendus in aliqua universitate studiorum magister sive doctor aut licentiatus in Sacra Theologia, vel Iure Canonico, merito sit promotus, aut publico saltem alicuius Academiae testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur. » 4° Denique Ordinem Sacrum, quandoquidem ad Episcopatum assumendus saltem sex ante menses, quam eligatur, in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutus sit oportet. Ratione impedimenti, seu vitii, indigni sunt, atque adeo eligi nequeunt irregulares omnes, sive irregularitas ex defectu, sive ex delicto proficiscatur.

§ 99.

De effectu Electionis.

Electionem canonice factam multa consequuntur. Aliqua Capitulum spectant, quorum primum est, quod electione publicata variare nequeat, seu factae electionis poenitere: secundum est, quod electores intra octo dies electionem praesentare electo debeant, eiusque consensum petere. Quaedam spectant electum ipsum, et 1° electo mensis ad deliberandum datur, an, dignitatem sibi delatam acceptare velit, an eidem renuntiare, quo tempore elapso, si renuntiaverit, aut non consenserit, ius omne amittit ex electione quaesitum, et

ad aliam electionem via aperitur. 2° Si electus assentiatur, ius ad rem acquirit, seu ad obtinendam dignitatem, ad quam electus est, atque adeo matrimonium spirituale cum Ecclesia inchoatur. 3° A die consensus praestiti iter ad Apostolicam Sedem intra mensem arripere debet, si commode fieri possit, et intra tres menses confirmationem postulare. 4° Denique ante impetratam confirmationem non est ius electo se immiscere negotiis ullis Episcopatus, secus enim iure per electionem quaesito excidet, omniaque ab eo gesta nullius momenti et roboris sunt, et indignus evadit, qui in posterum eligatur, cap. Avaritiae 5 de Elect. in 6, et Extravag. Iniunctae eodem tit. inter comm., quibus accesserunt Const. Alex. VI Ex iniuncto, Iulii II et Iulii III, SS. in Christo. De quibus iam loquuti sunt.

Sed nonnulli Canonistae in vim capitis Nihil 44 de Elect. putant, Episcopos extra Italiam constitutos et valde remotos, dummodo in concordia electi sint, administrationem Ecclesiae suscipere ante confirmationem posse, non quidem iure proprio, sed dispensatione Pontificis, quod constat ex verbis ipsius capitis, ubi Pontifex « dispensative, ait propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent: et sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. » Neque per constitutiones, aut Canones iam allatos speciale eius capitis indultum revocatum esse ex eo putant, quod eiusdem revocationis nulla mentio habetur.

At vero quidquid sit de hac quaestione, quam in medio relinquimus, nobis satis erit duo animadvertere. Et primo quidem inter quaestionum

conflictum haud licere dubiam iurisdictionem explicare ob periculum nullitatis actuum, et gravis animarum detrimenti. Secundo, quamquam de speciali illius capitis indulgentia per Canones et Constitutiones posteriores, praesertim ex can. *Avaritiae*, nihil admodum derogatum esset, illud tamen certum est, quod locum habeat in solis electionibus concorditer celebratis, qua nempe in re consensio omnium suffragiorum putanda est luculentissimum de electi meritis argumentum, adeoque nulla ratione procedit in iis, qui provisi apud Sedem Apostolicam, aut a regibus praesentati, vel nominati fuerint. Hi enim, nemine Canonistarum contradicente, sine litteris eorum promotionem, confirmationem, et consecrationem continentibus ad commissas Ecclesias, proprio nutu, accedere, vel ipsorum administrationem suscipere, vi nominationis tantum, ac provisionis factae, omnino possunt.

Passerinus in tract. de Elect. cap. 33 putat dictum caput Nihil penitus antiquatum esse; sed veterem consuetudinem ubi viget, vim legis obtinere, ut administrare electo liceat, antequam confirmetur. Panormitanus etiam in idem caput n. 10 eamdem sententiam habet, sed eius mentem sic interpretatur Engel in Collegio universi Iur. Can. tit. 6, n. 31: « Panormitanus loquitur de inferioribus dignitatibus et beneficiis, nam in maioribus Praelaturis, ubi maius est periculum, ne indignus vel simoniacus cum damno et scandalo Ecclesiae eligatur, non putarem talem consuetudinem fore rationabilem. » At plerique Doctores affirmant Episcopum electum administrare posse, si electus sit in concordia, et si in ea Ecclesia, vel regione vigeat antiqua consuetudo administrandi.

Vide Muzzarelli, « Complément de la correspondance de la cour de Rome avec Bonaparte » Paris 1814.

§ 100.

De Postulatione.

Si forte contigerit, ut qui Ecclesiae utilissimus fore videtur, ob defectum aliquem, aut canonicum impedimentum eligi nequeat, tum electoribus extraordinarium praesidium datur, nimirum postulatio, per quam eiusdem impedimenti remissio apud Superiorem postulatur. Duplex est postulatio, simplex, et solemnis. Simplex est petitio apud Superiorem, ut consentiat in electionem eius, qui suae potestati subest, veluti si Monachum eligere velis, opus est venia sui Abbatis: quae quidem non vera et propria postulatio est, dum persona hoc modo postulanda nullo canonico impedimento teneatur, quominus eligi possit, sed potius electio est, quam nequit electus sine venia Superioris acceptare. Solemnis et vera postulatio est, dum a Romano Pontifice petitur, ut ex indulgentia et dispensatione in Episcopum assumat, qui per Canones eligi nequit. Itaque postulatio est quaedam dispensationis species a Superiore petita, unde satis intelligitur impedimentum eius generis esse oportere, super quo Pontifex dispensare possit et soleat, qualis est defectus natalium, aetatis, ordinis, libertatis ob vinculum spirituale cum alia Ecclesia, et huiusmodi. Verum ad Episcopatum eligi cupientes interdum Breve eligibilitatis sibi comparant, quod est S. P. dispensatio super uno alte-

rove impedimento canonico, ut, eo non obstante, eligi valeat, qui postulari omnino deberet.

Ex quibus perspicuum est postulationem duobus absolvi, scilicet postulantium suffragiis, et Pontificis auctoritate. Forma postulationis eadem est atque electionis, fitque communiter per scrutinium, aut compromissum, neque concordia suffragiorum poscitur, sed electoribus diversas personas postulantibus eius postulatio valet, qui maiora suffragia obtinuerit: maiora vero intelligimus, quae dimidium omnium suffragiorum superent. Non minus enim in postulatione, quam in electione maior numerus suffragiorum computatur respectu omnium eligentium, non respectu electorum, quibus aliqua forte suffragia obtigerunt. At si postulatio cum electione concurrat, si videlicet pars postulaverit, pars elegerit, tum postulatio electioni praefertur, cum numerus postulantium duplo excedit numerum eligentium, cap. 40 de Election.: velut ex viginti quatuor suffragantibus, si sexdecim postulent, et octo eligant, postulatio vincit. Contra vero electio postulationi praefertur, si numerus suffragiorum, quae favent electo, tertiam partem excedat, ex. gr. si ex 24 electoribus 15 postulent, et 9 eligant, electio plane consistit. Qua super re si quis plura desiderat, conferat clarissimum Neller in collectione methodica Sacrorum Canonum de Elect. Praelat.

Quod vero spectat ad Pontificis auctoritatem, integrum eidem est postulationem non admittere, quia magis est gratiae, quam iustitiae dispensationem super impedimentis indulgere, unde illud etiam intelligitur, quod postulatus ante admissam postulationem nullum ius acquirat, et re adhuc in-

tegra, hoc est postulatione Pontifici nondum oblata, Capitulum potest se poenitere et consilium mutare. Admittitur autem postulatio, praevia cognitione causae, qua inquiritur, utrum postulatio sit canonica, quibus impedimentis postulatus laboret, itemque num adsit iusta causa dispensationis concedendae. Sed postulatione admissa locus est confirmationi, de qua mox dicendum erit.

§ 101.

De Regia Nominatione.

Nominatio regia ex gratia et privilegio Ecclesiae consistit, et Principes in Episcopis nominandis viros deligere debent sanctitate vitae et scientia spectatissimos, aut saltem illis dotibus ornatos, quas Sacri Canones, et privilegium Apostolicum, aut pacta conventa postulaverint: secus enim Pontifex nominationem oblatam iure meritoque non admittit. Sic autem nominati nullum ius Ecclesiae gubernandae ante confirmationem consequuntur, quod multis probat Zypaeus de Iurisd. Ecclesiast. lib. 1, cap. 37, et nos superius probavimus.

Non defuerunt tamen Canonistae, qui aliam viam inierunt, ut ius Episcopos eligendi vel nominandi Summis *Principibus* adsererent, atque affirmare non dubitarunt, ius ipsum in *iure maiestatico*, sive in summo imperio contineri. Verum haec opinio mirum quantum a veritate discrepat. Electio enim Episcoporum est pars ecclesiastici regiminis quod proinde ad Ecclesiam pertinet. Neque vero civile imperium omnia potest, ideo quod summum

est: tum enim civilis, tum etiam ecclesiastica potestas summa est, utraque tamen in genere suo; et quemadmodum civilium Magistratuum eligendorum potestatem Ecclesia non habet, sic etiam Principibus laicis nullum ius est Magistratus ecclesiasticos sive Episcopos eligendi.

Id sapientissimi Principes facto ipso professi sunt; ius enim suarum ditionum Episcopos nominandi per privilegia, aut pacta et conventa a Sede Apostolica impetrarunt. Quapropter Natalis Alexander Hist. eccles. saec. XV. et XVI, diss. 11, art. 6, n. 7: « Non prohibetur, inquit, principibus, ne Episcopos Ecclesiis designent, si id ipsis ECCLESIA CONCESSERIT, VEL PERMISERIT; quod quidem eo casu praestabunt NON IURE IMPERII, sed praesidii ad Ecclesiam iuvandam : et nominatio regia vim electionis habebit, quatenus rex, ut Ecclesiae defensor, et ut populi caput, seu ut persona inter Clerum et laicum media, utrumque ordinem in negotio electionis Episcoporum repraesentat, sive utriusque iura exercet, ECCLESIA CONCEDENTE. » Et Gaspar Juenin in Commentario historico et dogmatico de Sacramentis, dissert. 10, cap. 3, art. 3 haec habet: « Naturalis ratio docet ovibus non convenire, ut pascant ac regant, sed tantum ut regantur et pascantur. Verum eligere Pastores actus est regiminis et gubernationis; laicis igitur, utpote ovibus tantum, nequaquam competit, nisi CONCESSERIT ECCLESIA, ut revera alias indulsit, et nunc etiam Principibus indulget, cum facultatem facit, ut in regnis, quibus praesunt, Episcopos nominent et praesentent Papae, a quo canonice instituuntur. » Paschalis II ait: « alienum est ab Ecclesia et sacris canonibus inhibitum, ne

principes et seculares viri investituras non solum dent, sed ne electioni Episcoporum se audeant violenter immiscere. »

Ius igitur nominandi Episcopos a Romano Pontifice tribuitur, ab eoque nominatio regia confirmanda est; postquam enim constiterit, eum, qui nominatus est, tanto munere dignum esse, tum nominatio confirmatur, nominatus scilicet Episcopus instituitur, et potestatem iurisdictionis consequitur.

Consule Ioan. Helfert libro « Von der Besetzung, Erledigung und dem Ledigstehen der Beneficien. » Prag. 1828, et Analecta Iuris Pont. liv. 46, Sept. et Oct. 1861, pag. 943.

§ 102.

De confirmatione Episcoporum.

Confirmatio est electi vel nominati approbatio, seu decretum Pontificis, quo electus vel nominatus probatur, et Pastor Ecclesiae constituitur. Electus ipse, aut nominatus intra mensem a die electionis vel nominationis, aut infra tempus in Apostolico indulto praefinitum per se aut per procuratorem petere confirmationem omnino debet. Tribuitur autem confirmatio a Pontifice, praevia causae cognitione, et in Consistorio Cardinalium, unde videtur Consistorium successisse in locum Synodi provincialis, in qua, praesidente Metropolita, Episcopi confirmabantur. Causae cognitio versatur super natalibus, aetate, morum honestate, scientia, aliisque dotibus, quae in Episcopo desiderantur. Si electus vel nominatus extra Ita-

liam commoretur, inquisitio de ipsius qualitatibus statuque Ecclesiae, ad formam Const. Gregor. XIV « ONUS APOSTOLICUM » 13 Maii 1591, et instruct. Clem. VIII 1627, a Nuntio Apostolico, vel ab alio Ordinario de speciali Pontificis mandato instituitur, et processus inde confectus Romam mittitur. In Italia vero atque insulis adiacentibus electi vel nominati coram ipso Pontifice periculum doctrinae faciunt, eorumque processus in Urbe conficitur, quibus absolutis, totius inquisitionis et examinis acta Cardinali relatori seu proponenti traduntur, atque tum ab ipso, tum ab aliis tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus serio expensa, et subscriptione roborata, ab eodem Relatore in Consistorio referuntur, quod dicitur *praeconizare*. Dein in eodem Consistorio, nisi Pontifici expedire videatur in alterum Consistorium rem differre, ut melius Cardinales possint dotes Candidati despicere, iudicium de ipsius idoneitate profertur, quod *propositionem* appellant. Tum denique Pontifex, consultis Cardinalibus, et solemni verborum formula, decretum confirmationis emittit. Ubi electio canonice peracta non sit, vel promovendus necessariis instructus dotibus non reperiatur, S. S. ex speciali gratia, aliquibus capitulis indulgere solet, ut ad novam electionem deveniat. Quae diximus de confirmatione, de processu etc., spectant etiam Episcopos, qui a Summo Pontifice directe creantur ac instituuntur. De Episcopis in partibus infid. vide Benedict. XIV Const. GRAVISSIME, 18 iun. 1737.

Verum cum Episcopum faciat confirmatio, duo praecipui eiusdem confirmationis effectus sunt. Primus est nexus, seu vinculum coniugii spiri-

tualis Episcopum inter et Ecclesiam; quod proinde Episcopus nequit sua auctoritate dissolvere, neque Ecclesiam derelinquere: et Ecclesia nequit Episcopum ipsum repudiare, si ex. gr. ob infirmitatem, aliamve causam supervenientem factus impotens fuerit; nam quod attinet ad spirituale vinculum Episcopi et Ecclesiae, Episcopus confirmatus pro consecrato habendus est. Alter effectus in eo positus est, quod Episcopus ius in re, seu plenam Ecclesiae administrationem, et sacram iurisdictionem accipiat, iis exceptis, quae sunt ordinis seu consecrationis Episcopalis, quae tamen alteri Episcopo delegare potest, quod huiusmodi delegatio potestate iurisdictionis contineatur. Ne quis tamen pro Episcopo habeatur, qui Episcopus non fuerit, cautum est ut Episcopi confirmati tum demum administrationem Ecclesiae suscipiant, cum litteras Pontificis, quae confirmationem testentur, iam acceperint et Capitulo exhibuerint, et si Capitula quempiam Episcopum sine Apostolicis litteris receperint a beneficiis ecclesiasticis suspenduntur.

§ 103.

De consecratione Episcoporum.

Confirmationem sequitur consecratio, quam Episcopus suscipere debet infra tres menses ab impetrata confirmatione, quibus elapsis, si consecratus non fuerit, perceptos fructus amittit, Ecclesiam quoque ipso iure amissurus, si ad tres alios menses consecrationem protraxerit ex Conc. Trid. sess. XXV, c. 2 de ref. Consecratio autem

est ritus sacer, quo culmen et complementum sacerdotalis Ordinis confertur, ut proinde Episcopus consecratus non solum nomine et dignitate, verum etiam potestate Ordinis presbyteris antecellat, multaque efficere possit, quae presbyteri nequeunt, veluti conferre Ordines, chrisma conficere, eoque inaugurare Ecclesias, altaria consecrare, et huiusmodi.

At cum consecrare Episcopum non licet, qui presbyter antea non fuerit. An vero consecratio episcopalis valida foret, si collatio presbyteratus non antecesserit, in quaestionem vocatum est, sed tutior et communis sententia tenet, consecrationem Episcopi, presbyteratu omisso, non consistere, nullumque exemplum certum et exploratum exstat de episcopatu non presbytero collato, qua de re confer Ioannem Morinum de Sacr. Ordinat. part. 3 exercit. 11, cap. 2, et Bened. XIV const. « IN POSTREMO » 20 octob. 1756. Praeterea ad Episcopi consecrationem tres Episcopi requiruntur, quorum unus consecrator dicitur, reliqui duo assistentes, idque semper in Ecclesia custoditum est. Haec vero trium Episcoporum praesentia potius ad disciplinam, quam ad consecrationis validitatem spectat, quandoquidem plura in sacra antiquitate occurrunt exempla episcopalium consecrationum, quae ab uno Episcopo peractae sunt, et non defuerunt Pontifices, qui saepius indulserunt, ut in remotis regionibus, ubi copia trium Episcoporum haberi non facile posset, consecratio ab uno Episcopo celebraretur, quod multis ostendit Benedictus XIV de Synod. dioeces. lib. 13, cap. 13, n. 2 et seqq. Vide etiam Corn. Paul. Hoynck van Papendrecht opere cit. diss. 23. « An

consecratio Episcopi perfici possit ab uno Episcopo sine commissione Rom. Pontificis? »

In praesenti Ecclesiae disciplina nullus Episcopus licite potest consecrari, nisi a Romano Pontifice, vel ex eius mandato speciali, quod, initio consecrationis recitandum est. Quare consecrator ante omnia quaerit: — Habetis mandatum Apostolicum? — Consecratio autem aut Romae, aut in ipsa Ecclesia, ad quam consecrandus assumptus est, aut saltem in provincia, si fieri possit, celebranda est die Dominica, aut Apostolo sacra, post actum antecedenti die ieiunium, manuum impositione, annuli et baculi traditione, unctione chrismatis, libri Evangeliorum supra caput consecrandi impositione, aliisque adhibitis ritibus, quos Pontificale Romanum titulo de Consecr. Episcop. singillatim describit. Tanti vero consecratio episcopalis facienda est, ut eiusdem anniversariam memoriam recolere quilibet Episcopus in sua Ecclesia debeat, quod traditione maiorum acceptum est: plurimi enim exstant sermones veterum Patrum habiti natali Episcoporum die, hoc est, die consecrationis singulis annis recurrente. Ex quo perspicuum est Ecclesiam hac commemoratione intendisse quemlibet Episcopum admonere, ne sineret primaevum sui episcopatus fervorem defervescere.

Praestantissimus consecrationis effectus est character episcopalis, vi cuius praeter divinam gratiam ad episcopatus munia rite obeunda, Consecratus accipit omnem ordinis potestatem et plenitudinem sacerdotii; deinde vero spirituale matrimonium cum Ecclesia consummatum intelligitur, et appellatione Fratris a Pontifice honoratur.

Porro ipso iure vacant Beneficia omnia, quibus consecratus antea fruebatur, non vero pensiones ecclesiasticae, quae hac in re stricto nomine beneficii non accipiuntur.

Ante vel in ipso actu consecrationis Episcopus consecrandus professionem fidei emittit, et Sacramento fidelitatis et obedientiae Romano Pontifici sese adstringit, de quo modo verba faciemus.

§ 104.

De iuramento fidelitatis Romano Pontifici praestando.

Episcopi non solum catholicam fidem ex formula a Pio IV Const. « INIUNCTAM NOBIS » praescripta, ante consecrationem profitentur, verum etiam fidelitatem et obedientiam Romano Pontifici interposito iuramento, quod Gregorianum a Gregorio VII, qui primus omnium illud exegit, dictum est, solemniter promittunt, ut eo pacto tum publicam fidei declarationem, tum quamdam cautionem ecclesiasticae servandae communionis adiungant. Neminem profecto latet antiquitus etiam obtinuisse, ut Episcopi, antequam consecrarentur, fidei professionem agerent et canonum observantiam profiterentur. Cum porro « plus timeri soleat, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur » ut ait can. 6, dist. 23; hinc factum est ut iurisiurandi formula diversis ac distinctis articulis conciperetur, quibus, attenta praesertim misera temporum conditione, Episcopi arctioribus vinculis ad ecclesiasticae disciplinae restaurationem, canonum obser-

vantiam et catholicae unitatis custodiam obstringerentur. De huius sacramenti antiquitate plura disserunt Catalanus, « Pont. Rom. » p. 1, t. 13, § 9, et Zaccaria, diss. De rebus ad histor. atque antiq. eccl. pert. diss. 13, t. 1. Hic de illius aequitate disserendum est. Hoc iuramentum adversari Principum iuribus, omnem e medio tollere, quam Episcopi, uti cives, principibus suis debent fidem et obedientiam, ac maiestatica ipsa iura sus deque vertere ac pessumdare, tum saeculo superiore, tum hac nostra aetate, plures auctores asserere ausi sunt. Verum quam perperam et iniuste id factum sit, vel ex eo patet, quod sacramentum hoc, quod ab omnibus catholici orbis Episcopis praestatur, dum iurantem adigit ad fidem Ecclesiae, Sedique Apostolicae sancte religioseque servandam, et ad ipsam religionem tuendam, eumdem insimul patriae, legitimeque imperantium auctoritati reddit fideliorem, cum nullum religione sit firmius patriae imperiorumque columen et fundamentum. Ad rem Roskovanus, l. c., § 109: « Nihil sane est quod ob iusiurandum de fide et obedientia per Episcopos Romano Pontifici nuncupatum finibus suis timeant civitates; in vulgus enim notum est per iuramentum ecclesiasticum nihil de fide et obsequiis, quae Episcopi summo terrae debent principi, decedere: » eo praesertim quod, ut observat Berthel, op. de Palllo, c. 2: « Iuramentum hoc ea concernit, quae pertinent ad utilitatem et iura Ecclesiae, non vero quae cum imperii detrimento coniuncta esse dignoscuntur. » Neque hic praetereundum est, Apostolicam Sedem, ubi primum intellexit nonnulla iuramenti verba, praesertim illa « *haereticos, schismaticos, ac rebelles*

persequar et impugnabo, » quibusdam ingrata videri ac duriora, et malevole ac perfide explanari, nihil habuisse sanctius, quam per accuratam vocum explicationem, genuinamque sensus declarationem omnes monitos reddere, neutiquam ea verba illuc spectare, ut Ecclesia, quae haeresim et schisma insectatur, ac civitas, quae haereticos ac schismaticos iure suo donat, hostes constituantur acerrimi, primariumque de inimicis diligendis Ecclesiae catholicae iussum convellatur ac destruatur. Quin imo ad omnem, si quis adhuc superesset, delendum scrupulum, eadem S. Sedes Episcopis permisit, ut citata verba e formula expungerentur, haecque ad finem adderentur: « omnia et singula eo inviolabilius observabo, quo certior sum, nihil in illis contineri, quod fidelitati meae Serenissimo Principi, eiusque successoribus ad thronum debitae adversari possit, » quemadmodum, ut alia exempla silentio praetercam, scimus permisisse Clementem XIV, an. 1783, Metropolitano Mohilevitano, Pium VI, an. 1791, Episcopis Hiberniae, Pium VII, an. 1823, Antistitibus Borussiae, Leonem XII, an. 1828, Praesuli Basileensi, Gregorium XVI, an. 1845, Pontifici Sangallensi, ac tandem Pium IX, an. 1853 Praelatis Provinciae Neerlandiae, quam S. S. Apostolicis litteris « *Ex qua,* » 4 martii 1853, maximo Catholicorum gaudio ac emolumento restituendam esse decrevit. Vide Paschalem II, in c. SIGNIFICASTI, 4 de elect. et elect. potest., Gonzales in eius cap. explanat., Barthelium celebrem Germaniae canonistam, eumque minime suspectum in opusc. de Pallio, c. 11, et in op. iurid. t. 2, opusc. 4, in quaestione inaugurali, ubi quaerit:

« Cuius disciplinae sit iuramentum, quod in actu consecrationis Episcopi Germaniae Rom. Pont. praestant, et an hoc Imperatori et imperio noxium sit? » Thomassin., de vet. et nova Eccl. disciplina, p. 2, l. 2, c. 46; Martin de antiquis Ecclesiae ritibus, t. 2, l. 1, c. 2, ad 11, ord. 10; Sirmondum in Append. ad tom. 2 Concil. Galliae, de antiq. Episc. promot. form. 13, et Philipps, op. cit. t. 2, c. 8, § 80.

§ 105.

De iuramento fidelitatis principi praestando.

Operae pretium est quaedam hic disserere de illa principum agendi ratione, qua non tam ad repellendum timorem, qui nullus exstare potest, quam ad gloriam hominumque impiorum approbationem captandam, lege diserta cavere voluerunt, ne praestare Summo Pontifici iuramentum Episcopi in ditione sua praesumerent, antequam proprio Principi suam fidem, religione iurisiurandi interposita, obstrinxissent. Iam 1° hic quaeritur, an talis nuncupatio possit componi cum episcopali dignitate et charactere? Quamvis auctores non defuerint, qui inter hoc iuramentum et illud Romano Pontifici praestandum, de quo iam verba fecimus, adeo apertam exstare pugnam autumaverint, ut ipsa sanctitas ac religio sacramenti periclitaretur, de eius tamen generatim aequitate, re in se inspecta, debitaque accedente permissione, dubitari posse minime videtur. In Ecclesia namque occidentali, ac praesertim in Hispania, Galliisque iam a saeculo inde septimo luculenta

talis iuramenti vestigia cernimus, quae satis abunde demonstrant illius aequitatem ab omnibus fuisse agnitam, et omnibus rite consideratis in ecclesia recognitam. Quapropter scite Roskovany, l. c., § 15, animadvertit : « In charactere episcopali praecipui religionis catholicae doctoris ac ministri, omnium etiam illorum officiorum habetur summa, quae e ratione Episcopi, uti civis ac subditi reipublicae dimanant, cum leges christianae religionis praeceptum quoque de fidelitate et obedientia erga Principem complectantur. Episcopus sane non aliter, ac quilibet christianus homo, eloquio divino praeeunte, suum Principem honore prosequi tenetur. » Porro formula, quae in omnibus fere pactis S. Sedem inter et principes laicos celebratis habetur, hisce ferme enuntiatur verbis: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem Maiestati tuae..... meo legitimo Principi..... Item promitto me nullam communionem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat (*vel*, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum), et si tam in Dioecesi mea, quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, Domino meo manifestabo. » 2° Quaeritur, an Episcopus pure et simpliciter spondere possit sese observaturum Constitutionem in ditione iam vigentem, vel in posterum dandam, legesque regionis non semper perspectas, quaeque Ecclesiae iura vel in praesentiarum, vel in posterum forsan laederent, praesertim si acatholicus princeps rempublicam moderetur?

Plures S. Sedis decisiones ad rem hanc nostram clare evincunt tale iuramentum licitum solummodo tum dici posse, cum vel Gubernium ipsum *explicativam*, vel Episcopus *restrictivam*, ut aiunt, declarationem emittit. Ubi enim utrumque deest, sacramentum tamquam periurium ac sacrilegium, non ecclesiasticis modo viris, sed catholico quovis homine prorsus indignum habendum est, praecipuis, quae inter conditiones ad licitum iusiurandum requiruntur, deficientibus, nempe ut verum illud sit ac iustum. Vide Pium VI, Breve « CARITAS, » 13 aprilis 1791. Declaratio explicativa Principis, eiusque Gubernii eo spectare debet, ut modo solemni ac publico notum fiat ac declaretur, propositam iuramenti formulam in sensu mere civili esse intelligendam, adeoque per eam nec ab Episcopo, nec a Clero, nec a catholico quovis viro, quidquam peti, vel exigi, quod fidei catholicae principiis, Ecclesiaeque legibus ac iuribus adversetur, quae, declaratio cum et mentem legislatoris, et vim potestatemque verborum enucleate explicet ac definiat, sufficiens per se est, licet actum separatum ac distinctum constituat, quo civile iuramentum, uti iustum ac licitum habeatur. Huius declarationis exempla reperies in Galliarum, Hispaniarumque regnis, et, ut cetera praeteream, in art. 22 Conventionis inter Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX et Praesidem Costaricensis Reipublicae, nec non in art. 25 alterius Conventionis inter eamdem Sanctitatem Suam et Praesidem Guatimalensis Reipublicae initarum die 7 octobris 1852. Ubi haec declaratio desit, necessario altera requiritur, seu *restrictiva* ex parte Episcoporum Clerique secundi ordinis et

laicorum, quae tum habetur, cum clausula, seu reservatio unico contextu, eodemque tempore adhibetur, ac aeque clare et explicate pronuntiatur Ecclesiasticos laicosque viros, emisso iuramento, minime se obstringere ad ea praestanda, quae Catholicae religioni, legibusque Ecclesiae adversantur. Verba propterea, quae a iurantibus adhiberi solent, haec sunt: « Ego iuramentum nuncupo in hisce omnibus quae catholicae religioni, legibusque Ecclesiae non adversantur. » Quae porro declaratio, ubi scripto iuretur, formulae iuramenti debet inseri: verum quatenus viva voce iusiurandum praestetur, ipsa clausula in actis Gubernii, vel saltem in actis Episcopalis Curiae, vel Officii Vicarii Generalis, aut aliis Ecclesiasticis Officiis ad perpetuam rei memoriam describatur, vel saltem in ipsa formulae recitatione fiat, audientibus duobus ad minus testibus; ex S. Poenitentiaria decr. 1 Dec. 1866 liberum est cuique, quam sibi magis arriserit in emittendo iuramento declarationem sequi, quin imo, ut verbis utar Pii VII litteris ad Episcopum Gandavensem datis 14 octob. 1820: « Si ad rem componendam expediens videatur, ut ex duabus declarationibus gubernium eligat, quam velit, S. S. ad concordiam cum temporali potestate facilius conciliandam, ut haec ratio ineatur minime dissentitur. » Conf. rescriptum Pii VI ad suum Vices Gerentem, 16 ianv. 1799, et epist. eiusdem Pontificis ad Card. de Brienne, 23 iul. 1791. Qui vero bona fide emiserunt iuramentum sine limitatione, ii « poterunt absolvi, quin officium suum (alias licitum) dimittere cogantur, modo, prudenti aliqua ratione, quae tamen satis sit illa-

to scandalo tollendo, errorem suum coram Parocho corrigant ac reparent, » ac simul distincte profiteantur, se iuramento praestito in iis obstringi, quae ordinem civilem respiciunt, non vero in iis, quae divinis ac ecclesiasticis legibus opponuntur.

§ 106.

De Episcoporum translationibus et renuntiationibus.

« Spirituale foedus coniugii, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, et in consecratione intelligitur consummatum » verba sunt Innoc. III, c. licet 4 de trans. Episc., profecto exposcit, ut Episcopus Ecclesiae suae tamquam sponsae adhaerere debeat. Verum praeter mortem, quae omnia solvit, tribus potissimum modis contingere potest, ut sancta haec coniunctio dissolvatur, nimirum translatione, renuntiatione et depositione. Nunc de translatione et renuntiatione : alibi vero de depositione opportunior sermo redibit.

Translatio est Episcopi ab Ecclesia, cui praeest, ad aliam Ecclesiam canonice facta assumptio. Itaque translatio canonice, seu secundum Canones ab Ecclesia constitutos peragenda est. Canones vero duo in translationibus postulant, nempe legitimam auctoritatem, et iustam causam. Igitur in primis praecedere debet Apostolicae Sedis auctoritas ; nam quemadmodum ait Van-Espen Iur. Eccl. univ. p. 1, t. 15, c. 5, n. 20, « Illud certum est iuxta stabilitam iure communi decretalium, et hodie per totam Ecclesiam receptam disciplinam,

translationes Episcoporum, uti et cessiones solo Romano Pontifici esse reservatas, nec posse sine expressa eius licentia Episcopum a vinculo, quo suae Ecclesiae est obligatus, absolvi. » Innocentius III cap. 2 de trans. Episc. id aperte decernit. Veteri etiam disciplina ex Can. Nicaeno 15, Can. Antiocheno 21, aliisque, quos congessit Gratianus c. 7, q. 1 Episcopi vetabantur proprio arbitrio Ecclesias mutare, cum arbitrariae huiusmodi transmigrationes ab avaritia et ambitione proficiscantur; nam ut habetur Conc. Sardicensi can. 1, « Nullus in hac re inventus est Episcopus, qui de maiori civitate ad minorem transiret. » Quin imo ipsi Sardicenses Patres, cum Arianorum opera passim Episcopi suo marte transferrentur, id facinoris gravissima poena transfixerunt, cum eodem can. 1 et 2 decreverint, ut Episcopi, qui ad aliam Ecclesiam ita transirent, ne in mortis quidem periculo communione etiam laica donarentur. Huius salutaris disciplinae incrementum per plura saecula confirmant innumeri propemodum canones et Pontificiae Constitutiones, quae ambitioni et avaritiae de una ad aliam sedem transmigrantium, tanquam aeneum murum sese opposuerunt. At S. Leo M. apud Gratianum can. 31, caus. 7, q. 1 ita edixit: « Si quis Episcopus, mediocritate civitatis suae despecta, administrationem celebrioris loci ambierit, et ad maiorem plebem se quacumque ratione transtulerit, non solum a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per avaritiam sprevit. « Iure etiam decretalium Episcopus, qui propria auctoritate se transfert ad aliam, privatur utraque, cap. quanto 3 de transl.

Praeter auctoritatem Apostolicae Sedis iusta etiam causa ad translationem postulatur, nempe vel Ecclesiae necessitas, vel maior eius utilitas; « semper etenim mansit et manebit inconcussa Patrum regula, quod nonnisi necessitate, aut utilitate cogente, translationes Episcoporum fieri possint, » ut loquitur Van-Espen op. cit. p. 1, tit. 15, c. 4. Iustae autem eius generis causae multiplices esse videntur, puta si Episcopus infestum loci aërem ferre non possit, si regimini alterius Ecclesiae utilior fore videatur, si praesens Ecclesia ita ab hostibus eversa sit, ut nihil Episcopo administrandum supersit.

Legitimae translationis effectus est, ut Episcopus solvatur a vinculo Ecclesiae, a quo discedit, et novo vinculo copuletur, et iungatur Ecclesiae, ad quam transfertur. Sed prior Ecclesia vacare reipsa intelligitur ab eo temporis articulo, quo Pontifex in Consistorio Episcopum a vinculo suae Ecclesiae pronuntiat solutum, quamvis Apostolicae Litterae necdum fuerint expeditae super alterius Ecclesiae provisione. Ita Urb. VIII per Litteras Apostolicas datas die 20 Martii an. 1625 expresse constituit et declaravit, nempe « Ecclesiam, a qua Episcopus de suo consensu transfertur, ab eo tempore vacare, quo idem Episcopus ab illius vinculo in nostro et pro tempore existentis R. Pontificis Consistorio absolvitur, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam secundae Ecclesiae possessionem. » Hoc loco quaeri solet, num Episcopi, Summi Pontificis auctoritate, etiam inviti transferri possint? Alii affirmant, alii negant absolute; sunt vero, qui asserunt id iure fieri posse, ubi Ecclesiae necessitas vel utilitas po-

stulaverit, quemadmodum fuse probant Fagnanus cap. quando de trans. n. 100, Tracassinus l. c. p. 2, c. 54 n. 9, Pirrhing de tract. § 2, n. 13, et Reiffenstuel l. c. t. 7, § 2 qui hanc sententiam communi omnium consensu receptam esse testantur. Reapse translatio inviti Episcopi duabus partibus constat, atque absolvitur: primum enim Episcopus invitus destituitur, seu quod idem est, absolvitur a vinculo prioris Ecclesiae, a qua transfertur, adeo ut ipsa Ecclesia vacet, nec ad eam datur regressus, deinde vero Episcopus ipse spirituali vinculo alligatur alteri Ecclesiae, ad quam transfertur. Iam vero pro dissolutione vinculi cum priori Ecclesia contracti, opus non est Episcopi consensu et voluntate, dum ipsum carnale matrimonium, coniuge etiam invito, ex iusta ac legitima causa, et auctoritate dissolvitur. Licet vero secundae Ecclesiae copulari Episcopus nequeat, nisi consenserit, quod ad valorem etiam spiritualis coniugii requiratur consensus contrahentium, tamen S. P. supplet consensum in casu, eo vel magis quia translatio ordinarie et communiter non fit, nisi audita parte ac vocata, et de consensu Cardinalium.

Renuntiatio Episcoporum, quae alteram huius § partem complectitur, est voluntaria cessio, seu dimissio Episcopatus certis ex causis et ex Sedis Apostolicae auctoritate. Igitur in renuntiatione requiritur voluntas renunciantis, causa renuntiationis, et auctoritas superioris. In primis itaque oportet renuntiationem esse voluntariam atque liberam: hinc renuntiatio, cui vis metusve iniuste incussus, aut dolus causam dedit, vel ab eo facta, qui mentis compos non erat, ipso iure irrita est, aut

saltem iudicis sententia rescindi poterit cap. 3 et 4 de his, quae vi metusve causa fiunt. Deinde iusta causa in promptu esse debet, quia nexus inter Episcopum et Ecclesiam valde arctus est, nec facile dissolvendus. Huius vero causae, quamvis numero plures in decret. Nisi cum pridem de reform. ab Innocentio III recenseantur, ad unum tamen veluti fontem universas referri animadvertit Ben. XIV de Syn. l. 13, c. 16, ut scilicet tum demum et non alias liceat Episcopo Ecclesiam dimittere, cum clare pateat, ipsum concreditae sibi plebis saluti prodesse amplius non posse, uti perspicuis verbis statutum legitur in decret. licet de Regul., ubi haec habentur: « Unde quando potest Episcopus praeesse pariter, et prodesse, non debet cedendi licentiam postulare, aut etiam obtinere. » Et recte docet S. Thomas 2, 2 q. 4 ad 1, unde Episcopus de abdicanda Ecclesia nullatenus cogitare potest, nisi cum noverit se a pastorali munere implendo prohiberi: sive porro impedimentum ab ipso profluat, ut si forte reus esset alicuius criminis ex eorum genere, quae illius officii et ministerii exsequutionem impediunt, aut si malae affectae valetudinis habitu laboraret, si illiteratus esset aut irregularis: sive ex causis extrinsecis impedimentum oriatur, veluti ex improbitate populi, aut scandalo, quemadmodum scite animadvertit Fagnanus in comment. ad enunciatum caput Nisi § 13 et seq. » Hactenus Bened. XIV. Denique renunciatio, ut recte fiat, a Summo Pontifice probanda est, cum spirituale coniugium inter Ecclesiam et Episcopum auctoritate solius Pontificis Romani dirimatur, ex eod. cap. Nisi, et ex c. 3 et 4 de translat., aliisque posterioribus

Pontificum Constitutionibus. Prioribus Ecclesiae saeculis in hoc renuntiationum negotio auctoritatem S. Sedis non exquiri mos fuit, idque exempla sanctorum etiam virorum, qui pii secessus aut contemplationis desiderio Episcopatum abdicarunt, apprime convincunt. At haec consuetudo sensim inolevit, et saeculo circiter XII ineunte, ubique iam in Occidente tanquam certum atque exploratum apud omnes obtinuisse non ambigitur, ut Romani Pontificis necessarius assensus exspectaretur.

Episcopus vero loco tantum, interdum loco et dignitati renuntiat, scilicet vel gradum Episcopalem dimittit, vel gradum simul et dignitatem. Qui priori modo Ecclesiam suam dimittit, iurisdictionem tantummodo episcopalem exercere vetatur, quia nullos amplius habet subditos, honorem tamen et dignitatem retinet, unde quae ordinis sunt Episcopalis ab Episcopo Dioecesano rogatus, rite recteque exsequitur c. 1 de ordinatis ab eo, qui Episcopatum renuntiavit. Qui vero loco simul et dignitate se abdicavit, quamquam retineat characterem ordinis episcopalis, qui deleri nequit, quae tamem ordinis sunt, neque ex Dioecesani Episcopi permissu, recte agere potest, atque adeo qui ordines ab eo susceperint, ordinem sic susceptuum explicare prohibentur eod. tit.

Denique vel simpliciter et pure Ecclesiam dimittit, vel in favorem et gratiam alterius personae resignat. Odiosae vel a primis saeculis fuere huiusmodi Episcopatuum resignationes in favorem alterius emissae et a Conc. Antiocheno c. 33 prohibitae: officia enim ecclesiastica eius generis non sunt, ut qui ea teneant, pro lubitu disponere possint, aliunde etiam in potestate esset eligere sibi successo-

rem, quod aperte vetant canones, ac demum Episcopi ecclesias suas tanquam haereditatem facile ad consanguineos transmitterent. Sed consequutis temporibus nonnulla earumdem resignationum exempla occurrunt. Nostra tamen aetate rigidior videtur hac in re disciplina, namque Pontifices resignationes huiusmodi nunquam aut raro admittunt, et nisi gravissima instet causa et pro magno bono Ecclesiarum.

Caeterum non videtur negatum Episcopo renuntianti ex dimissi Episcopatus reditibus annuam pensionem requirere, quae ad honestam ipsius sustentationem sufficiat, praesertim si reditus Ecclesiae pensioni exsolvendae satis fuerint, et Episcopo aliunde non supersit, unde congrue vivere possit. Ita in Conc. Chalcedonensi art. 10. Bassiano et Stephano, qui Episcopatu abierunt, annua pensio constituta est, *nutrimenti causa et consolatione*, unde originem pensiones ecclesiasticae habuerunt.

Hic opportune quaeritur, an Episcopus sine suo vitio, aut culpa debeat interdum sese Episcopatu abdicare? Iam vero ex christianae caritatis praecepto, et ex ipsa naturali ratione edocemur, bonum publicum potius habendum esse privato bono. Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae et animarum salus sit privata Episcopi utilitate, et temporali ipsius honore longe maius bonum, et maxime expetendum. Igitur si eiusmodi sint rerum ac temporum rationes, ut Ecclesiae et animarum salus periclitetur, nisi Episcopus loco cesserit, sive quod ipse omnino nequeat suae plebi prospicere, sive quod mala plebs ipsum oderit, penitusque deserat, neque ulla reliqua sit spes illius mali

avertendi, tunc quidem Episcopus debet Episcopatum sponte dimittere, ac profiteri non sibi, sed animarum saluti se natum ordinatumque Episcopum fuisse. Praeclare ad rem nostram Augustinus in lib. de gestis cum Emerito num. 5 et seqq.: « Quid enim dubitemus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de Coelis in humana membra descendit, ut membra eius essemus, et nos, ne ipsa eius membra crudeli divisione lanientur, descendere de Cathedris formidamus? Episcopi propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus. » Huius rei illustre exemplum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, qui studio pacis Episcopatu Constantinopolitano se sponte abdicavit.

Sed quid iuris erit, si Episcopus expers omnis culpae Episcopatum dimittere renuat? Poteritne Pontifex ipsum, vel invitum destituere? Abbas, in cap. SUA NOBIS de confirmat. utili vel inutili; Fagnanus, in cap. 4 de translat. § 61; Pirrhing de transl. § 2, num. 13 nihil omnino dubitant, quin Pontifex OB GRAVISSIMAM, ET PRAESERTIM OB PUBLICAM CAUSAM id possit, idemque sentit Gersonius ipse, in quem suspicio non cadit assentationis in Sedem Romanam. Is itaque de Statibus Ecclesiae consideratione III haec habet: « Status praelationis episcopalis habuit in Apostolis et Successoribus usum et exercitium suae potestatis sub Papa Petro et Successoribus eius, tanquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis; unde quoad talia minores Praelati, scilicet Curati, subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis

quandoque limitatur et arcetur, et sic a Papa posse fieri circa Praelatos maiores ex certis et rationabilibus causis non est ambigendum. » Et deinde cons. IV: « Status episcopalis non ita Statui Papali subest, quod illum possit Papa annullare, sicut nec Status Papalis potest humanitus destrui; nihilominus idem Status episcopalis, quoad acquisitionem isti personae, et quoad sui exercitium, subest rationabili Papae voluntati ad utilitatem Ecclesiae. » Gersonio consentit Thomas ab Argentina Theologiam Parisiis professus circa ann. 1445, dum haec scribit « Hist. 25, q. 1. c. 2: » Cum iurisdictio spiritualis cuiuslibet sacerdotis dependeat a S. Pontifice, apud quem solum residet iurisdictionis plenitudo, tam in fieri, quam in conservari, ipse quotidie potest dare et auferre huiusmodi iurisdictionem, prout ad Statum Eccl. gubernandum ipse viderit expedire. »

Et re quidem vera, cum idem iudicium de similibus habendum sit, cui ius et potestas est invitum Episcopum ex iusta causa transferendi, eidem et ius et potestas erit invitum Episcopum etiam destituendi. Quid namque est inviti Episcopi destitutio, nisi inchoata et imperfecta inviti Episcopi translatio? Diximus superius translationem inviti Episcopi duobus extremis, ac veluti duabus partibus constare et absolvi: primum nempe invitus Episcopus destituitur. Verum huic sententiae illud gravissimo ac firmissimo argumento est, quod, ut certum apud omnes catholicos exploratumque habetur, Pontifex divino iure nihil non potest, quod ad Ecclesiae unitatem vel servandam, vel restituendam conducat. Pontifex itaque ob animarum pericula vel seditiones, aliaque mala propulsanda, quae aliter

vitari nequeant, summa potestate praeditus erit Episcopos vel invitos destituendi. Celebre est dictum S. Hieronymi in dialogo contra Luciferianos num. 9: « Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes. »

Sed illud poterit iniustum aliquibus videri, quod poena afficiatur Episcopus, qui non deliquit, cum nemo sine culpa puniendus sit. Huic difficultati occurrit praeclare S. Thomas 2, 2, quaest. 106, art. 4: « Poena, inquit, dupliciter potest considerari. Uno modo secundum rationem poenae, et secundum hoc poena non debetur nisi peccato, quia per poenam reparatur aequalitas iustitiae, in quantum ille, qui peccando nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. Alio modo potest considerari poena, in quantum est medicina non solum sanativa peccati praeteriti, sed etiam praeservativa a peccato futuro, vel etiam promotiva in aliquod bonum. Et secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa. » Doctrinae Divi Thomae mirifice consentit regula 23, de R. I. in 6, hoc est: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. » Ergo si causa subsit, aliquis etiam sine culpa puniri poterit. Itaque, si id Ecclesiae necessitas exposcat, Episcopus conqueri iure nequit, quod Episcopatu privetur: causa enim Ecclesiae temporali ipsius Episcopi utilitati longe multumque praestat.

At vero Episcopum destitutum compensatione aliqua leniendum esse libenter sentimus cum Cardin. Petra, tom. 1, comm. in constit. 2, Leonis

IX, num. 30, ubi ait: « aliquod discrimen est in casu renuntiationis ob culpam propriam, et illius quae fit ob culpam plebis, vel ex causa intrinseca iusta. Secundo enim casu debet dari compensatio aequalis, vel debet assignari congrua, habito respectu ad Ecclesiam, quam dimittit, et ad qualitatem dimittentis. » Grotius ipse, postquam supremo Principi potestatem tribuit subditos, ob publicae necessitatis, aut utilitatis causas, quaesito iure vel munere privandi, compensationem, si fieri tamen possit, dandam esse existimavit. En ipsius verba de iure belli et pacis lib. II, cap. 14, §. 7: « Sed hoc quoque sciendum est, posse subditis ius etiam quaesitum auferri per Regem duplici modo, aut in poenam, aut ex vi supereminentis dominii. Sed ut id fiat ex vi supereminentis dominii, primo requiritur utilitas publica, deinde ut, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit ex communi. »

Quaeritur denique, utrum ulla in iure praescripta sit forma, seu solemnitas, qua destitutio Episcopi peragenda sit. Non enim desunt, qui contendant, quod sicut ex decretis Conc. Pisani sess. XXI, Constant. sess. XXXIX, et Basileens. sess. XXIII, translatio « de invito Episcopo non est facienda, nisi parte audita et vocata, et de consensu maioris partis Cardinalium; » ita etiam inviti Episcopi destitutio, nisi iisdem conditionibus servatis, rite, recteque absolvi non possit. At in primis eorum Conciliorum decreta nimis auctoritate claudicant, ut ex eis aliquid adversus Pontificis potestatem sumi queat. Dein vero ea duplex conditio, tum de parte vocanda et audienda, tum de consensu maioris partis Cardinalium exquirendo pertinet ad

regularem destitutionis absolutionem, non etiam ad actus validitatem. Nam quod ad Cardinalium consensus spectat, etsi summopere prudentiae consonum sit, ut Pontifex in gravioribus negotiis sui senatus consilia exquirat, quemadmodum apud Sedem Apostolicam semper in more fuit, tamen ex natura suae dignitatis ac potestatis aliorum suffragiis pro actorum validitate non egere, superius iam probatum a nobis est. Alterum vero, quod a praefatis Conciliis requiritur, ut nempe Episcopus neque auditus, neque vocatus transferatur, vel destituatur, id ex ipsa naturali aequitate persuadetur cum nemo condemnari debeat, nisi defendendi sese facultatem habuerit. Verum id locum habet ordinarie « et in quibusdam casibus non est necesse servare; » ut ait Lessius de Iust. et Iure l. 2, c. 299, n. 100, ubi extraordinarios huiusmodi casus perspicue enumerat, eamdemque sententiam tuentur et illustrant Sanchez Consil. Mor. l. 3, dub. 4 Layman lib. 3, tract. 6, c. 3 aliique plures. Hinc Innocentius III cap., in Caus. de sent. et re iud. postquam edixit in causis iudicialibus a Pontifice decisis ordinem iuris et vigorem aequitatis esse subtiliter observandum, subdit « nisi forte cum aliquid, causa necessitatis et utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum. «

Harum destitutionum exempla cum alias, tum nostra praesertim aetate in Gallia habuimus totius Ecclesiae consensione roborata.

§ 107.

De electione ad Praelaturas regulares.

De Praesulum Regularium electione quaedam specialia sunt. Eligere non possunt Regulares 1° qui nondum professi sunt: 2° qui sunt quidem professi, sed inter fratres laicos: 3° qui tamquam proprietarii convicti sunt, siquidem per biennium voce activa et passiva privantur; 4° qui demum ex Ordine Mendicantium ad Ordinem non Mendicantium, etiam dispensatione Apostolica, transierunt, namque ex Clement. 2 de Regular. nec vocem, nec locum habent in Capitulo.

Quod vero pertinet ad eligendos, eligi non possunt nondum expresse professi, et universim Regulares omnes, qui eligere nequeunt, nec possunt eligi. Excipe tamen Irregulares, de quibus si censura, aut aliud impedimentum non obsit, plerique Doctores dubitant, an quemadmodum ad dignitates et officia sive regularia, sive saecularia eligi nequeunt, sic etiam eligere prohibeantur; cum enim irregularitas sit inhabilitas ad ordines suscipiendos, susceptosque exercendos, videntur irregulares eligi haud posse, quod praelaturis et dignitatibus aliquod sacri ordinis munus semper coniunctum sit, sed tamen eligere posse, quod in facienda electione nullum ordinis munus exerceatur. Verum hac in re illud Regularibus peculiare est, quod religiosa professio, quamquam ex natalibus ortam irregularitatem abstergat ad ordines suscipiendos, eos tamen ad dignitates obtinendas habiles et aptos non efficiat. Praeterea ex decreto

Congr. EE. RR. 7 Feb. 1648 Regulares nec voce activa, nec passiva fruuntur, « nisi collocati de familia in aliquo Conventu per tres menses immediate proximos capitulo celebrando ibidem perpetuo permanserint.» Cavit item Conc.Trid. sess.XXV, c. 7 de Reg., ne Abbatissae, aut Priorissae, aliaeve Monialium Praefectae crearentur, nisi quadragenariae, et quae octennium saltem religiosae professionis expleverint, iussitque, ut Episcopus, aut qui eius mandato Monialium electionibus praeest, secreta Monialium suffragia e fenestella colligeret, nec claustra ingrederetur.

Quod ad formam electionis attinet, eadem Trid. Syn. sancivit, ut electio per vota secreta celebraretur, et eligentium nomina numquam publicarentur; quo quidem decreto sublatae sunt Regularium electiones per inspirationem, et compromissum, quod S. C. C. saepius declaravit. Caeterum electio per compromissum secretum consistere videtur, quandoquidem, ut observat Remigius Maschat Instit. can.lib. 1, ad tit. De elect. § 4 « Dispositio Tridentini ad evitandas discordias et inimicitias in Religiosos facta sustulit formam inspirationis et compromissi, dum fiunt per vota publica, si tamen compromissum more scrutinii fiat per vota secreta, non est sublatum per Tridentinum, cum idem finis obtineatur. » Collatis autem suffragiis omnibus maior numerus praevalet; et si nullus a maiori parte electus sit, scrutinium iteratur: schedulae verò concremantur. Multa Congregationum decreta de validitate electionum Regularium congessit Ubaldus Giraldi in exp. I. P, part. 2, ad sess. 25, Conc. Trid. cap. 6, de Regular. Notandum est praelatos inferiores,

qui Ecclesiam separatam habent cum iurisdictione, adeoque vere *Nullius* sunt, ac titulares habentur, eligi debere usitata forma pro Episcoporum electione, de qua loquuti fuimus § 97.

Confirmatio ab immediato Superiore petenda est. Hinc Praepositi Generales Ordinum, Abbates, aliique Praelati Regulares exempti, et Apostolicae Sedi immediate subiecti a Pontifice confirmantur, nisi forte privilegio aucti sint, quo ab eorum in electionem consensu plenam iurisdictionem et administrationem sine ulla confirmatione obtineant, eoque privilegio Generales Ordinum Mendicantium donatos esse testatur Passerinus de Elect. cap. 23. Provinciales autem et Abbates exempti a iurisdictione Episcopi, non tamen Apostolicae Sedi immediate subiecti a Praeposito Generali; Priores et Guardiani a suo Provinciali confirmationem accipiunt. Praelati autem Regulares a iurisdictione Episcopi non exempti, ab eodem confirmandi sunt. Pariter Abbatissis et Priorissis Sedi Apostolicae immediate subiectis confirmatio a Pontifice tribuitur, exemptae vero ab Episcopi iurisdictione, sed alicui Virorum Monasterio obnoxiae a Superiore ipsius Monasterii, reliquae omnes ab Episcopo confirmantur. Vide Leurenium in foro Benef. sect. 2, cap. de Confir. quaest. 461 et 462. Verumtamen hac in re, et in caeteris quae ad Regularium electionem pertinent, speciales Constitutiones, consuetudines, et privilegia singulorum Ordinum servanda sunt.

Abbatibus qui Episcopis honore proximi, et quorundam Episcopalium munerum participes sunt, consecrationis loco benedictio tribuitur, quae ab aliquibus minus proprie consecratio appellatur.

Nam benedictio Abbatum characterem Ordinis non imprimit, et ferme in eo tantum consecrationem sequitur, quod iteranda non sit, etiamsi Abbas ad alterius Monasterii regimen eligatur. Abbates Regulares perpetui, nisi ipsis indultum sit, ut pro benedictis habeantur, vel a superioribus regularibus benedicantur, statim ac electi sunt solemnem benedictionem, iuxta ritum in Pontificali Romano praescriptum, intra annum ab electionis die, suscipere tenentur, vel saltem ter humiliter postulare. An interea temporis pontificalibus indumentis, ipsorumque usu potiantur, et muneribus abbatialibus fungi possint, quaesitum est. Ex can. 14 conc. Nicaeni II, et ex cap. II cum contingit lib. I, dec. t. 14 et presbyteratus ordo, et Episcopi benedictio requiruntur, ut abbas suis subditis minores ordines conferre possit. Hisce canonibus derogatum est per privilegia peculiaria, ut observat Ben. XIV de Syn. Dioec. l. 2, c. II, n. 9, qui ulterius const. « COMMISSI NOBIS » 6 maii 1725 declaravit « Abbates electos, durante praefato termino, ac interim omnia munia abbatialia libere ac licite exercere posse, ac valere. »

Abbates exempti aut in Curia Romana benedicuntur, aut etiam alibi ex Summi Pontificis mandato: non exempti autem ab Episcopo, in cuius Dioecesi Monasterium positum est, benedicuntur; nisi is tertio requisitus, petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat, quo casu a quolibet antistite libere eam suscipere potest. Quaenam autem sit Abbatum regularium potestas in usu Pontificalium, in collatione minorum Ordinum, circa suos subditos ex disp. Conc. Trid. sess. XXV, c. 10, in regimine et administratione spirituali et tem-

porali, late disserit Barthel Opuscul. iurid. tom. II, opus. 5 de iure et iurisdictione Abbatum spirituali et temporali cap. 2, § 7 et seq. De usu pontificalium, de benedictionibus ac indulgentiis, vide S. R. C. dec. 26 septemb. 1659 apud Ferraris et Sardellini.

Abbatissae quoque nonnullorum Monasteriorum benedici solent per sacram caeremoniam, in qua Episcopus orat, ut Abbatissa electa Monialibus sibi creditis pie sancteque invigilet. Si Abbatissae benedici solitae infra annum a die confirmationis suae benedictionem petere negligant, excidunt omni iure, quod consequutae fuerant, Clement. 2 de Statu Monac. et Canonic. Regul. Sed Abbatissis nulla in Moniales et Clericos Monasterio addictos est iurisdictio spiritualis, ad quam accipiendam ac exercendam per se foeminae non sunt idoneae; tantummodo quidquam vetare possunt, aut iubere, monere et corrigere, quod passim tradunt Interpretes ad caput Dilecta de Maiorit. et Obedient., et speciatim Piringhius l. 3, f. 31 De reg. n. 9, ubi apprime distinguit inter potestatem spiritualem proprie dictam et potestatem *gubernativam*, et quasi *dominativam*, seu oeconomicam, de qua solum foeminae capaces sunt. Verum in Causa Castellana Iurisd. apud S. C. EE. et RR. 22 Ian. 1708 datur exemplum iurisdictionis spiritualis in Abbatissa Monasterii S. Benedicti Conversani, licet aperte praecipiatur, ut pro eius exercitio Vicarius exteras et iuris utriusque doctor eligi debeat. In opere Card. Bizzarri, cuius titulus: « Collectanea in usum Secretariae S. C. EE. et RR., Romae 1863, p. 323 refertur decisio et in nota (1) additur: « Haec resolutio; uti factum historicum refertur, cum

huiusmodi iurisdictio deinceps abrogata fuerit. »

Nihil hoc loco dicimus de electione ad Dignitates, et reliqua officia Canonicalia, quod ex communi sententia Doctorum necesse non est, ut forma electionis proprie dictae in iis conferendis observetur, ut idcirco suffragia palam et aperte ferri possint et accessu compleri, neque ulla confirmatione opus est. Sufficit enim, ut Capitulum collegialiter congregatum, aut maior totius Capituli pars in personam idoneam consentiat.



CAPUT XI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS

§ 108.

De ordinatione Clericorum.

Sed iam videndum est, quemadmodum potestas Ordinis per Sacram Ordinationem conferatur. Ordo latine significat aptam rerum dispositionem, aut gradum quemdam personarum, seu dignitatem, unde persona distat a persona, uti Ordo Senatorius, quo Senatores a reliqua plebe distinguebantur. Hac ratione in Ecclesia Ordo Clericalis est gradus quidam personarum, quae ad sacra obeunda mysteria addictae, eaque de causa a Laicis distinctae sunt. Quia vero cuique Clerico diversus ordo, sive diversa potestas data est, ut alii aliis praestantiores sint, sic pro varietate ordinum, sive potestatis, varii sunt etiam gradus Clericorum. Igitur sacra potestas singulorum graduum propria ordo dicitur, modus autem quo potestas tribuitur, sacra ordinatio vocátur, et idcirco quemadmodum effectus a causa, ita ordo ab Ordinatione derivatur.

Quibus positis, sacra ordinatio definiri solet « sacer ritus, per quem aliquis ex laico fit Clericus, aut ex inferiori ordine Clericatus ad altiorem ordinem promovetur. » Ordo autem est « sacramentum novae legis a Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi,

ac ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non Sacerdotio et officio inserviendi, » quae definitio ex Trid. Patribus sess. XXIII, can. 1 et 3 sumpta est. An vero diversi Ordines et maiores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam ad Sacerdotium tenditur, singuli sacramenta sint, an soli maiores Ordines veri Ordinis Sacramenta dici queant, non autem Ordines qui sunt Diaconatu inferiores, controversia est, quae, ut alias diximus, ad Theologos omnino pertinet. Nostrum est de Sacris Ordinationibus disciplinam Ecclesiae dilucide explanare, idque efficere conabimur distinctis paragraphis, quae sequuntur.

§ 109.

De legitimo ordinationis ministro.

Soli Episcopi iure divino ordinarii sunt Sacrae Ordinationis Ministri. Hanc perpetuam Catholicae Ecclesiae doctrinam firmavit Trident. Syn. sess. XXIII, can. 7: « Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem.... anathema sit. » Sed in vim privilegii Romanae Sedis simplex Sacerdos potest minorum Ordinum Minister extraordinarius esse. Hinc Cardinales Presbyteratus ordine insigniti in Ecclesiis suorum titulorum, et Abbates Sacerdotes solemniter benedicti suis subditis regularibus primam tonsuram et minores Ordines conferunt.

Episcopi vero, etiam haeretici aut schismatici, degradati, aut quocunque scelere inquinati, vel

censura irretiti, valide ordines administrant, modo debita forma et materia utantur, et intentionem habeant faciendi, quod facit Ecclesia; quia character Episcopalis, seu potestas in Ordinatione semel accepta nec deleri potest, nec amitti. Eorum autem Ordinationes sunt illicitae et sacrilegae. Generatim vero Ordines non licite conferuntur, nisi ab Episcopo proprio, scilicet ab eo cui ordinandus subiectus est. Salutaris haec disciplina iam ab initio Ecclesiae viguit, et in Conciliorum Canonibus adeo severe proposita et confirmata est, ut Ordinationes alieni subditi irritae pronuntiatae sint, hoc nimirum sensu, quatenus ab Episcopo non suo ordinati susceptorum Ordinum munera explere omnino vetarentur. Ita Concilium Nicaenum I sancivit can. 17: « Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia ordinare; quum non habeat consensum Episcopi ipsius, a quo recessit Clericus, irrita (hoc est illicita) erit huiusmodi ordinatio. » Et Concilium Sardicense can. 15: « Si quis Episcopus ex aliena Parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii Episcopi in aliquo gradu constituere, irrita et infirma huiusmodi constitutio existimetur. » Haec autem ecclesiastica disciplina aliquibus Canonistis visa est solos Clericos respexisse, non etiam laicos: atque adeo putant ea aetate laicos a quocunque Episcopo ordinari potuisse. Huc referunt Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque illustrium Virorum exempla, qui adhuc laici, inconsultis propriis Episcopis, ordinati sunt. Nulla itaque ratio habebatur originis et domicilii, et proprius ordinationis Episcopus ille statim evadebat, qui aliquem primum in Clero ad-

scripsisset. Cum enim, aiunt, nullus ordinari tunc posset, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo inhaerere et in suscepto ordine inservire deberet, profecto fiebat, ut laicus ex prima illa ordinatione subditus evaderet eius Episcopi, cuius in Dioecesi erat Ecclesia, cui adscriptus fuerat, ab eoque tantum Episcopo reliquos ordines susciperet. Sed huic sententiae difficultatem creare videtur can. 5. Concilii Carthaginiensis I, quo Episcopi vetantur non modo Clericum, verum etiam laicum alterius Dioecesis, sine consensu Episcopi, ordinare: « Non debere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris Episcopi sui, nec apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet, sine conscientia eius Episcopi de cuius plebe est. » Quamobrem cum Epigonius, Bullensis Episcopus; in Concilio Carthaginiensi III conquestus esset, quod Iulianus Episcopus Clericum sibi eripuisset, et Diaconum ordinasset, quem ipse Epigonius in sua Ecclesia baptizaverat, quem multis annis aluerat, et Lectorem ordinaverat, cum Concili Patres iudicassent id a Iuliano inique factum atque indigne, hinc triplex titulus olim fuisse videtur, quo proprius Episcopus censeretur, nempe titulus baptismi, seu nativitatis spiritualis, titulus diutinae habitationis, et titulus ordinationis.

Verum quisque fuerit veteris disciplinae titulus, quo aliquis Episcopus proprius haberetur, certum est Bonifacium VIII generalem regulam dixisse, qua sancivit proprium ad ordines conferendos Episcopum eum fore, qui ordinandi Episcopus sit ratione originis, aut beneficii, aut domicilii. «Cum, ut ait cap. 3 de temp. Ordinat. in 6, nullus Clericum parochiae alienae praeter Superioris ipsius

licentiam debeat ordinare; Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius Dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.» Cui triplici titulo ex Bulla Innocentii XII « SPECULATORES » 4 Nov. 1694 accessit titulus familiaritatis, atque adeo proprius ordinationis Episcopus nunc est, cui Ordinandus subest ratione originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis.

Hic vero monendum est, Praelatos saeculares nulla ordinandi potestate praeditos esse, sed suorum subditorum ordinationes pertinere ad Episcopos, in quorum Dioecesi eorum territorium continetur; si autem sint vere nullius, et territorium separatum habeant, ordinatio ad Episcopum viciniorem spectat, ad quem subditos suos cum litteris non dimissoriis, sed testimonialibus mittere debent: nisi et privilegio apostolico post Tridentinam Synodum obtento, ius concedendi dimissorias consequuti sint. Qua de re confer Benedictum XIV De Synod. dioeces. lib. 2, cap. 11, n. 15 et 16.

§ 110.

De Episcopo proprio ratione originis.

Primo itaque Episcopus ratione originis is esse intelligitur, in cuius Dioecesi aliquis oriundus est. Oriundum enim Bonifacius dixit, non natum, adeoque si quis fortuito in aliquo loco natus sit, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae, seu

permanentiae duorum parentum, tum quidem non eiusmodi fortuita nativitas, sed patris origo spectanda est. Si quis autem in eo loco, ubi fortuito natus est tanto tempore moram traxerit, ut ibidem potuerit canonico impedimento irretiri, tunc etiam ab eius loci Ordinario obtinere litteras testimoniales debet, quibus ab omni canonico impedimento ibidem contracto declaretur immunis, easque Episcopo ordinanti exhibere, ut in actis Curiae suae conservari iubeat, earumque mentionem faciat in collatorum Ordinum testimonio. Quod si pater in eo loco, in quo fortuito natus est filius, tamdiu, eoque animo permanserit, ut ibidem vere domicilium de iure contraxerit, tunc non patris origo, sed contractum ab eo domicilium pro filii ordinatione attendi debet. Vide S. C. C. Pisana dub. Ord. 25 Ian. 1732. Si postea Pater ad alia transmigret loca, ibique moram accidentalem trahat, filius litteras testimoniales huiusmodi locorum antistitum exhibere debet, ex S. C. C. Decis. in Montisfal. 17 Maii 1826. Quando vero Pater novum domicilium relinquit, et ad locum originis redit, Episcopus domicilii non potest amplius filium ordinare, aut dimissorias litteras eidem tradere; si fecerit, ordinatio illicita erit, ut tenet S. C. C. in Volven. 22 Mart. 1732. Haec de filiis legitimis.

At vero si de filiis illegitimis sermo sit, et super defectu natalium dispensationem obtinuerint, non amplius paternae, sed maternae originis locus attendendus est, etiamsi de patre certo constet, quia illegitimi conditionem matris sequuntur, et ab ipsa certius procedunt. Expositorum autem, quorum scilicet parentes et locus

originis ignorantur, habendus est « originis Episcopus, in cuius dioecesi situm est hospitale, in quo alendi et educandi expositi sunt. » Derelicti vero qui parentum nomen et patriam semper ignorarunt, quod hi mortui sint peregrinando vel militando, originarii videntur esse Episcopi eius loci, in quo domicilium primo contraxerunt; quod si nullibi domicilium elegerint, recurrendum erit ad S. C. C. pro designatione Episcopi; itemque, quotiescumque de proprio Ordinationis Episcopo aliquod dubium emerserit, faciendum est. Haec autem omnia confirmantur decreto S. C. C. die 15 febr. anno 1704: nam consulta « quid si filius sit illegitimus, vel expositus, vel infidelis baptizatus? » respondit: Si I. attenditur origo matris, si II. locus, in quo fuerit expositus, si III. locus, in quo baptisma suscepit. »

Tandem Neophyti, recens nimirum ad fidem conversi, sive ex gentilibus, sive ex iudaeis nati sint, originarii sunt loci, in quo sacro baptismate regenerantur, ex Constit. « CUPIENTES » Pauli III 21 Martii 1542.

§ 111.

De Episcopo proprio ratione domicilii.

Episcopus proprius ratione domicilii is est, in cuius Dioecesi Ordinandus domicilium habet, quamvis in alia Dioecesi natus sit. Verum domicilii ratio ex diuturna inhabitatione, et ex animo permanendi desumitur. Itaque ex Const. « SPECULATORES » Innocentii XII postulatur, ut « ordinandus, vel per decennium saltem in ea Dioe-

cesi habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius se in utroque casu vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. » Hinc ab animo potius et coniecturis, quam ab annorum diuturnitate domicilium existimatur. Si quis enim per decennium non animo manendi, sed ex alia causa in aliquo loco moratus sit, domicilium contractum non intelligitur: contra vero si quis lares et fortunas in aliquo loco constituit, animo ibidem perpetuo manendi, etiam sine mora decennii, domicilium contraxisse putandus est. Quare cum animus permanendi esse nequeat in iis, qui dumtaxat studiorum, aut negotiorum causa alicubi morantur, nullum ibi domicilium acquirunt, nec possunt ab Episcopo illius loci ordinari. Qui autem domicilium contraxit, si a propriae originis loco in ea aetate discesserit, ut canonico alicui impedimento obnoxius effici potuerit, testimoniales quoque Ordinarii suae originis litteras Episcopo domicilii exhibere debet, qui mox earum mentionem faciat in collatorum Ordinum attestatione, quod expressis verbis constituit Innocentius XII citata Constitutione.

Quod si quis diversa domicilia habeat, ex decreto eiusdem S. C. C. poterit ab alterutro Episcopo ordinari; « quia utrique subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice habitet. » Honorante prax. S. Trib. Vic. c. 8, nota 5 non videtur admittere casum di-

versi domicilii simultanei ad effectum ordinationis, siquidem putat conditiones ab Innocentio XII praescriptas in duplici domicilio adinveniri non posse.

Confer hac super re decis. S. C. C. Neap. 8 Febr. 1721, Aquit. 24 Maii 1727, Pis. 26 Ian. 1732, Ascul. 7 Febr. 1735. Raven. 23 Sept. 1743, Alat. 18 Maii 1747, Burgi S. Donnini 1 Aug. 1730, Ancon. 14 Mart. 1793, Lun. Sarz. 29 Maii 1824, Ferrar. 26 Ian. 1833, Spolet. 1 Febr. 1840, quas simul collectas reperies in op. Commentaria et decisiones Conc. Trid..... auctore Richter Lipsiae 1853. » In Causa Spoletina 11 Iulii adest votum Emin. Card. Bianchi circa quaestionem « An litteris testimonialibus opus sit, quando, ut saepe fit, adolescentes in Seminario alienae dioeceseos studiorum curriculum conficiunt. » Licet in casu, de quo agebatur, S. C. C., attentis adiunctis, iudicaverit ordinantem et ordinatum non esse inquietandum, tamen in posterum statuit, ut litterae testimoniales in casibus similibus exquirerentur iuxta votum.

§ 112.

De Episcopo proprio ratione beneficii.

Episcopus proprius ratione beneficii est Episcopus illius Dioecesis, in qua Clericus Beneficium iam habet et pacifice possidet per se, et sine adiectione alicuius patrimonii, aut supplementi ad congruam vitae tuitionem aptum, atque sufficiens. Huiusmodi vero sufficientia ex Cons. « IN SUPREMO » Benedicti XIII, si beneficium continuam residentiam postulet, aestimanda est ex taxa Synodali vel more vigente in eo loco, ubi beneficium situm est: sin autem beneficium residentiale non fuerit, sufficientia praefinienda est ex taxa, aut more vigente in loco, ubi beneficiatus domicilium habet. Nomine itaque beneficii venit quodvis sive sim-

plex, sive liberae collationis, sive iurispatronatus, etiamsi ex lege fundationis ad nutum amovibile sit, non vero beneficia improprie dicta, pensiones nempe, licet perpetuae et ecclesiasticae, neque Capellaniae manuales, sive ad nutum amovibiles, sive perpetuae, neque mera officia, licet ecclesiastica, neque Commendae, aut Coadiutoriae temporariae; sed Commenda perpetua, si non nomen beneficii, at certe naturam habet, dum plenam ecclesiastici beneficii administrationem afferat, veroque titulari Commendatarium aequet, satis esse videtur, ut Commendatarius addicatur Episcopo, in cuius Dioecesi Commenda posita est, ab eoque possit ordinibus initiari. Quod autem attinet ad Coadiutorias perpetuas, seu cum futura successione, Coadiutor, vivente quoque Coadiuto, ab Episcopo Dioecesis, ubi titulus Coadiutoriae exstat, ad ordines rite promovetur, aut ratione beneficii ecclesiastici, aut saltem ratione domicilii, quod in residentia Coadiutoriae collocatum esse praesumitur. Quamobrem S. C. C. in Elboren. 2, et 23 Augusti 1721, ad dubium « an Coadiutor cuiusdam canonicatus cum futura successione et, assignata congrua, etiam exterus, eo ipso dici potest subiectus Capitulo Elborensi ad effectum suscipiendi ordines, absque ulla dimissoria Episcopi suae originis, ad tramites Bullae « SPECULATORES, § Licet? » reposuit affirmative. Verum in causa Terracin. ord. 1 Iulii 1741 ad dubium, « an coadiutores alicuius dignitatis vel canonicatus cum futura successione, tam in casu, quo ipsi congrua portio, aut pensio per coadiutum assignetur ex fructibus praebendae, dignitatis, vel canonicatus, quam in casu, quo congruam

portionem sibi assignatam habeat ex propriis, vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum coadiuti fuerit locus eius successioni, ad dignitatem, seu canonicatum in cuius Dioecesi sunt tituli eiusmodi Beneficiorum residentialium, sine litteris dimissionalibus Episcopi originis vel praecedentis domicilii, ad ordines promoveri possunt?» responsum est: « Coadiutoriam canonicatus, vel dignitatis sufficere, ut Coadiutor dicatur habere domicilium requisitum in Const. « SPECULATORES ». Causa haec iterum proposita fuit 16 Decembr. eiusdem anni, quo die in suspenso remansit; at die 18 Aprilis 1744 tertio proposita resolutionem habuit « In decisis, praestito iuramento ad formam Bullae « SPEÇULATORES, » et amplius. Quae cum ita sint, nemo est, qui non intelligat, cur ego dixerim Coadiutorem rite promoveri, vel ratione beneficii, vel ratione domicilii. Quoniam vero nisi Clericis saltem tonsuratis beneficium ecclesiasticum conferri nequit, illud plane consequitur, quod nemo possit, etsi a patronis praesentatus, aut statim beneficio providendus, nisi a proprio originis, aut domicilii Episcopo clericali tonsura initiari. Praeterea Clericus ab Episcopo proprio iam tonsura, aut ordinibus initiatus, ad superiores Ordines ab alio Episcopo ratione beneficii promovendus non est, sine testimonialibus litteris Episcopi proprii et originis et domicilii, easque Episcopo ordinanti exhibere debet, qui tum earumdem litterarum, tum collati beneficii, eiusque redituum in collatorum Ordinum testimonio expresse meminisse iubetur.

Ex quibus omnibus colliges tria postulari, antequam Episcopus ordines conferat ratione beneficii,

scilicet pacificam beneficii possessionem, praescriptam redituum quantitatem, et Clericatum.

§ 113.

De Episcopo proprio ratione familiaritatis.

Denique Episcopus fit proprius ratione familiaritatis intuitu illius, quem trium annorum spatio secum habuerit familiarem, et suis sumptibus aluerit. Qua super re Trid. Syn. sess. XXIII, cap. 9 de Reform. ita constituit: « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum commoratus fuerit, et Beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat. » Mentem Tridentinorum Patrum explicavit Innocentius XII in Constitutione saepius citata, in qua edixit: 1° Tridentini decretum tum in maiorum aut minorum Ordinum, tum etiam in collatione primae tonsurae locum obtinere. 2° Opus esse, ut triennium sit integrum et completum. 3° Tum primam tonsuram, tum ordines impertiendos non esse sine litteris testimonialibus Episcopi proprii sive originis, sive domicilii. 4° Beneficium intra terminum unius mensis a die factae ordinationis conferendum, quod Clerico ad honestum cultum et alimenta suppetat. 5° Ordinationis testimonio de litteris testimonialibus Episcopi proprii, deque familiaritate expressam mentionem faciendam.

Idem Tridentini decretum, multis exortis dubitationibus, S. C. C. interpretata est, antequam Constitutio Innocentii XII in lucem ederetur. Sed plures huiusmodi declarationes per dictam Consti-

tutionem antiquatae sunt. Ita declarationem ab se editam, quod Tridentini lex de beneficio conferendo tum tantum vigeret, cum Episcopus familiarem suum sacris ordinibus inauguraret sine ulla Ecclesiae suae necessitate aut utilitate, eadem S. C. rescidit contraria declaratione in Tricar. 26 Iulii 1697, in qua proposito dubio: « An stante novissima Constitutione «SPECULATORES» posset Episcopus familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad sacros Ordines ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiae, nullo collato ecclesiastico beneficio, » respondit « Negative. »

Ita Episcopus nequit familiari suo super defectu natalium, vel interstitiis dispensationem largiri, ut eum ad recipiendam primam tonsuram aut minores ordines aptum reddat; propterea quod Episcopus erga suum familiarem auctus est privilegio conferendi ordines, non dispensandi: privilegia vero tanti valent, quantum verba sonant. Sed Episcopus titularis privilegio quidem donatur familiarem suum ad ordinem promovendi, quod apertis verbis sancitum est a Conc. Trid. sess. XIV, cap. 2 de Reform. S. C. C. pluries reposuit in triennio, quod a Conc. Trid. requiritur computari iure posse tempus, quo quis cum Episcopo, ante adeptum Episcopatum, commoratus est.

Vide Honorantem de Prax. Cong. Vic. c. 1, p. 2, et Lamperez Com. in Const. speculatores.

§ 114.

De Episcopo proprio Regularium.

Proprius ordinandorum Regularium Episcopus est, in cuius Dioecesi monasterium, aut domus religiosa constructa est. Sed ob oculos in primis habenda sunt, quae S. C. C. statuit decr. 24 Aug. 1619, et 20 Iul. 1673, quae insuper Clemens VIII in suo Decreto per S. C. C. die 15 Martii 1597 edito, et Benedictus XIV in sua Const. « IMPOSITI » sub die 27 Febr. 1747, et S. C. C. in firm. Vis. 1782, et Tarracon. Visit. 13 Iulii 1782 decreverunt, quorum omnium summa est. 1° Praelati Regulares subditis suis Regularibus, qui ordines suscipere cupiant, et requisitis dotibus praediti sint, litteras dimissoriales ad Episcopum dioecesanum, eius nempe loci, in quo monasterium existit, non vero ad Episcopum alium concedere debent. 2° Si Episcopus dioecesanus abfuerit, aut ordinationes proximo tempore non sit habiturus, vel etiam si Sedes vacaverit, Praelatis Regularibus integrum est litteras dimissoriales ad quemcumque Episcopum dare, ut ab eo Regularis subditus ordines suscipere possit, dummodo non in fraudem, hoc est de industria litteras dare distulerit ad tempus, quo praevidebat sedem esse vacantem, vel dioecesanum Episcopum abfuturum, aut ordinationes non habiturum, quodque multis de causis fieri potest, et praesertim, ut Regularis, qui scientiae suae experimentum subire debet coram Episcopo, a quo ordines petit, declinet examen, quod novit ab

Episcopo dioecesano severius institui solere. 3° In iisdem dimissoriis, si Sedes vacans est, authenticum Vicarii Capitularis testimonium de Sedis viduitate fidem facientis, si autem plena sit, inseri debet authenticum Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ipsius Episcopi dioecesani documentum ex quo plane constet eumdem Episcopum, vel a Dioecesi abesse, vel proximo legitimo tempore Sacras Ordinationes habiturum non esse. 4° Regularis, quod ad doctrinam attinet, diligenti examine probandus est ab Episcopo, qui ordines contulerit. 5° Qui secus egerint, multis canonicis poenis ipso facto afficiuntur. 6° Denique privilegia Regularium ordines a quocumque Episcopo suscipiendi nullius roboris et momenti sunt, nisi post Trid. Syn. directe et nominatim, non vero per communicationem concessa sint, vel in forma specifica cum litterali veteris Indulti insertione, eiusque expressa innovatione fuerint restituta et confirmata. Demum si superiores Regulares in concedendis litteris dimissorialibus praedicta omnia et singula accurate non observaverint, suorum officiorum, et vocis activae ac passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque, etiamsi in ordine suscepto ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique Episcopi, qui iis manus imposuerunt, adstringuntur canonicis poenis adversus eos constitutis, qui alienos subditos sufficientibus dimissoriis destitutos ordinare praesumunt.

Num vero Regulares omnes privilegio fruantur, quod dicitur, *extra tempora*, hoc est, num ordinari possint extra tempora a iure statuta, etiam post praedictam Constitutionem Benedicti XIV, aliqui Doctores disputant, de quo confer Ubaldum

Giraldi in Expositione Iuris Pontificii edit. romana 1769 part. 2, sess. XCV, ubi eorum sententiam sequitur, qui hac in re Regularibus favent, et affert decis. specialis Congregationis habitae die 16 Martii 1725.

Disputant quoque auctores, an regulares, vi privilegii huiusce, quibuslibet in diebus duplicibus, licet de praecepto non sint, ordinari possint, de qua re vide S. Alphonsum de Liguorio L. C. n. 797 qui utramque sententiam probabilem existimat, et putat standum esse consuetudini.

§ 115.

De Litteris dimissoriis.

Si Episcopus proprius Saecularium Sacras Ordinationes habiturus non sit, tum iure suo poterit sibi subditos ad alium Episcopum ordinandos dimittere, litteris datis, quae idcirco *dimissoriae* dicuntur. Itaque dimissoriae sunt delegatio facultatis conferendi Ordines, atque ideo ipsarum concessio potius ad iurisdictionem Episcopalem, quam ad Ordinis potestatem pertinet. Trid. Syn. edicit sess. XXI, c. 1 de ref., ut proprii Episcopi, qui ex iusta causa ordinationem non habeant « subditos suos non aliter quam iam probatos, et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. » Igitur necessarium est, ut, praeter delegationem conferendi ordines, testimonium etiam tum de legitimis natalibus, aetate, moribus, aliisque dotibus, tum etiam de examine super doctrina, deque approbatione eisdem litteris contineatur. « An vero Episcopus ordinans alienos subditos saeculares, cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis eos examinatos fuisse et idoneos repertos, te-

neatur huiusmodi attestationi deferre, vel etiam possit eosdem ordinandos iterum examinare? » celebre est dubium propositum S. C. C. in causa Nullius 16 ian. 1595, ubi responsum prodiit « posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non teneri. » Non tamen expedit, ut Episcopus, ad quem litterae dimissoriae datae sunt, de Ordinandi idoneitate periculum faciat, tum quia quamdam redoleret ambitionem ac potestatis ostentationem, tum quia significaret Episcopi dimittentis iudicium sibi suspectum esse, tum quia contingere posset, ut idem a diversis Episcopis approbaretur, et reprobaretur. At si Episcopus iure meritoque timeat, ne Ordinandus ad se dimissus aut illitteratus, aut indignus sit, procul dubio ab imponendis manibus abstinere debet, nisi primum Ordinandi doctrinam, aut vitam probaverit: namque indignum ordinans peccatis alienis communicaret. Episcopus autem Suffraganeus, seu auxiliaris ad supplendas Episcopi dioecesani vices assumptus ac deputatus, quanquam non possit omnino illos examini subiicere, quorum sibi ordinatio ab Episcopo Dioecesano commissa est, verumtamen, si causa subsit, et ipse potest, atque etiam debet a collatione Ordinum abstinere; quod S. C. C. censuit in causa Elboren. dubiorum diei 22 aug. 1721.

At vero litterae dimissoriae, nisi ad tempus tributae sint, vi sua, consistunt, licet aut morte, aut alio modo concedentis potestas intereat: qui tamen dedit, eiusque Successor datas litteras potest, re adhuc integra, revocare. De caetero satius est dimissorias litteras concedere certo definito tempore, intra quod ordines suscipi debeant, cum

fieri possit, ut mores ordinandi post aliquod tempus immutentur.

Cardinalis Petra haec habet: « Ex decreto Clementis VIII edito 4 mense Dec. 1603, et renovato ab Alexandro VII prohibitum fuit, ne Clerici pro tempore in Urbe degentes, promoveri possint extra Urbem, etiam vigore litterarum dimissorialium suorum Ordinariorum, vel alicuiusvis alterius facultatis, nisi, praevio examine, ab examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti et approbati fuerint, et ab Eminentissimo Urbis Vicario licentiam in scriptis obtinuerint, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae per annum ab Episcopo ordinante, et Clericis ordinatis, donec dispensationem a S. Sede obtineant. » Ad dubium a Nuntio Apostolico Taurinensi propositum « an ipsi competat facultas absque licentia Episcopi dioecesani ordines in propria capella conferendi habentibus litteras dimissoriales a propriis Episcopis cum clausula, quod possint a quolibet antistite ordinari? » S. C. C. diver. 23 Aug. 1653 reposuit « Posse » lib. 19 decc. p. 271.

§ 116.

De Ordinibus gradatim conferendis.

In veteri Ecclesiae disciplina Maiores Ordines interdum collati sunt, omissis gradibus inferioribus, cum nimirum Clericus inferiori Ordini addictus, si ad altiorem ordinem promereri videretur, ad illum promovebatur, quin porro intermedio ordini initiaretur; nec talis ordinatio illicita habebatur, neque ordo, qui deerat, supplebatur; qua de re confer Thomassinum de nov. et vet. Eccl. discipl. part. 1, lib. 2, cap. 35. Ad rem s. Thomas in supp. quaest. 35, art. 3: « In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia, quae inferiores ordines possunt,

quia inferior potestas comprehenditur in superiore virtute, sicut sensus in intellectu, ducatus in regno. » Hodie vero ex capit. unico de Clerico per saltum promoto, et Trid. Syn. sess. XXIII de Reform., ordines gradatim conferendi sunt ab inferioribus ad superiores progrediendo. Qui, praetermisso ordine inferiore, ad maiorem promovetur, veluti si Subdiaconus, omisso Diaconatu, Presbyter ordinetur, per saltum ordinatus dicitur, et, ordinatio huiusmodi illicita est, licet non sit invalida, « quia potestates sunt distinctae, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto » ait s. Thomas in 4, distinct. 24, q. 1, art. 2, q. 5. At si Episcopatus, omisso Presbyteratu, collatus sit, tum collatio et illicita et invalida habenda est; de quo supra diximus, § 103. Itaque initiati per saltum ordinibus Episcopatu inferioribus, accipiunt quidem ordinem, sed ab ordinis usu suspensi sunt, donec acta poenitentia, et suppletis ordinibus omissis, officium male suscepti ordinis ab Episcopo impetraverint; siquidem ex Conc. Trid. sess. XXIV, c. 14; « cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare. » Verum si, ante Episcopi dispensationem, in ordine per saltum suscepto ministraverint, irregulares fiunt, et Summo tantum Pontifici facultas dispensandi reservatur.

117.

De Interstitiis.

Ordines non modo gradatim conferendi, verum etiam inter unius et alterius ordinis collationem certa temporum spatia, quae *interstitia* vocantur, intercedere debent, tum ut Clerici in unoquoque Ordine, sive minore, sive maiore sese exerceant, et paulatim virtutem acquirant Sacerdotio consentaneam, tum etiam ut in ordine suscepto diutius immorantes probari possint, num digni sint, qui ad superiorem ordinem promoveantur. Interstitium, seu spatium quod inter Acolythatum, et Subdiaconatum intercedere debet, est spatium integri unius anni ecclesiastici, non civilis, idemque temporis spatium in singulis maioribus Ordinibus servandum est. Sed interstitia inter Minores Ordines prudenti arbitrio Episcopi relicta sunt; quandoquidem Trid. Syn. sess. XXIII. c. 11 de reform. sic habet: « Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. » Eadem quoque Synodus Episcopis permisit, ut super Maiorum Ordinum interstitiis dispensarent; sed ita quidem ut pro dispensatione interstitii Subdiaconatum inter et Diaconatum, prudentem et rationabilem causam postulet « nisi aliud Episcopo videatur » eadem sess. c. 13: pro dispensatione inter minores Ordines et Subdiaconatum, aut necessitatem, aut utilitatem Ecclesiae requirat « nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat; » cit. sess. cap. 11; et pro dis-

pensatione Diaconatum inter et Presbyteratum, necessitatem et utilitatem Ecclesiae poscat « nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur » eadem sess. c. 14; quae verba an copulate, vel disiunctim accipienda sint, in quaestionem vocatum est. Giraldi J. C. exp. p. 2, sect. 101, refert S. C. C. decisionem, qua decernitur « ea verba esse intelligenda disiunctive, non autem copulative. » Episcopus autem suis tantum subditis interstitiorum tempora contrahit. Quamobrem alienum Subditum cum dimissoriis litteris Episcopi proprii Ordinibus initiari nequit, interstitiorum tempore nondum exacto, nisi Episcopus proprius abs se concessam dispensationem in eisdem litteris declaraverit. Item subditis regularibus non ipsorum Praelatus, sed Episcopus ordinans eam dispensationem largitur, qui Praelati regularis iudicio, et attestationi plurimum deferre debet, ut S. C. C. 12 sept. 1609 hisce verbis decrevit: « remissionem interstitiorum, ex causis a Concilio expressis, pertinere ad Episcopum ordinantem, quoad Regulares ab eo Ordines suscipientes, non autem ad Regulares Superiores, ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris Regularis. » Ad haec, Giraldi loco citato, ait: « Si agatur de Regularibus, quibus Sedes Apostolica post Trid. concessit privilegium exemptionis ab interstitiis, iudicium eam remittendi nullatenus spectat ad Episcopum. » Sed Episcopi potestas in contrahendis interstitiis non ita porrigitur, ut eadem die duos Maiores Ordines, aut unus vel plures minores, una cum Subdiaconatu, conferantur. Minores autem, si Episcopo videatur, vel uno die

conferre licebit. Inter Presbyteratum vero et Episcopatum sex saltem mensium spatium interiectum fuisse oportet ex Trid. sess. XXII, cap. 2 de ref., et ex Gregorio XIV Const. ONUS 15 Maii 1591, quamvis olim ex Glossa in cap. 13 de temp. ordin. Presbyter ordinatus die Sabati quatuor temporum consecrari Episcopus poterat sequenti die Dominica, non tamen eodem die, quia in ordinatione Presbyteri et Episcopi consecratione, cum uterque debeat idem missae Scrificium cum ordinante et consecrante conficere, seu simul celebrare, quemadmodum unus nequit eadem die duplex sacrificium conficere, ita nec potest et ordinationem et consecrationem una eademque die suscipere.

Non est cur hic loquamur de examine ordinandorum et de proclamationibus pro promovendis ad Ordines maiores, cum de utraque re satis abunde Conc. Trid. sess. XXIII, c. 3 et 7, edixerit.

§ 118.

De temporibus Ordinationum.

Gelasius Papa ep. ad Epis. Lucaniae cap. 2 Ordinationum tempora constituit: « Ordinationes Presbyterorum et Diaconorum, nisi certis temporibus, et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis ieiunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimae die, Sabbati ieiunio circa vesperam noverint celebrandas. » Haec itaque tempora sunt ieiunium quarti mensis, hoc est iunii, qui quartus est mensis a martio, unde veteres Christiani annum inchoa-

bant: et ieiunium mensis septimi, hoc est septembris: decimi hoc est decembris, initium et medium Quadragesimae. Ex his quinque ad conferendos maiores Ordines temporibus unum mutatum est, et unum additum, nempe ordinatio mediae Quadragesimae in Sabbatum ante Dominicam Passionis translata est, et Sabbatum Sanctum inter legitima habendae Ordinationis tempora relatum est, quod constat ex Alexandri III. rescripto cap. 3 de temp. ordinat. « Ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum praeterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare. » Igitur ad Ordinationes constituta sunt tempora, quae ieiunando transigimus, quin imo quatuor temporum ieiunium Ordinationis causa institutum est. Sed « licitum est Episcopis Dominicis, et aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores Ordines promovere. » Glossa haec habet « Numquid plures? Utique, dummodo non videatur generalis ordinatio. » Quae interpretatio communiter recepta est. Clericatus autem, sive prima tonsura quacumque die, hora, et loco conferri potest. Huc spectat S. C. C. dec. in Portaleg. 13 apr. 1720, ubi ad dubium: « An supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram, et Minores Ordines feria sexta post prandium ante diem Sabbati Quatuor Temporum? » reposuit: « Affirmative quoad tonsuram, et quoad caeteros Minores Ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. »

Si quis autem Ordinibus Maioribus sine venia Pontificis extra tempora initietur, ex cap. 2 et 8

de temp. ordinat. Episcopus ordinans auctoritate ordinandi privandus est, et ordinatus ab officio ordinum suspendendus, donec a Summo Pontifice in suos gradus restituantur. At Gregorius IX, cap. 16, eod. videtur permisisse, ut contra Canones extra tempora ordinati, si poenituerint, ex venia Episcopi, qui eius ordinationis nulla culpa teneatur, in susceptis ordinibus possent ministrare. Pius II autem extra tempora ordinatos ipso iure suspensos pronuntiavit, et Sixtus V, eius suspensionis relaxationem uni Pontifici reservavit, aliasque poenas et censuras contra Ordinantes, et Ordinatos sancivit. Verumtamen Clemens VIII in sua Const. « ROMANUM » poenas, a Sixto constitutas ad antiquos iuris terminos revocavit.

S. C. C. in Tirac. Visit. 11 maii 1782 ad dubium: « An pro habentibus indultum suscipiendi Sacros Ordines extra tempora haberi valeant Ordinationes diebus festis, in quibus fideles, audita Missa, ex apostolica dispensatione, operibus servilibus vacare possunt in casu? » reposuit: « Affirmative » et S. R. C. proposito dubio: « Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores? » Responsum dedit die 12 nov. 1851: Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam, sed mane tantum. »

Ex quibus sic deductis, illud necessario consequitur, Maiores Ordines iis diebus, qui ritum tantum duplicem praeseferunt, conferri haud licere. Ad rem S. C. C. ad dubium: « An diebus festis duplicibus non tamen de praecepto, possint Ordines Sacri conferri habentibus Breve dispensationis apostolicae super in-

terstitiis vel extra tempora? » 15 Ian. 1689 reposuit « Negative, sed tantum diebus festis de praecepto. Vide Benedictum XIV Instit. 106, et Giraldi l. c.

§ 119.

De titulo Ordinationis.

Apud Scriptores ecclesiasticos Tituli vocantur Ecclesiae vel a titulis seu nominibus Sanctorum, quibus dicantur, vel ab ipsis Clericis, qui suum inde titulum, et nomen accipiebant. Itaque titulus Ordinationis est Ecclesia, cui Clericus in sua ordinatione adscribebatur, ubi propria sui Ordinis officia obiret.

Ex antiqua Ecclesiae disciplina nemo unus ordinari poterat sine titulo, hoc est sine certa Ecclesia, cuius ministerio addiceretur. Neque amplius licebat Clerico Ecclesiam illam deserere: idque si forte fecisset sine venia et litteris Episcopi sui, aut etiam si ordinem in alia Ecclesia, sine licentia eiusdem Episcopi exercuisset, ab aliis Episcopis excipi non poterat, eoque, unde discesserat, redire cogebatur; secus enim usu ordinum cadebat, et excipientes Episcopi excommunicabantur. Sed quemadmodum Clericum perpetuo in sua Ecclesia assiduum esse oportebat, sic etiam ius acquirebat ex reditibus ipsius Ecclesiae accipiendi, quae pro ratione officii sui ad victum et cultum suppeterent, nimirum Episcopi, quorum erat ecclesiastica bona curare, et fructus eorum administrare iuxta SS. CC. praescriptam mensuram statis temporibus inter clericos dividebant. Quare titulus duplicem obligationem pariebat: Clericus obstringebatur ad serviendum perpetuo Ecclesiae, Ecclesia vero ad alimenta Clerico suppeditanda.

§ 120.

De titulo Beneficii et Patrimonii.

Beneficiis erectis, eisque in titulum Ordinationis assignatis, vetus Ecclesiae disciplina nonnihil immutata est, sed prorsus non interiit; namque beneficia ecclesiastica, quae residentiam postulant, Clericum cuiusdam certae Ecclesiae ministerio alligant, et ius tribuunt percipiendi fructus beneficii ad congruam vitae sustentationem. Verum si beneficia eius generis sint, quae simplicia vocamus, etsi Clericum perpetuo Ecclesiae defixum non teneant, ipsum tamen alicui spirituali officio addicunt, cum beneficium, ut aiunt, detur propter officium.

Cum vero plures Dioeceses ecclesiasticorum beneficiorum parum feraces, aliaeque penitus destitutae essent, illud perspectum est, quod si unicus beneficii titulus reliquus esset, facile contingere poterat, ut aliquae Dioeceses spiritualibus auxiliis carerent, et idcirco factum est, ut Clerici propter Ecclesiae necessitatem, aut utilitatem ad titulum patrimonii, aut pensionis ecclesiasticae et perpetuae ordinarentur. Itaque titulus patrimonii per indulgentiam et dispensationem quamdam a Trid. Syn. sess. XXI, cap. 2 de reformat. permissus est, cum nempe necessitas, vel commodum Ecclesiae postulaverit; qua in re prudens Episcopi, timoratumque iudicium servandum esse vult Innocentius XI litteris Encyclicis per S. C. C. 13 maii 1679 missis; proindeque sublata est Decretalis Innocentii III in cap. 23 de Praebend., in qua pro

arbitrio Episcoporum, nulla etiam necessitate vel Ecclesiae utilitate suadente, concessum erat Clericos sive ad beneficii, sive ad patrimonii titulum promovere, quod recte observat Fagnanus ad cap. 4 de Praebend. et Dignit. n. 24. Tum vero Clerici titulo patrimonii ordinantur non modo, ut congruam sustentationem habeant, verum etiam ut Ecclesiae serviant, cuius utilitate vel necessitate ordinantur; et idcirco sive Clericus ad titulum Beneficii, sive ad titulum Patrimonii ordinibus initietur, una semper ratio est, quamobrem ordinatur, scilicet Ecclesiae ministerium, cuius gratia ordines conferuntur.

Nemo ordinari potest quin titulum habeat, et Episcopus, qui sciens et prudens sine titulo Beneficii, aut patrimonii, aut pensionis ordines conferat, praeter peccatum, quod patrat, agens contra Ecclesiae prohibitionem in re gravi, cogitur honestum cultum et victum ordinato Clerico, donec titulum assequatur, suppeditare. Clericus autem, qui Episcopum decipit aut falso, aut simulato oblato titulo (quod praesertim in constitutione patrimonii committitur, cum eius bona, aut annui fructus pluris aestimantur, quam reapse sint) a susceptis ordinibus suspenditur, quandiu integrum et legitimum titulum exhibuerit. S. C. C. die 27 Nov. 1610, et 29 Maii 1824.

Quia vero turpe et indecorum est, Clericos etiam in minoribus Ordinibus constitutos aut emendicare, aut sordido aliquo munere sibi victum comparare, id qui careat titulo, unde vivat; quod consentaneum est Glossae in cap. 2 de Praebend. et Dignit. Sed forsitan ob eam causam, quod minores Clerici ab incepto desistere

possunt, factum est, ut totum huiusmodi negotium arbitrio et prudentiae Episcoporum relinqueretur, praesertim quod Conc. Trid. l. c. de sacris tantum ordinibus loquatur, et consuetudo contraria in pluribus locis introducta est.

Sed oportet ut titulus ordinationis sufficiens sit ac legitimus. Porro sufficiens erit, si tot praestat annuos fructus, quot censentur necessarii ad decentem clerici tuitionem. Quanta vero fructuum copia honestae sustentationi sufficiat, ex Synodali taxa, vel locorum consuetudine colligendum est. Cum autem taxa Synodalis, aut consuetudo pro variis locorum moribus alibi maior, et alibi minor sit, Innocentius XII in sua Constitut. « APOSTOLICI MINISTERII » declaravit « sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse non iuxta taxam Synodalem, seu morem vigentem in loco beneficii, nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat, sed iuxta taxam, vel ea deficiente, iuxta morem in loco domicilii vigentem. » Fructus autem per Synodalem taxam, vel consuetudinem praefiniti ab omni onere vacui atque puri esse debent. An vero etiam onera Missarum, seu stipes earum numero respondens detrahenda sint, ambiguum olim fuit, sed S. C. C. die 12 iulii 1723, eam rem conscientiae et arbitrio Ordinariorum relinquendam putavit, ut notat Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 12, cap. 9. An vero huiusmodi fructus ex uno, an ex duobus Beneficiis obveniant, nihil ad rem interest, quin imo fructus Beneficii, si satis non sint, adiectione patrimonii in eo, quod deficit, expleri possunt.

Insuper necesse est, ut titulus ordinationis sit legitimus, hoc est qualitatibus praeditus a legibus

canonicis praescriptis. Unde oportet: 1° ut titulus ordinationis pacifice et immobiliter possideatur, quia subsidium vitae Clericalis discrimini committendum non est, et idcirco bona et iura litigiosa, Vicariae et Capellaniae ad nutum amovibiles in titulum conferri non possunt. 2° Ut fundetur in bonis stabilibus et certis, vel in rebus, quae immobilibus aequiparantur, ut ait Engel Coll. I. C. t. 14, l. 1. Sic ad titulum constituendum non valent bona mobilia et semoventia, neque proventus, qui industria et honesto labore comparantur, ut ait S. C. C. Monop. 18 nov. 1769. 3° Ut eadem bona frugifera et stabilia, nullo aere alieno gravata, nullaque hypotheca affecta sint; et si patrimonium in censibus constituatur, constituentes in forma iuris valida promittere et recipere debent, se Clerico, si census redimatur, copiam victus suppeditaturos, donec pecunia ipsius census aut in novis censibus, aut in fundis frugiferis collocetur. Ad haec Trid. Syn. sess. XXI, cap. 2 de Reform. constituit, ut Clericus « beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad istius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. » Similiter statuit, ut ordinati ad titulum patrimonii vel pensionis « patrimonium illud, vel pensionem sine licentia Episcopi alienare aut extinguere, vel remittere nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. » Quin imo decreto ipsius Episcopi opus est, quo aut beneficium, aut bona a Clerico adepta in locum prioris tituli subrogentur, etiamsi patrimonium constitutum sit

ea conditione « donec, et quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico, aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat, quo casu eveniente, patrimonium redeat ad constituentem absque ulla declaratione; » quandoquidem ea conditione non obstante, semper prior titulus viget, quoad Episcopus novum titulum subrogaverit, quod saepius S. C. C. declaravit. Vide Benedictum XIV. Inst. 26, ubi sermo etiam habetur de validitate patrimonii super censibus perpetuis rei immobili inhaerentibus constitutis, adhibitis opportunis cautionibus, ad formam Const. Pii V, assumptaque inscriptione hypothecaria super bonis stabilibus idoneis, ubi census redimi contingat. Vide S. C. C. 2 martii 1865.

§ 121.

De titulo paupertatis et Mensae communis.

Praeter recensitos S. Ordinationis titulos, qui ad Clericos seculares spectant, unus adhuc vel alter titulus superest, quo caeteri Clerici communem vitam agentes ordinari solent. Verum ex his Clericis alii nulla vota nuncupant, vel tantum simplicia, alii vero solemnia vota in probata Religione profitentur. Posteriores ordinantur ad titulum religiosae professionis, seu paupertatis, vi cuius abdicata rerum omnium proprietate, vel ex reditibus bonorum, si quae religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus, omnia communia habent, quorum ad vitam indigent. Hi autem regulares nequeunt, ante solemnem professionem, sacris ordinibus licite initiari absque vero titulo, quod dici debet et-

iam de novitiis, post emissa tria vota simplicia, durante triennio, ex decis. S. C. CC. et RR. 20 Ian. 1860. Verum excipiuntur Patres S. I., qui ex speciali privilegio, post simplicia vota ad SS. Ordines promoveri possunt, licet patrimonio, ac beneficio prorsus destituantur. Priores vero, qui more regularium in communi vitae disciplina degentes aut nunquam, aut ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro seu domo religiosa exire vel dimitti, atque ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis huiusmodi praetextu, sine titulo Beneficii, patrimonii, aut pensionis nequeunt sacris Ordinibus initiari, quod sancitum est a S. Pio V in sua Constitut. « ROMANUS PONTIFEX » 14 oct. 1568, nisi speciali privilegio Apostolicae Sedis aucti sint, quo ad titulum eius congregationis, cui nomen dederunt, et unde subsidia vitae percipiunt, promoveri possint, quod quidem privilegium PP. Cong. Missionis Const. Benedicti XIV « AEQUA APOSTOLICAE » 5 aprilis 1744; aliisque Congregationibus, ex Constit. Gregorii XIII « ASCENDENTE » 25 maii 1584, Gregorii XV « ECCLESIAE CATHOLICAE » 28 iunii 1591, Alexandri VII « SACROSANCTI » 26 sept. 1659, Benedicti XIII « BONUS ILLE » 6 oct. 1626, concessum est, ut proinde ipsarum Alumni ad titulum Mensae Collegialis, aut Mensae communis, vel Missionis ordinentur.

Ab hoc titulo multum distat *titulus mensae* simpliciter dictus, quo Principes, Comites, aliique Viri Nobiles, atque etiam communitates litteris patentibus se obstringunt ad praestanda honesta alimenta Clerico, qui beneficio, aut sufficienti patrimonio careat. Hic titulus non iure scripto, sed

quadam consuetudine obtinuit in Germania: verum in Italia nostra non admittitur ex declaratione S. C. C. in Florent. 28 iunii 1704.

Si quis autem postquam Ordinibus sacris ad titulum Religiosae paupertatis, aut mensae communis initiatus est, ab aliqua Congregatione, ubi vota simplicia emittuntur, legitime recedat, aut dimittatur, sacris operari non permittitur, donec sibi certum et sufficiens patrimonium comparaverit, idque constare fecerit Ordinario, cuius iurisdictioni subest; quandoquidem Congregatio non tenetur amplius ipsi congruam substentationem, sive alimenta praestare, quemadmodum Episcopus non tenetur alere Clericum iure privatum suo beneficio ad cuius titulum ordinatus fuit. Si vero de professo in ordine regulari sermo sit, qui aut iure expulsus et eiectus est, aut proprio marte claustrum deseruerit, aut perpetua saecularizationis, quae loco expulsionis sit, rescriptum obtinuerit, nullum dubium, quin actionem nullam habeat petendi ab ordine alimenta; quin imo in duplici priori casu suspensus manet ab exercitio ordinum, donec ad religionem redierit; in tertio ordinarie praecipitur, ut absque ullo Ordinis incommodo, congruum sibi patrimonium comparate, prout S. C. CC. et RR. in decis. 22 Sept. 1854; et S. C. super discip. regul. an. 1843 reposuit.

Praestat hic adnotare non raro usuvenire, ut clerici, attenta impotentia ad titulum sibi parandum, sacros ordines suscipiant, ex S. Sedis privilegio et indulgentia, constito solummodo de congrua substentatione, vel de titulo servitii chori, litteraturae, sufficientiae, dioeceseos, mensae ac missionis. An vero vi consuetudinis id etiam locum ob-

tinere possit, in dubitationem positum est, de qua re consule auctores, ac praesertim Bouix, qui negativam, et auctorem cit. op. « Praelectiones habitae in Seminario S. S. » qui affirmativam sequitur sententiam. Quae mox dicam, ex S. C. C., priori sententiae favere videntur. Quidam namque Episcopi, ex quo viderunt Ecclesiam bonis esse spoliatam, et clericos, attenta eorum inopia et omnimoda familiae impotentia, nullum sibi posse patrimonium comparare, novam quamdam tituli formam excogitarunt, in eo sitam, ut omnes et singuli ordinandi determinatam pecuniae summam, veluti eleemosynam, una vice solverent, ad constituendum censum communem, vel aerarium ecclesiasticum, cuius reditus sacerdotibus, qui morbo immature correpti, vel fractis viribus aliisque rerum humanarum vicissitudinibus a sacro ministerio ad tempus, aut pro tota vita arcerentur, aequa profecto lance partirentur ac distribuerentur. Quaesitum inde est 1° « an Episcopo indultum sit concedendum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo, nec sufficienti titulo, ita ut sit approbanda institutio novi huius ordinationis tituli; et quatenus affirmative, 2° an permittenda sit insertio eius novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani ? » S. C. C. 24 Aug. an. 1850 respondit: ad 1^{m} negative, et providebitur in casibus particularibus; ad 2^{m} provisum in primo. » Ex quo licet aperte constet novam tituli formam non probari a S. C. C., tamen videtur S. C. EE. et RR. modum hunc providendi honestae cleri sustentationi, reticita tamen tituli denominatione, permittere implicite, aut saltem non reprobare. Nam, responso ad Episcopum Bru-

gensem dato die 14 Maii 1860, ipsi modum hunc exponenti, facultas impertitur, « ut cum aliis 100 clericis a titulo S. Ordinationis dispensare valeat, ita tamen ut eos curet de aliquo beneficio, vel ecclesiastico officio providere, aut saltem meliori, quo potuerit modo, ad mentem S. C., eorum sustentationi consulere, ne cum ordinis dedecore mendicare teneantur. » Vide « Revue des sciences ecclésiastiques. » N. 6, Juin 1860, p. 481. Unde videtur posse deduci, et ipsam consuetudinem ordinandi absque titulo, ni accedat expressus S. S. assensus, penitus improbari.



CAPUT XII.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT.

§ 122.

De irregularitatibus.

Non omnibus, qui petunt, aditus ad ordines aperiendus est. Nonnulli enim ad ordines promoveri non possunt, et eorum ordinatio non modo illicita, verum etiam invalida omnino esset. Huiusmodi sunt nondum baptizati, et mulieres; ordinum enim sunt incapaces. Alii vero ordinibus recipiendis sunt inhabiles; si tamen ordinentur, illicite quidem, sed valide ordinantur. Hos Nicaena Synodus I can. 12 alienos a canone, seu regula dixit, et Innocentius III irregulares appellavit, quatenus ecclesiastica regula eisdem impedimento est, quominus ordinentur, et si promoti sint, quominus susceptos ordines exerceant. Igitur irregularitas definitur: « impedimentum canonicum, quo ordinum susceptio, eorumque usus, si suscepti fuerint, interdicitur. » Ex qua definitione consequitur: 1° Irregularitatem quoque contrahi sine delicto, quod aliquis non criminosus, sed vitio corporis, aut animi impedimento, a regula alienus esse potest. 2° Omnem irregularitatem a iure esse, nullam ab homine, cum sit impedimentum canonicum, quod a canone, seu lege ecclesiastica constituitur, adeoque neminem irregularitate ligari, nisi casibus iure expressis, quod diserte innuit Bo-

nifacius VIII cap. Is QUI de sent. excomm. in 6 illis verbis: « Licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit. » 3° Irregularitatem tum ordinum susceptioni, tum eorum usui directe obstare; indirecte vero obstare atque impedire, quominus beneficia ecclesiastica consequamur, dum ineptos et inhabiles reddit ad suscipiendos, vel exercendos ordines, quos beneficium postulat.

Variae sunt irregularitatis species, sed omnis irregularitas vel ex defectu est, vel ex delicto, et idcirco ad haec duo capita omnis tractatio revocatur. Irregularitatem ex defectu gignit defectus natalium, animi, corporis, aetatis, libertatis, famae, et lenitatis, quibus adde reddendis rationibus obstrictos, et bigamos. Irregularitatem ex delicto pariunt homicidium, iteratio Baptismatis, indigna ordinum susceptio, pravus eorumdem ordinum usus, violatio censurarum, et demum haeresis: de quibus singillatim dicendum est.

Certum est irregularitatem ex defectu, ipso facto, contrahi ab iis, qui defectu a iure canonico definito laborant, sive ignoraverint, sive noverint legem: an idem sit de irregularitate ex delicto, controvertitur, et triplex adest sententia. Aili putant sufficere cognitionem legis divinae, qua delictum vetatur; alii tenent requiri etiam legis ecclesiasticae cognitionem delictum prohibentis; alii tandem ipsius irregularitatis delicto annexae cognitionem expostulant. Prima sententia *speculative* ac *theoretice*, ut aiunt, magis veritati consona videtur. Verum, cum aliae sententiae, quas graves auctores, ut probabiles sustinent, ad dubium iuris efformandum, saltem in foro conscientiae, sufficiant, pro mitiore opinione in praxi standum est, adeoque tenendum neminem in foro interiori se irregularitate obstrictum esse reputari, si legem ecclesiasticam, et irregularitatem eidem annexam, bona fide ignoraverit. Vide auctorem op. Praelect. I. C. habitae in Sem. S. Sulpicii t. 3, p. 2 ad 3, n. 802.

§ 123.

De irregularitate ex defectu natalium.

Ex defectu natalium irregulares sunt illegitimi, videlicet extra validas ac legitimas nuptias procreati. In veteri disciplina nemo, qui dignus esset, ob natalium defectum ab ordinibus et beneficiis ecclesiasticis arcebatur, quod multis veterum Patrum testimoniis ostendit Gratianus dist. 56. At saeculo praesertim undecimo cum Clerici, praesertim in Anglia, vitio incontinentiae contaminati, meretrices et concubinas alerent, et filii ex nefando concubitu nati beneficia paterna, mortuis parentibus, obtinebant, sive occupabant, et Duces etiam et Comites, ut ait Christianus Lupus, « suos passim ex ancillis bastardos violenter intruderent in sacras dignitates, atque ita servili simul et adulterino sanguine foedarent Ecclesias, » primo quidem filii Presbyterorum, dein quilibet ex vetito concubitu nati, irregulares pronuntiati sunt, « ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis... longissime arcerentur, » quae verba sunt Concilii Trid. sess. XXV, cap. 15 de Reform. Nil refert, an illegitimitas occulta sit, aut publica, siquidem irregularitas ex defectu, si infamiam excipias, a facto ipso, non ab eius publica notitia dependet.

Sed illegitimi habendi non sunt filii ex iustis nuptiis ante sacerdotium geniti, nec proinde ab ordinibus, et beneficiis repelluntur: tantummodo ad suspicionem haereditariae successionis avertendam nequeunt beneficia consequi, quae pater obti-

nuit, nisi media persona intercesserit. Neque illegitimi putantur infidelium filii, licet nuptiae in gradibus ab Ecclesia prohibitis initae sint, modo in ratione naturalis et civilis contractus valeant, quod docuit Innocentius III cap. ultimo, qui filii sint legitimi; neque demum illegitimis accensendi sunt, qui ex matrimonio ob dirimens impedimentum nullo quidem et invalido geniti sunt, si tamen uterque, aut alteruter coniugum impedimentum invincibiliter ignoraverit; idque locum obtinet, etiamsi impedimentum postea compertum sit, et coniuges sententia Iudicis invicem separati, cap., 2 et 14 eod. titulo. At si parentes, aut clandestinas nuptias, vel matrimonium civile tantum, inierint, aut denuntiationes omiserint, non censentur bona fide contraxisse, unde filiis nocent, qui illegitimi et irregulares traducuntur. Dubitatur, an expositi, dum non constat de eorum parentibus, habendi semper sint tanquam spurii et illegitimi, et plura in utramque partem dicta sunt. Suarez utramque sententiam probabilem putat. Auctor Praelect. I. C. pro sem. S. Sulpitii t. 3, p. 4, a. 3, p. 809 videtur negativam sequi sententiam, licet citet auctores, nempe Petra et Giraldi, qui stant pro affirmativa, et tenent expositos indigere dispensatione Episcopi pro minoribus ordinibus, et Pontificis pro maioribus, eo quod deest probatio legitimitatis, nec sufficit praesumptio.

Iam vero irregularitas ex defectu natalium orta tribus modis abstergitur. I. quidem religiosa professione; si enim illegitimus monachus fiat, et professionem religiosam emittat, ad sacros ordines, non vero ad praelaturas licite promovetur; Nam « prae-

lationes nullatenns habet » ait cap. 4 de Fil. Presbyt. Huc spectat decisio S. C. CC. et RR. 23 Ian. 1860. Ad dubium « An possint provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus, ante emissionem votorum solemnium ad hoc, ut iis ordines conferantur; » responsum est « affirmative quoad primam tonsuram et minores ordines, quatenus Provinciales, ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi supra dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit. » II. Legitimatione, sive per subsequens matrimonium, sive per Romani Pontificis rescriptum, nam saecularium Principum rescripta ad effectus civiles tantummodo valent. III. Demum dispensatione, quam pro minoribus Ordinibus et simplicibus Beneficiis Episcopus recte tribuit; ad ordines vero maiores, et ad Beneficia, quibus animarum cura immineat, dispensatione Pontificis opus est.

§ 124.

De irregularitate ex defectu animi.

Defectu animi irregulares sunt, qui carent ratione, scientia, et fide confirmata. I. itaque ob defectum rationis irregularitate ligantur dementes et furiosi, licet amentia, aut furor intermissionem aliquam interdum faciat, quibus accensendi sunt lunatici et energumeni, seu daemoniaci, quod rationis usum intercisum et veluti dimidiatum habeant, et epileptici sive morbo comitiali laborantes, si praesertim eo morbo post decimum quartum aetatis annum correpti sint, quo casu fere semper ab ordinibus perpetuo excludendi, quum

pubertate expleta, vix aut nunquam epilepsia curetur. Quod si, sacris ordinibus iam susceptis, morbus superveniat, vetatur epilepticus rem divinam facere, nisi morbus, notabili temporis spatio, iudicio medici, omnino cessaverit, et sacris daturus operam Sacerdotem ieiunum sibi adiungat, qui sacrificium perficiat, si forte epilepticus pristino morbo corripiatur II. Defectu scientiae irregulares sunt inscii litterarum; qui enim scientiam repellit, ab altari repellendus est. Gradus scientiae varius est ex iure canonico, pro ratione ordinis suscipiendi, et determinatur a Conc. Trid. sess. XXIII, c. 4, 11, 13 et 14 de Ref. Episcoporum autem est, in casibus peculiaribus, iudicare, qua quisque scientia pro diversis ordinibus praestare debeat. III. Demum ob defectum fidei confirmatae promoveri non possunt neophyti, hoc est nuper per baptismum in Christo geniti, quandoquidem ipsorum constantia in fide adhuc dubia et incerta est; neque inter Magistros et Doctores populi collocandus, qui necdum discipulus exstitit. Apostolus ipse vetuit neophytos ad Sacerdotium eligi I ad Timoth. cap. III. Quanto vero tempore neophyti probandi sint, iura non explicant, ut recte sentire videantur, qui eam rem prudenti arbitrio Episcopi relinquunt, cuius est iudicare de virtute et firmitate eorum, qui ad fidem conversi sunt. Itaque si Episcopus viderit neophytos tantae esse virtutis ac constantiae, ut quaelibet exsulet prudens timendi causa, ne ad vomitum revertantur, aut in superbiam incidant, proterit profecto ordinibus initiare, eisque ecclesiastica ministeria committere. Si vero Episcopo non licuerit neophytum congruo tempore probare, aut si expleta probatio-

ne aliquid de eius virtute et constantia dubium adhuc supersit, tunc vel non erit ad ordines promovendus, vel, si iusta et urgens causa id suadeat, ad S. Sedem recursus fit, proposito dubio, an constet de irregularitate, et sit locus dispensationi. Ob eumdem fidei confirmatae defectum arcentur in aegritudine baptizati, Clinici dicti, eo quod baptisma differebant, donec gravi morbo correpti decumberent; quorum magna copia olim fuit. De quibus conceptus est can. 1, d. 57 apud Gratianum: « Si quis, in aegritudine constitutus, fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi postea forte ipsius studium, et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit. » At in hac re immorandum diutius non videtur, quum raro contingat, ut hodie adulti baptizentur, rarius etiam, ut nonnisi urgente morbo baptizentur.

§ 125.

De irregularitate ex defectu corporis.

Ea semper fuit Graecorum disciplina, ut vitia corporis irregularitatem non inducerent, nisi eius generis essent, quae usum Ordinis impedirent. Primis quoque saeculis eadem disciplina obtinuit in Ecclesia latina, et forsitan ob eam causam, quod, persecutionibus ea tempestate furentibus, plures ob confessionem fidei detrimenta corporis patiebantur; quamobrem eo ipso defectu corporis summopere commendandi, nec proinde ab Ordinibus arcendi. At reddita ac formata Ecclesiae pace,

illud sequutum fuit, quod et hodie contingit, nempe, ut corporis defectus ab animi virtutibus, seu personae meritis neutiquam compensaretur, utque sacro ministerio applicarentur, qui forte ad ministerium profanum admissi non essent. Quare disciplina immutata est, et Ecclesia latina leges iussit, quibus corpore vitiati ab Ordinibus arcerentur. Sed non omnes defectus corporis irrègularitatem pariunt, sed illi tantum, qui aut sacro muneri obeundo impares faciunt, aut eam corporis deformitatem afferunt, ut horrorem aut risum moveant. Utramque huius irregularitatis causam complexus est Eugenius III cap. Presbyter de Cler. aegrot., ubi Presbytero, cui media palma cum duobus digitis abscissa fuerat, celebrare non permittitur, quia « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri potest. » Itaque propter corporis debilitatem, aut membrorum iacturam irregulares sunt caeci et muti, carentes brachio aut pede, aut etiam digitis ad hostiam frangendam necessariis; paralytici, aut manus ita tremulas habentes, ut sine periculo effusionis calicis celebrare non possint, et vini abstemii, ut evomendi periculum adsit. Ob deformitatem irregulares sunt insigniter claudicantes, perridicule gibbi, aut pusilli, leprosi, uno oculo orbati, praesertim sinistro, quem canonis oculum dicunt: necesse siquidem est, ut sinistro oculo carentes vultum indecore contorqueant ad legendum Canonem. At si ambiguum sit, num corporis defectus, aut sacris ministeriis impedimento sit, aut gravem deformitatem et offensionem pariat, iudicium ab Episcopo ferendum est, facto experimento coram SS. caeremoniarum

magistro, dispensatio autem, quatenus opus sit, ad Romanum Pontificem pertinet.

Verumtamen ratio habenda est defectuum, qui Ordines et Beneficia antecedunt, et eorum qui subsequuntur. Effectus enim, qui Ordines et tonsuram praeiverint, ab omni ordine prorsus excludunt: qui vero subsequuti sunt, ab usu ordinum arcent, quorum obeundis functionibus imparem reddunt. Rursus defectus, qui tonsuram praecesserint, ad omnia beneficia irregularitatem inducunt; qui vero deinde contrahuntur, ab iis tantum beneficiis submovent, quorum explendis officiis impedimento sunt. Nemo autem beneficio privandus est ob defectum, quo deinde afficiatur, « cum afflicto non sit addenda afflictio, sed eius miseriae miserendum » cap. 5 de Cler. aegrot.

S. Sedes, super hac irregularitate dispensare solet, etiamsi de promovendo ad ordines agatur, attenta praesertim morum integritate, ac scientiae praestantia, quibus orator maxime commendatur.

§ 126.

De irregularitate ex defectu aetatis.

Immatura aetas a canone excludit, quod inordinatum est eum ordinibus initiare, qui per aetatem ad obeunda Ordinum munera ineptus est. Aetas vero ad singulos ordines suscipiendos haec est: vigesimus quintus ad Sacerdotium, vigesimus tertius ad Diaconatum, vigesimus secundus ad Subdiaconatum, et trigesimum ad Episcopatum; sed in Episcopatu annum iam expletum esse oportet, cap. 7 de Elect.; in reliquis Ordinibus inceptus habetur pro completo. Nulla pro

tonsura, et minoribus Ordinibus aetas constituta est, aut saltem dispositio sacrorum canonum adeo est ambigua, ut Interpretes non consentiant inter se. Sed communi Ecclesiae praxi, quae est optima iuris interpres, Tonsura et Minores Ordines, expleto septennio, conferuntur. Favet Pontificale romanum Rubrica de Ordin. conf., ubi ait: « Prima Tonsura, et Minores Ordines ante septimum annum completum dari non debent. » Super irregularitate ex defectu aetatis solus Pontifex dispensat. Si quis autem, non impetrata dispensatione, Ordinibus sacris initietur, usu suscepti Ordinis usque ad legitimam aetatem suspenditur, et si, durante suspensione, in Ordine suscepto ministraverit, a canone alienus evadit. Ordinans autem iure ipso non suspenditur, sed suspensio a collatione ordinum in eum irroganda est, cap. 14 de temp. ordin. At si Laicum ante septennium expletum Clericali tonsura initiaverit, iure ipso interdicitur cap. fin. eod. tit. in 6. Verum huiusmodi poenis non afficiuntur, qui culpa vacant, veluti si quis in errorem inductus, testimonio parentum, aut alio legitimo documento, ante canonicam aetatem ordinetur.

§ 127.

De irregularitate ex defectu libertatis.

Servi, ob conditionis vilitatem, et praesertim ob vinculum servitutis, quo suis dominis adstringuntur per SS. Canones ab ordinibus arcentur. Si tamen aliud nihil obstet, et domini voluntas accesserit, liberi et ingenui fiunt, et suscipiendis

ordinibus habiles. Quod si, inconsultis omnino dominis, aut contradicentibus, servus ordinetur, « decretum est, ut deponatur, et eius dominus eum recipiat: « ut dicitur cap. 2 de serv. non ordinandis, quod tamen interpretes accipiunt de servis, qui minoribus ordinibus initiati sunt. Namque in sacris Ordinibus constituti in servitutem non revocantur, quod Iustinianus constituerat, sed ex regulis ecclesiasticis in ordine suscepto permanent; verum Episcopus qui sciens ordinavit, vel ii, qui ignorantia aut dolo testimonium de libertate servi Episcopo dixerunt, duplici satisfactione compensare debent, can. 19, distinct. 64, videlicet domino aut duos servos alios, vel duplum pretii in damni reparationem tribuendo. Sed haec de servis satis sint, quorum pene amisimus usum.

De Curialibus, seu Decurialibus, qui nempe municipii, aut civitatis alicuius obsequio, aut muneribus gerendis mancipati erant, quique, iure antiquo, irregulares erant, eo quod splendidam quandam servitutem involvebant et curiae, periculo facultatum suarum, serviebant, non est cur hic speciatim verba faciamus, quia haec irregularitas prorsus desiit, et IX saeculo iam nomen ipsum curialium aliud significabat, nempe aulicos. Ad servos et Curiales referri a nonnullis solent coniugati, qui suo modo servi sunt, siquidem sui corporis potestatem non habent, et idcirco irregulares sunt, salvis quibusdam casibus.

§ 128.

De irregularitate ex defectu famae.

Trita est iuris regula « infamibus non pateant portae dignitatum. » Itaque infames cum a publicis et civilibus officiis, tum etiam ab ordinibus ecclesiasticis merito repelluntur. Infamia vero aut iuris est, aut facti. Infamia iuris tribus modis inducitur. I. Ob crimen perpetratum, cui civili, aut, uti aliqui putant, ecclesiastica lege, infamiae dedecus inhaeret, dummodo et sententia Iudicis declaratoria criminis accesserit. Item vocati in crimen furti, rapinae, expilatae haereditatis et huiusmodi criminum, quae nec iure publica sint, nec famosa ob sententiam condemnatoriam infamiae macula notentur, L. INFAMEM 7° ff. de publ. Iud. II. Ob infamem poenam, qua quis mulctatus est, si ex. gr. ad triremes condemnetur. III. Ob exercitium artis, cui turpitudinis nota inusta est, sicuti ars mimi, histrionis, foeneratoris, et huiusmodi. Infamia facti est, dum aliquis reus alicuius criminis promulgatur, quo apud graves et honestos viros fama et existimatione decidit, etiamsi iudex sententiam non tulerit. Ex quibus colliges occulta crimina auctoribus suis infamiam nullam inurere, cum nemo ex occulto crimine diffametur. Si quis igitur hominem clanculum interfecerit, non quidem ex defectu famae, sed tantum ex defectu lenitatis vel ex delicto, irregularis habendus erit. Iam vero infamia facti irregularitatem gignit ad ordines recipiendos, neutiquam vero impedit exercitium ordinum susceptorum;

et habetur veluti infortunium. Verum diffamatus de gravi crimine potest ab officio suspendi, cum irregularis stricte non sit. Vide S. C. EE. et RR. dec. 16 iunii 1841. Porro infamia facti per publicam morum emendationem abstergitur, sed infamia iuris tollitur, aut *directe* sententia Iudicis, qua innocens pronuntietur, qui falsis testibus, vel praesumptionibus oppressus damnationis iudicium subierit, aut *indirecte* Pontificis dispensatione, quae iam promotis, ut possint sacro ministerio fungi, raro admodum conceditur, et ferme numquam promovendis, qui non ordinis usum, sed ipsos ordines postulant, tum vero utroque casu spes omnis dispensationis recisa est, si aut nulla poenitentiae edita signa, aut dispensatio futura sit populo offensioni et scandalo.

Illud in hac materia ad veteris disciplinae illustrationem opportune inquiritur, an qui olim addicebantur poenitentiae publicae fierent ob aliquam infamiam contractam irregulares. Tria hac in re videntur certa ac explorata. 1. Quidem illud est, eos omnes, qui ex causa pietatis, nullo remordente crimine, poenitentiae publicae se subiiciebant, irregulares neutiquam fuisse, ut constat ex Conc. Toletano 13 cap. 10. 2. Clericos, qui sponte aliquod ex iis criminibus fuissent confessi, propter quae poenitentiae publicae subiici deberent, irregulares evasisse ex eodem Concilio Tolet., idemque in Clericis, qui publicam egerant poenitentiam, servatum noscitur. 3. denique laicos publica poenitentia perfunctos ad Ordines non fuisse admissos, idque multis canonibus legitur constitutum.

§ 129.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

Immites quoque irregulares sunt, qui scilicet morti, aut humani sanguinis effusioni causam aliquam, licet iustam et legitimam praebuerunt. Mite enim est ingenium Ecclesiae, nec permittit immites esse ministros incruentae et coelestis victimae, quae tantum abest, ut sibi iniurias illatas ulta sit, ut potius pro suis persecutoribus vitam fuderit. Igitur alieni a canone sunt 1° Iudices qui sententiam mortis, aut mutilationis pronuntiant, eorumque assessores, qui suffragium, aut consilium conferunt, si tamen sententia ad effectum perducta sit. An iudex instructionis, qui nullam sententiam profert, nullumque consilium confert, sed tantum pronuntiat de causae progressione, et rem ad quos spectat, remittit, alienus a canone sit, dubitatur, et multa in utramque partem dicta sunt. Item quaeritur, an cives, ut aiunt, iurati, qui ex lege munere funguntur de facto decernendi, nullamque sententiam proferunt, habendi sint irregulares, dum factum constare aiunt, cui mortis poena adnexa de iure est? In op. cit. Inst. I. C. ad usum Sem. S. Sulpitii t. 3, p. 4, art. 3, n. 816, negativa sententia defenditur, eo quod iurati nec sententiam mortis proferunt, nec in eam directe influunt, quia imo habendi sunt ut testes necessarii, quia ab ipsa lege ad ferendum testimonium de facto obbligantur; et sane ab omni veri specie videtur alienum eum esse Ecclesiae

sensum, ut qui id impleat, a quo sine detrimento abstinere non possit, ab altaris ministerio arceatur. Alii auctores affirmativam tuentur sententiam, quia de facto decernentes, a quo dependet legis poenalis applicatio, in ipsam poenam mortis concurrere proxime videntur, nec testes necessarii dici possunt, sed vere iudices sunt. Iudex autem ecclesiasticus in Clericum aut Laicum sibi iure delatum sententiam sanguinis proferre vetatur: qui secus egerit, non modo alienus erit a canone defectu lenitatis, qua irregularitate laici etiam afficiuntur, sed praeterea graviter delinquit, et poena depositionis mulctatur. Siquidem Alexander III, cap. 4, NE CLERICI VEL MONACHI, ita sancivit: « Clericis qui in sacris ordinibus constituti sunt, ex Toletano Concilio iudicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas; quod si quis tale fecerit, honore privetur et loco. » 2° Accusatores, delatores, scribae, notarii, et advocati, qui contra reum postulant, et criminis vindictam petunt. De testibus autem nihil exploratum habemus in iure canonico; verumtamen doctores inter voluntarios et necessarios testes distinguunt, et necessarios quidem, seu ad testimonium ferendum a publicis iudicibus coactos nulla irregularitate irretiri docent, dum id faciunt, a quo sine peccato vel gravi detrimento abstinere nequeant, praesertim vero, si protestentur expresse, se vindictam, seu poenam sanguinis non intendere ad formam cap. PRAELATIS de homicid. in 6. At voluntarios testes nemo unus ab irregularitate exemptos putat, etiamsi protestentur; nam protestatio contra factum non valet, ut vulgo dicitur.

3° Carnifices, lictores, et quotquot ad cruentam exsecutionem operam conferunt.

Contra vero irregulares non habentur 1° Clerici, qui Principi suadent, ut quorumdam criminum reos morte aut mutilatione plectat, glossa communiter recepta in cap. 10 de excess. Praelat. verb. *consuluit*, nec Princeps, qui legem tulerit, quod huiusmodi leges non hominis occisionem, aut mutilationem spectent, sed quietam et rectam reipublicae administrationem. 2° Episcopi, Praelati, et reliqui Clerici, qui iurisdictionem temporalem obtinentes, causas sanguinis suis ballivis, seu aliis iudicibus committunt, etiamsi ballivus seu iudex, ad poenam sanguinis processerit, cap. fin. NE CLERICI VEL MONACHI in 6. 3° Iudex ecclesiasticus, qui Clericum, obstinato animo, criminibus adhaerentem iam depositum et degradatum Curiae saeculari tradit, si tamen in actu traditionis protestatio intercesserit, ne poena capitis damnetur; qua protestatione, seu intercessione irregularitatem evadit, quamvis certo animadvertat Clericum poena mortis afficiendum, cap. 27, de verb. signif. 4° Clerici, qui gravi damno vel iniuria affecti, reos apud magistratum denuntiant, actione tamen civili, qua damni et iniuriarum reparationem postulent, et expressa protestatione, quod vindictam et poenam sanguinis non intendant, et quidem « ne detur plerisque materia trucidandi eosdem et ipsorum bona libere depraedandi » cap. 2 de homicid. in 6.

§ 130.

De obligatis ad ratiocinia.

Obligati ad ratiocinia vocantur in iure reddendis rationibus obstricti ob rei, sive publicae, sive privatae administrationem gestam, veluti Syndici, Thesaurarii, Tutores, et Curatores, et id genus alii. Itaque huiusmodi administratores, ante rationes redditas et solidatas, ordinari vetantur, cap. unic. de Obl. ad ratiocin., tum ne conditio creditorum ob privilegia clericalia deterior fiat, tum etiam ne Clericus cum probro et dedecore Ecclesiae de fraude, aut dolo postuletur. Quod si administratores, sponsore dato, rem creditoris tutam fecerint, non amplius irregulares videntur, quod, cessante fine legis, ipsam legem cessare compertum est. At vero si, nullo sponsore dato, nec redditis solidatisque rationibus, ad Ordines promoveantur, idque dolose factum sit, ab Episcopo puniri poterunt, non tamen deponi, nec usu Ordinis interdici. Interim vero creditoribus faciendum est satis, etiam cessione bonorum, incolumi tamen beneficio competentiae; et si Episcopus sciens ordinaverit, nec bona ordinati solvendo satis sint, tenetur Episcopus, quod deest, supplere, quatenus creditoribus nocuit, ordinato facultatem adimens lucrandi negotiandique, aliaque saecularia negotia exercendi. Non omnes tamen, qui obligantur ad ratiocinia sunt irregulares, siquidem ab hac lege excluduntur, qui Ecclesiae, vel causae cuiuslibet piae bona administrant: item defensores miserabilium personarum; cum enim

iis opem suam denegare nequaquam debeat Ecclesia, profecto absonum quodammodo videretur, si illos qui huiusmodi opem impendunt, ab ordinibus removeret. Idem est affirmandum de iis, qui legitimam agnatorum tutelam susceperunt.

§ 331.

De irregularitate ex bigamia.

Bigami quoque alieni a canone sunt, sive veri, sive interpretativi, sive similitudinarii. Bigami veri dicuntur plurium uxorum mariti, qui nimirum, mortua prima uxore, alterum coniugium inierunt. Huius autem irregularitatis ratio est, sive macula incontinentiae, quam praeferunt secundae nuptiae, sive defectus Sacramenti, eo quod Bigami non exhibent Sacramentum coniunctionis Christi, qui cum unica et Virgine Ecclesia copulatus est. Bigami interpretativi sunt, qui quamdam Sacramenti normam amisisse videntur, ut loquitur Augustinus de Bono coniugali cap. 18, qui cum vidua aut muliere ab alio corrupta matrimonium contrahunt. Demum similitudinarii habentur, qui in sacris Ordinibus constituti, aut solemni voto castitatis adstricti matrimonium attentant, aut etiam qui virgines Deo dicatas in matrimonium ducere audent. Hi siquidem voti, aut sacrarum virginum violatores per quamdam similitudinem bigami dicuntur, sive quod post coniugium spirituale alias carnales nuptias attentant, sive quod virginibus iam Deo desponsatis tamquam uxoribus abutuntur.

Itaque Bigami tum ordinibus etiam minoribus

suscipiendis, tum susceptorum ordinum usu interdicuntur: et praeterea « omni clericali privilegio nudati sunt, et coërcitioni fori saecularis addicti, » quod sancitum est cap. unic. de Cler. non ordin. in 6. Quibus quidem verbis, licet generalibus, minores tantummodo Clerici continentur, ut explicat glossa in idem caput, eamque interpretes omnes sequuti sunt. Qua de re, si maiores Clerici bigamiam contrahant, omni quidem ecclesiastico ministerio privantur, sed privilegia clericalia non amittunt.

Impedimentum bigamiae sola dispensatione tollitur, quam Pontifex tantum bigamis sive veris, sive interpretativis tribuere potest: verumtamen in bigamia similitudinaria dispensandi potestas Episcopis etiam permissa est, cap. 1: QUI CLERICI VEL VOVENTES, ubi Alexander III de Diacono, qui uxorem acceperat ad Episcopum Rhemensem rescribit: « ut iniuncta poenitentia de excessu et post eam peractam dispensative possit ei Diaconatus officium reddere, et si perfectae vitae et conversationis fuerit eum in Presbyterum ordinare. »

Dubitatum olim fuit, an irregularis ex bigamia reputari debeat qui duas duxit uxores, unam ante, aliam post baptismum. Negavit S. Hieronymus relatus a Gratiano c. 1, dist. 26, ea ratione suffultus, quod irregularitas haec ex incontinentiae labe proficiscitur, quae perfecte per baptismum eluitur. At Innocentius I, Augustinus, Ambrosius, quos Gratianus refert eodem loco irregularem habendum esse censuerunt; siquidem bigamia ex defectu irregularitatem parit, et defectus non minus in eo, qui plures ante baptismum, quam qui plures post baptismum uxores duxit reperitur. Sive itaque ante baptismum duas duxerit uxores, vel unam ante, alteram vero post, bigamus vere est, et irregularis.

§ 132.

De irregularitate ex homicidio.

De irregularitatibus ex defectu haec satis dicta sint, nunc ad crimina transeamus. Iam vero inter delicta, quae arcent a canone, praecipuum est homicidium, et mutilatio, sive crimen publice, sive clam patratum sit, sive quis semetipsum, sive alium amputaverit. Homicidae etiam in veteri lege a sacro ministerio repellebantur, ut habemus Exodi cap. XXI, 14: « Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evellas eum. » Igitur iure SS. Canonum, si agatur de homicidio, aut mutilatione voluntaria, interdicuntur susceptione omnium ordinum, et susceptorum usu, et privationis beneficiorum et officiorum, atque etiam depositionis poenam incurrunt, qui occidunt aut mutilant, et quotquot facto, mandato, consilio exhortatione, et auxilio participes caedis, aut mutilationis sint, quique animo occidendi causam ponunt, unde mors consequatur, veluti si venenum propinetur, si foetus animati abortus procuretur.

Verumtamen si homicidium, vel mutilatio, aut praeter opinionem et fortuito, aut etiam inculpata defensione acciderit, tum ex regulis, quae sequuntur, res tota existimanda est. Prima regula sit: « Qui dat operam rei licitae, et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione homicidium praevidere potuerit, irregularis non est, etiamsi homicidium inde sequatur. Vulgatissima est Honorii III responsio cap. 23 de Homic.; cum enim

Sacerdos campanas pulsaret, ut signo dato ad divina mysteria populus conveniret, et inde cadens tintinnabulum quemdam puerum interfecisset, Pontifex respondit: « quod dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitae, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non praevidit. » Eodem pertinent c. 9, c. 15 eod. tit., aliaque plura quae silentio praetermittimus. Unde illud colliges, quod si medicus aut chirurgus suam artem optime calleat, omnemque diligentiam, et studium in aegris curandis adhibeat, nulla irregularitate irretitur, etiamsi ex potione aut incisione aeger aliquis perierit. Non deest quippe in eorum operationibus lenitas, imo caritas elucet et misericordia. Quod si eorum culpa, vel imperitia mori infirmum contigerit, irregulares ex delicto fiunt, quia iniqua alienae mortis causa reputantur ac sunt. In dubio, an servata fuerit diligentia, quin imo fere semper, medici et chirurgi, licet nullius certae culpae meminerint, rescriptum dispensationis ad cautelam, ut aiunt, petere solent, antequam ordinibus initientur. Qua de re legendus Benedictus XIV de Syn. Dioec. lib. 13, c. 10.

Secunda regula est: Qui dat operam rei licitae, sed omissione debitae diligentiae, aut artis imperitia hominem occidit, irregularitatem contrahit, quod ex superiori regula descendit. Confirmatur etiam ex cap. 7 de Homicid., ubi Alexander III edixit Sacerdotem ab altaris ministerio arcendum, qui puerum, disciplinae causa, in capite percussit, et paucis post diebus exspiraverit.

Tertia regula est: dans operam rei illicitae, quamquam diligentiam debitam adhibeat, ne mors sequatur, tamen irregularis est, si quempiam oc-

ciderit, vel mutilaverit. Nimirum indirecte et in causa occidisse censetur, admissa nempe actione illicita, a qua abstinere debuisset. Verum haec regula Van-Espenio, aliisque non probatur. Docent enim dantem operam rei illicitae irregularem esse, si res illa illicita erat, ac omittenda ob periculum homicidii, non autem si ob aliam causam omitti debuisset. « Ut homicidium, ait Van-Espenius part. 2, tit. 10 cap. 7, sit voluntarium in causa requiritur, ut causam illam hic et nunc, concurrentibus praesentibus circumstantiis, debuisset omittere, ne homicidium sequeretur. » Unde colligit Clericum dantem operam chirurgiae adhibendo incisionem et adustionem, si mors inde sequatur, irregularem habendum esse, licet diligentiam debitam adhibuerit, quod Clerici prohibeantur chirurgiam exercere ob eam quoque causam ne periculo alicuius interimendi se obiiciant: contra vero a canone alienum non esse, qui venatione clamorosa, sed tamen periculi vacua, ac diligentia adhibita, dum feram occidere putat, hominem interficit, quod canones vetant Clericos non propter periculum homicidii, sed ob alias rationes venationibus huiusmodi vacare.

Si cui haec magis opinio arriserit, non repugnabo: dicam tamen regulam a nobis positam tum glossae in cap. 13 de Homicid., tum veterum Canonistarum auctoritate niti. Sunt praeterea Canonistae, qui student utramque sententiam aliquo pacto conciliare; siquidem tradunt navantem operam rei licitae, unde homicidium sequatur, nunquam alienum esse a Canone, nisi primum probetur debitam diligentiam omisisse, dantem

vero operam cuiquam rei illicitae, in foro externo irregularem habendum, cum illud semper praesumatur, quod diligentiam debitam non adhibuerit, donec legitime sese purgaverit. Quin imo Pyrrhus Corradus harum rerum peritissimus in praxi Dispensation. Apostol. lib. 5, cap. 1 monet, dispensationem super irregularitate petendam, etiamsi homicidium casuale videatur: quae quidem praxis consentanea est decr. Conc. Trid. sess. XIV, cap. 7 de Reform. Vide S. C. C. in Spolet. 22 Ian. 1776, Andrien. 21 Febr. 1781, et Trid. 13 Maii 1784.

Quarta regula est: Qui mortem aliter vitare non valens suum invasorem occidit, non est alienus a Canone. Haec regula ipsissimis verbis tradita est a Clemente V in Clementin. unic. de Homicid.: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censendum, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit ac mutilat invasorem. » Siquidem natura veluti docemur vim vi repellere, et vitae nostrae tutelam suscipere: hinc L. 2 ff. De iustit. et iure: « Iure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. » At vero si fuga, aut clamore, aut alia ratione vitari mors potuit, homicida habendus est qui invasorem occiderit. « Quamvis enim, ut ait Innocentius III, cap. 18 de Homicid., vim vi repellere omnia iura et omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam. » Debitus etiam defensionis modus servandus est, ut « non amplius violentia se extendat, quam defen-

sio exigit, » cap. 35 de sentent. excomm. et non plus fiat, quam secundum rectam rationem ad propulsandam iniuriam sit necesse, cap. significasti 18 de hom. volunt. vel causali. Dubitatum a nonnullis est an dicta Clementina revocata fuerit illis Trid. verbis, quae leguntur sess. XIV, cap. 7: « Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium et beneficia quaecumque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit. » At haec verba, vel de eo possunt intelligi, qui non servato moderamine inculpatae tutelae suum aggressorem occidit, vel possunt intelligi de dispensatione, quae in foro exteriori debeat obtineri, cum scilicet dubium exsurgat, an invasus intra moderatae defensionis limites se continuerit, et aliunde acriter incusetur. Ad maiorem enim cautelam atque omnem scandali propriique scrupuli occasionem tollendam, ab ordinibus et beneficiis erit arcendus, donec res ab ordinario loci fuerit discussa.

Illud profecto maiorem hac in re difficultatem ingerit, an irregularis sit, qui sua culpa in necessitate vel occidendi vel moriendi se constituit, v. g. qui in adulterio deprehensus a marito, eumdem occidit, alioquin ab eo occidendus. Difficultas facile evanescit, si eam, quae pluribus Canonistis, ac Theologis placuit, distinctionem amplectamur, quod nempe irregularis non sit, si

ius ad vitam suam servet, simulque occidendi necessitatem nec praeviderit, nec potuerit praevidere; contra irregularis haberi debeat, si alterutra conditio defuisse comperiatur. Qui vero non ad vitam, sed potius ad bona defendenda ad caedem usque prosilierit, irregularitatis nota inuritur, quod respondit Alexander III cap. 10 de Homicid. his verbis: « Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere iacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat humiliter ab altaris ministerio. »

Quod ad milites attinet, « communis Doctorum sententia est, ait Franciscus Sylvius in Resolut. variis ad verb. *Irregularitas* 3, eos qui militant in bello iniusto omnes contrahere irregularitatem, si aliqui in isto bello occidantur, vel mutilentur, etiam eos, qui propriis manibus neque occiderunt quemquam, neque mutilaverunt, quia omnes in bello iniusto militantes integrant unam causam moralem, cui imputantur homicidia. Communis quoque sententia est Doctorum, eos qui in bello iusto militant non fieri irregulares, si ipsi nullum per se occiderint vel mutilaverint, quamvis aliqui fuerint ibi ab aliis occisi vel mutilati, quia caput Petitio tua de Homic. tales eximit ab irregularitate: ibi quippe Clericus assistens bello iusto solum iudicatur irregularis, si aliquem interfecerit, vel si dubiam de hoc habeat conscientiam. » Sed in iusto bello interdum hostem aggredimur, interdum nos tuemur, atque defendimus. Igitur Doctores quidam sententiam a Sylvio expositam sequuntur, ubi agitur de bello iusto, in quo aggredimur hostem: dissentiunt autem quoties bel-

lum iustum ad defensionem Ecclesiae, vel patriae committatur. Si enim periculum vitari aliter nequeat, et laici desint, qui valeant vim illatam propulsare, tum quidem existimant Clericum irregularem non esse, etiamsi hostium aliquem interfecerit, propterea quod eorum, qui in iusto bello pugnant, deterior esse conditio non debeat, quam eorum qui extra bellum necessitate compulsi occidunt, ne occidantur, eoque magis quod pro patria et Religione certantes, pro sua quoque incolumitate pugnare censendi sunt, Vide Ben. XIV Inst. 101.

§ 133.

De irregularitate ex iteratione baptismatis.

Qui sciens Baptismi aquis iam ablutum salutari lavacro iterum perfundit, aut qui Baptismate iam regeneratus se iterum lustralibus aquis aspergi sinit, itemque in eius Baptismatis reiteratione ministrantes, et demum ab haereticis absque necessitate baptismum voluntarie recipientes alieni a canone sunt, ut Ordinibus nequeant initiari, ex Can. VENTUM EST in fine. Sequitur exinde hanc irregularitatem non eo se protrahi, ut ab iis etiam contrahatur, qui in puerili aetate baptismum ab acatholico receperunt, quandoquidem huius irregularitatis fundamentum est crimen, quod ex defectu voluntatis ab infantibus patrari nequit. S. C. C. 21 maii 1718. Isthaec irregularitas in odium haeresis rebaptizantium, seu Donatistarum inducta est. Hac super re plures Canones existunt, tum in Gratiani decreto, tum etiam in Decretalibus ad

tit. *De Apostatis et de reiterantibus Baptisma.* Quia vero huiusmodi Canones de iterata Baptismi administratione tantummodo verba faciunt, idcirco irregulares habendi non sunt, qui Sacramentum aliud vel Ordinis et Confirmationis iterum conferunt, vel suscipiunt.

Quaestio est, an sub conditione, et sine iusta causa temere rebaptizantes, irregularitatem incurrant, et in utramque partem multa disseruntur. Nobis satis erit verba s. Alphonsi de Liguorio in medium proferre, Theol. Moral. lib. 6, tr. 2, c. 1, n. 121: « Prima sententia, ait (quam magni doctores propugnant) dicit, quod talis rebaptizans, licet non excusetur a gravi sacrilegio, tamen non incurrit irregularitatem. Ratio, quia leges poenales stricte intelligi debent, et cum effectu: qui autem baptizat baptizatum, sub conditione, hoc est, qui antea baptizatum rebaptizat adiiciens conditionem, *si non es baptizatus, etc.*; is revera non rebaptizat, quia... idem est, ac si diceret: *Ego te non baptizo.....* Secunda vero sententia affirmat tales rebaptizantes irregularitatem non effugere... Probatur ex Catech. Rom. p. 2, n. 57, qui reprehendens eos, qui in Ecclesia cum conditione rebaptizant pueros, quamvis exploratum habeant domi vere esse baptizatos, dicit: *Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores irregularitatem vocant.* Idemque refert N. Pontifex (Benedictus XIV) fuisse sancitum in tertia Synodo Mediolanensi. Insuper probatur ratione, quia, cum quis scit puerum esse baptizatum, et rebaptizat sub conditione, conditio apponitur in fraudem legis, et ideo habetur pro non

apposita. Prima sententia, spectata ratione, non caret gravi fundamento: sed secunda, spectata auctoritate, videtur probabilior. » Vide Ben. XIV Instit. 84, n. 15.

§ 134.

De irregularitate ex mala susceptione et pravo Ordinum usu.

Irregulares quoque sunt qui prave Ordines suscipiunt, videlicet: 1° Furtive ordinati, qui nempe ab Episcopo proprio non probati, non admissi, clam, per dolum, seu temere ordinandis se immiscent et ordinantur, cap. 1 et 2 de eo qui furt. ordin. suscep. 2° Ordinati ab Episcopo excommunicato, interdicto, suspenso, deposito, haeretico, schismatico, aut ab eo, qui dignitati suae renuntiavit, et qui excommunicatione maiore irretiti SS. Ordines susceperunt. 3° Denique laborantes infamia iuris ob crimen, de quo in iure confessi et rite damnati fuerunt, cap. ult. de temp. Ordinat.

Irregularitas oritur ex pravo Ordinum usu, si quis nempe ministret in ordine non suscepto, aut si censura ligatus in eisdem ordinibus, extra necessitatis causam, audeat ministrare, aut denique si loco interdicto celebraverit. Quod ad primum attinet, Hormisdas, cap. 1 de Cler. non ordin. ministrante sancivit: « Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur. » Ex quo Canone plures auctores, duo praesertim colligunt: alterum est, laicos etiam irregulares fieri, si actum alicuius or-

dinis usurpaverint, quod ea verba *si quis* omnes universim actum Ordinis sine ordine exercentes complectuntur: alterum est, ministrantes etiam in Ordinibus minoribus eadem irregularitate irretiri, cum ea poena generatim in eos sancita sit « qui aliud divinum officium exercuerint. » Hodie vero cum laici passim in minoribus Ordinibus ministrent, dummodo id temere, et tanquam ex officio proprio non egerint, ab irregularitate immunes sunt, quandoquidem ministrantes in ordine, quo carent, praecipue « propter temeritatem, abiiciuntur de Ecclesia, nec ordinantur » quae sunt verba eiusdem Canonis. At vero celebrantes Missam, vel fidelium confessiones excipientes sine sacerdotali charactere acriter aliis poenis coërcentur, atque etiam brachio saeculari traduntur; qua de re legenda est Const. Clementis XIII « GRAVISSIMUM ATQUE EXSECRABILE SCELUS » 20 martii, an 1760. Non desunt tamen doctores qui aiunt neutrum ex dicto canone descendere, tum quia canon respicit tantum clericos, qui ordinis actum usurpant, tum quia proprie loquitur de effectu proprio ordinis sacri.

Quemadmodum obeuntes functiones ordinis, quo insigniti non sunt, sic usurpantes ministerium sacrum, quo interdicuntur, alieni a Canone fiunt. Huiusmodi sunt excommunicati excommunicatione maiori, etiam occulta, suspensi etiam ex informata conscientia, interdicti et depositi, cap. 1 de sent. et re iudicat. in 6, cap. ISTUM de sent. excommun. in 6, et toto tit. de Clerico excommun. deposit. et interdic. ministrante, et generatim violatores censurarum. De suspensis ex informata conscientia vide Ben. XIV de Syn. l. 12, c. 8, n. 5.

Porro Fagnanus ad cap. 2 eod. tit. docet, Clericos etiam minorum ordinum irregularitatem non effugere, si censura aliqua irretiti ordines ipsos exerceant, propterea quod Canones in ea poena constituenda maiores inter et minores Ordines non distinguunt: quae Fagnani sententia extra dubitationem posita est saltem intuitu Clerici, cui censura inusta ob simoniacam ordinationem; perspicua enim est Constitutio Sixti V contra male et simoniace promotos, data Nonis Iun. 1588, in qua huiusmodi Clerici simoniaci, si primae tonsurae, aut minorum Ordinum functionibus dent operam, poena irregularitatis mulctantur.

Denique ob pravum ordinis usum alieni a Canone sunt, qui in loco interdicto sacrum faciant. « Is qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut a iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari. » Ita Bonifacius VIII cap. 18 de sentent. excommunic. in 6. Si quis vero aut in Ecclesia polluta, aut coram excommunicato rem sacram confecerit, non inde irregularis est; quod Pontifex citato cap. explanavit: « qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui praesentibus maiori excommunicatione innodatis scienter celebrare praesumit, licet hoc temerarie agat, irregularitatis tamen, cum non sit expressum in iure, laqueum non incurrit. » Tamen puniendus est ad arbitrium Superioris, ut notat glossa ibidem.

§ 135.

De irregularitate propter haeresim.

Innocentius I. ep. ad Episcopos Macedoniae, cap. 4, docet perpetuam atque constantem Ecclesiae disciplinam esse, qua haereseos veneno polluti ab Ordinibus arcerentur. « Nostra, inquit, lex est Ecclesiae venientibus ab haereticis, qui tamen illinc baptizati sint, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. » Iure Decretalium non haeretici modo alieni a Canone sunt, verum etiam illi, qui cum haereticis aliquo pacto coniuncti sunt, quorum triplex genus est. I. est eorum qui haereticis in crimine haeresis consortes et participes sunt. II. eorum est, qui, quanquam pravis erroribus non adhaereant, tamen errantibus favent, eosdem auxilio et ope iuvando, et haereticorum receptatores, defensores, et fautores in iure vocantur, cap. 2, de haeretic. in 6. III. genus eorum est, qui, etiamsi catholici sint, nec haereticis faveant, haereticis tamen, communione sanguinis, coniuncti sunt, videlicet filii haereticorum ad secundum gradum lineae paternae, maternae vero ad primum gradum: cit. cap. 2. Haeretici vero, etiamsi ad catholicam fidem redierint, non idcirco irregularitate solvuntur; at ipsorum filii, eiurata a parentibus haeresi, non amplius irregulares habentur, et sine ulla dispensatione, si idonei sint, ad ordines et beneficia ecclesiastica rite promoventur. Verum ambiguum est, an filii ex catho-

licis parentibus nati, et in Catholica Ecclesia baptizati fiant a Canone alieni, si parentes ipsorum in haeresim deinceps lapsi sint? Plures affirmant quod Canones ea poena afficiant filios haereticorum, inter filios in haeresi parentum natos ab aliis haereticorum filiis non distinguentes. Contra vero alii leges huiusmodi poenales mitius interpretati, rati sunt solos filios in haeresi parentum natos, et illic, ut ait Innocentius I. epistola citata, baptizatos eisdem poenis contineri.

Episcopi super hac irregularite gratiam facere filiis haereticorum nequeunt: primo, ut inquit Fagnanus, « quia cum textus cap. QUICUMQUE de haereticis in 6 contineat decretum irritans: quod **si secus autem fuerit, decernimus irritum et inane**: sequitur, ut Episcopus dispensare non possit. Nam etiam in adulterio, et minoribus criminibus Episcopus non potest dispensare, quando leges vel Canones prohibentes annullant actum factum contra prohibitionem. Deinde quia Nicolaus III. in Constit. 2 « NOVERIT UNIVERSITAS » statuit, ut haeretici, eorumque filii usque ad secundam generationem beneficiis habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequaquam in posterum admittantur, quibus verbis censetur adempta Episcopis dispensandi facultas, ut notat glossa in cap. CUPIENTES verbo *Perpetuo* de Elect. in 6. Demum quia, cum versemur in concernentibus fidem et statum universalis Ecclesiae, qui per filios haereticorum ad officia et honores admissos, si paterna dogmata retinerent, labefactari posset, et ita tractemus de re graviori, consequens est Episcopum dispensare non posse, cap. DILECTUS de temp. Ordin., et ibi glossa verbo *Permissa*. » Hactenus

Fagnanus in cap. 10 de Haeret. Cum de schismaticis nil in iure constitutum legatur, proinde consequitur, eos neutiquam habendos fore irregulares si pure sint schismatici. At si haeretici simul sint, quod fere semper contingit, irregulares erunt, non ratione schismatis, sed ratione haereseos schismati adnexae. Interim monendum est auctoritatem concedendae veniae ob delictum publicum irregularibus ad Pontificem pertinere: Episcopos autem eas irregularitates relaxare, quae ex occulto delicto proficiscuntur; excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, aliisque exceptis, quae apud iudicem deductae fuerint, Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6 de Reform. ex quo capite facile deducitur, Episcopum posse dispensare, sive in homicidio causali mixto, quod occultum sit, sive in irregularitate, quae proveniat ex iniusta mutilatione, quae pariter sit occulta. Mutilatio namque non est homicidium, nec homicidium causale mixtum stricte et proprie est voluntarium, prout a Tridentino requiritur.



CAPUT XIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS

§ 136.

De vita et honestate Clericorum.

« Nihil est, quod magis alios ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Quapropter sic decet omnino vitam moresque omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. » Haec de vita et honestate Clericorum Trid. Syn sess. XXII, cap. de Reformat. Itaque Clerici non modo omnem curam in interna morum honestate et sanctitate ponere debent, verum etiam externam vitae rationem ita componere, ut caeterorum offensionem et suspicionem devitent, ne per eos alii deteriores reddantur, per quos decet fieri meliores.

Iam vero quod pertinet ad externum corporis cultum, exsistit lex tonsurae, et vestis Clericalis deferendae. Etsi etenim habitus non faciat monachum, opus tamen est Clericos tonsuram seu coronam in vertice capitis conspicuam, et vestes proprio congruentes ordini semper inducere, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem

intrinsecam ostendant. Quamvis autem utraque lex sive tonsurae, sive vestis Clericalis antiquissima sit, primis tamen Ecclesiae saeculis minime exstitit, neque enim par fuit, ut ea tempestate Clerici rasum gestarent summum caput, vel uterentur habitu a laicis distincto, ne, persecutionibus maxime saevientibus in Christianos, Tyrannorum odio ipsi se proderent et obiicerent. At cessatis iampridem his causis, Clerici saeculo sexto, ut multorum opinio est, Monachos aemulati ab iis acceperunt capitis tonsuram, quae humilitatis et modestiae tacita esset significatio, codemque saeculo uti coeperunt habitu a laicis distincto, nempe Romanorum toga, quae vestis erat usque ad talos extensa: laici autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptarunt.

Caeterum exploratum est, iam a quarto et quinto saeculo Ecclesiam sollicitam fuisse, ut vestes Clericorum modestia saltem a laicis distinguerentur, quod constat ex Conc. Carthaginiensi IV an. 398 can. 45: « Clericus professionem suam et in habitu, et in incessu probet. » Illud etiam observandum ducimus in iis, quae ad habitum Clericorum pertinent, praeter Sacros Canones, et Constitutiones Apostolicas, leges quoque Synodales cuiuscumque Dioecesis religiose servandas esse. Vide Benedictum XIV de Syn. Dioec. l. 11, c. 8, § 4 et Instit. 71, et S. Carolum Borromaeum Conc. Prov. I, p. 2.

Haec de tonsura et habitu clericali: at multo plura sunt et graviora, quae Sacri Canones de Clericorum moribus, et vitae agendae ratione sanciverunt. In primis itaque Clerici vetantur: 1° Incontinentiae et impudicitiae sordibus se contami-

nare, nullamque familiarem consuetudinem cum mulieribus habere, quum eos non modo malum ipsum, sed etiam omnem mali speciem atque suspicionem vitare oporteat: « Tantum enim oportet, ait S. Chrysostomus de sac. c. 6, imo maius studium adhibere, ut malas opiniones non solum dum erumpunt divellamus, arceamusque, sed et procul, unde erumpere possint, prospiciamus, atque adeo causas ipsas, e quibus enascuntur, longe ante tempore interimamus, nec etiam dum coalescunt, et in vulgi ore sparguntur, et divulgantur, expectemus: tum enim haud proclive erit illas delere, sed admodum difficile. » Esto, sint piae, verecundae, et omnino pudicae mulieres, quas Clerici frequentant, « haec earum ingenuitas, haec verecundia, monente S. Francisco Salesio, non raro sublimius allicit animum ita, ut, quo se magis in tuto esse putant illi ministri Christi, eo latentius eis insidietur inimicus: unde non semel contingit, ut quod sine periculo coeptum est, in periculum vergat. » Non licet Clerico mulierem, de qua possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, ex Conc. Trid. sess. xxv, c. 14. Potest tamen cohabitare cum mulieribus consanguineis, et etiam cum aliis, quae suspicionem fugiunt, ex Can. 17, dist. 32. Itaque canones vetant, ne Clerici apud se mulieres detineant, de quibus suspicio esse possit. Unde ipsis licitum est retinere ancillas, quarum ope in domesticis rebus utantur, quotiescumque sint provectioris aetatis et praesertim integris probatisque moribus, quod iudicium ad Episcopum praecipue spectat. Vide Benedictum XIV op. cit. lib. 11, c. 4 § 4, Inst. 72 et 83.

2° Crapulae et ebrietati se dedere: « Crapula

et ebrietate omnes Clerici abstineant, » cap. 14 de vita et honest. Cleric.; eo quod crapulae, et ebrietates exitium mentis inducunt, et libidinis provocant vim, qua de causa in Clericum, qui monitus ab eo vitio se non abstinet, Episcopus poenam suspensionis animadvertet, c. 14 eod tit. Praeterea non decet Clericos ad tabernas divertere, nisi ob necessitatem, cap. 15 eod. tit., nec compotationes facere, moremque sequi propinandi invicem pocula, praesertim in epulis nuptialibus, nisi id aliqua iusta ratio expostulet, et gravitas sobrietasque servetur. Convivia, ac coenae nunquam in intempestam noctem protrahantur. Cavendum etiam est, ne Sacerdotes, visitatum laicos adeuntes, ad bibendum semper parati se exhibeant. Id characterem sacerdotalem dedecet.

3° Aleis et taxillis ludere, vel cuicumque ludo vacare, in quo sors potissimum dominatur, Can. CLERICO eod. Huiusmodi enim ludorum genus ingentium malorum origo est, et inhonestum et humanae societati ac familiis admodum perniciosum, adeoque legibus ecclesiasticis, et civilibus tum Clericis, tum Laicis iure optimo interdictum, cap. 15 eod. tit., et L. 1 Cod. de Alcatoribus. Est autem alterum ludi genus, quod ex ludentis ingenio, et industria maxime pendet, cui utpote honesto, et non raro etiam ad spiritus relaxationem utili, operam dare Clerici non vetantur, dummodo, ut inquit S. Thomas 2, 2 quaest. 168, art. 2, « ludus congruat personae, tempori et loco, et secundum aliquas circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit, et tempore et homine, dignus. »

4° Venationem exercere, cap. 2 de Cler. Venat. et Can. 16 Concil. Lateran. IV: « Venationem et

aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves habere praesumant. » Et S. Hieronymus: « Nullum, ait, in Scripturis Sanctis invenimus venatorem, Esau venator erat, quoniam peccator erat. Hinc a Sacris Canonibus interdicta Clericis venatio est: » in Can. ESAU distinct. 86. Duplex autem venatio: altera clamorosa, quae fit cum magno tumultu, et strepitu armorum et canum ad occidendas maiores feras: altera quieta, quae nempe laqueis retibusque, aut etiam balista ignea, et sine strepitu ad capiendas volucres, minoresque belluas non feroces instituta. Quamquam vero magis consentanea Sacris Canonibus opinio sit utroque genere venationis Clericos interdici, multorum tamen sententia est, ob diuturnam consuetudinem, clamorosam tantum venationem, non quietam eisdem prohiberi. Vide Lessium de Iust. et Iure l. 2, 5, § 40. Benedictum XIV op. cit. l, 11 c. 10, n. 8 et S. C. C. 16 Dec. 1854. Caeterum putamus non posse nimiae severitatis nota aspergi Episcopi edictum, quo venatio quaelibet prohibeatur, etiam sub poena ac multa, dummodo non agatur de excommunicatione, ipso facto, incurrenda aut de privatione privilegii clericalis.

5° Arma gestare: « Clerici arma portantes excommunicentur: ob hoc supra modum viluisse gravitatem et religionem Clericorum, » Can. 2 hoc tit. Excipitur casus necessitatis, cap. CLERICI 2 hoc tit. Multo minus in acie possunt dimicare, nisi bellum sit defensivum, et Laici pares non sint hosti repellendo, Can. SI QUIS 4 distinct. 51. Confer. Giraldum Expos. Iuri Pontificii part. 1, sect. 311, ubi plures ea de re Constitutiones Apostolicas invenies.

6° Artes quasdam exercere, quibus membra inciduntur vel aduruntur, veluti 1° Chirurgiam facere, neque Clerici irregularitatem effugiunt, si inde mutilatio, vel mors sequatur. cap. Sententiam 9, Ne Cler. vel Monac., de qua re conf. Ben. XIV de Syn. Dioec. lib. 13, cap. 2, n. 5. 2° Viles et sordidas artes, ut cauponis et lanii, Clement. I hoc tit., non exclusa arte aromataria, ac apothecaria quae solum pro suo proprio usu permittitur S. C. CC. et RR. 1707. 3° Artes minus honestas, veluti in scena ludere, mimos vel comicos agere, larvis incedere, et id genus alia, quae clericos omnino dedecent, cap. unic. hoc tit. in 6. Medicinam iuxta artis regulas, ipsamque Chirurgiam citra incisionem et adustionem exercere Clericis Iure canonico non videtur esse prohibitum. Vide Ben. XIV de Syn. l. 13, c. 5 et l. 8, c. 5. Attamen consultum est, ut obtenta prius facultate, hasce artes exerceant Clerici, et prae oculis habere debent, ut *caute* simul et *sobrie* se gerant: *caute* quidem, ne eorum castitas laedatur, aut fama periclitetur, si vel frequentius ad foeminas accedant, vel eos curent morbos, qui pudicum oculum offendunt, et mentem turpibus cogitationibus facile perturbant; *sobrie* vero, ut pauperum, ac pietatis et misericordiae causa, non item omnium et lucri cupiditate medici esse videantur, atque ita cuilibet scandalo, ac murmurationi aditus praecludatur.

7° Munera et negotia saecularia gerere: nemo scilicet militans Deo implicet se negotiis saecularibus. Itaque Clericis non licet industriam, operamque suam, quam tota divino cultui, et proximorum utilitati, ex caritatis lege, impendere de-

bet, laicorum obsequiis, abiectisque servitiis eorum se dedere, ac negotiis administrandis curandisque, pro temporali eaque satis vili mercede locare; insuper ipsis non licet famulatui laicorum sese addicere, vel alicuius familiae administrationem suscipere, munera Iudicis, Gubernatoris et Notarii a Principe laico delata obire, nec etiam ipsis fas est in sacris constitutis, vel in minoribus tantum ordinibus, ubi stipendiis Ecclesiae sustententur, Advocati et Procuratoris munera coram Iudice laico, et in negotiis saecularibus obire, nisi causae Ecclesiae, vel pupillorum, aut viduarum, aliarumque miserabilium personarum agantur. Similiter ab officio Tutoris et Curatoris Clerici excusantur; si vero res sit de tutela, vel cura gerenda Pupillorum vel Minorum, quibuscum Clerici iure cognationis coniuncti sunt, eam suscipere permittuntur, at cogi non possunt, Nov. 123, cap. 5. Permittitur etiam ut Clerici in comitiis politicis et administrativis sedere possint, eo quod praesentia ac consilio suo plurimum conferre in bonum Ecclesiae ac societatis queunt.

8° Negotiationi, seu commercio saeculari et mercaturae operam dare, seque immiscere, ne a divinis, quibus mancipantur, rebus avertantur, et quaestus causa temporalibus negotiis tantummodo studeant. Id prohibetur sub anathematis interminatione c. 1 et 6. Ne Clerici de vit. et hon. Cler. Insuper omnibus religiosis, et ecclesiasticis viris, praesertim in sacro ordine constitutis, districte interdicitur sub iisdem poenis, ne praedia, ac vectigalia, turpis lucri gratia, conducant, ne res emant, aut comparent vilius, ut mutata forma, labore mercenarii conductitii, postea carius ven-

dant, neque cambia, ut vocant, activa, sive manualia, sive localia, quandoquidem, natura sua, actum verae et propriae negotiationis constituunt, vel suo, vel alieno nomine contrahant. Porro Urbanus VIII Brevi 22 Feb. 1633, et Clem. IX Const. SOLLICITUDO PASTORALIS OFFICII 17 Ian. 1669 omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus in Africam, Americamque missis, sive ii missionarii sint, sive non, interdixerunt, ne negotiationibus huiusmodi, quovis praetextu, causa, et occasione, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis directe, vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum religionum, vel alias qualitercumque se ingererent, vel immiscerent. Quum autem disputatum fuerit, an huiusmodi praescriptio ubique locorum ad ecclesiasticos ordines adscriptos, et ad sanctioris vitae genus electos sese extenderet, quumque S. C. C. nullum hac de re iudicium edicere consultius duxerit, Benedictus XIV Const. APOSTOLICAE SERVITUTIS 25 Apr. 1741 omnes et singulas praedecessorum suorum Constitutiones contra quoscumque clericos illicite negotiatores, ex certa scientia, maturaque deliberatione, et de Apostolicae Potestatis plenitudine innovavit, ac confirmavit, illasque sic innovatas et confirmatas ad Clericos, illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si perseipsos, ac proprio nomine negotia ipsa illicite exercerent, motu proprio, ex potestatis plenitudine, perpetuo extendit et ampliavit. Insuper decrevit, ac penitus declaravit « quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et

ad eosdem clericos, sive haereditario iure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive coniunctim cum aliis bonis, et aliis haeredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohaeredes, aut socios prosequuti sint, illud statim remittere teneantur. Si vero negotium huiusmodi, sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tum si intra Italiam, insulasque adiacentes existat clericus, a S. C. Concilii, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab ordinario loci licentiam illud ad aliquid tempus retinendi, proviso interim quod negotium huiusmodi a laico administretur, impetrare teneatur, dictaque Congregatio, aut ordinarius loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam gratis impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum praescribat. »

Verum enimvero duplex adhuc, super hac re, quaestio se offerebat, quarum altera erat, an sacerdotibus ad titulum missionis ordinatis, qui patrimonio ac beneficio carent, et missarum eleemosynis parum, aut nihil comparare sibi queunt, permitti posset, ut licita atque honesta aliqua negotiatione suae sustentationi consulerent? altera vero, an aliquod commercii genus licitum esset Clericis, qui ex caritatis officio, et dilectionis titulo, honestam sustentationem iis procurare tenentur, qui sanguinis, aut alio necessitudinis vinculo inter se coniunguntur? Clemens XIII, ad secundam quaestionem quod attinet const. *Cum primum* 17 Sept. 1759 decrevit « huiusmodi excusatio-

nem a superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat, se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam, et insulas adiacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem, et facultatem praedictas personas industria sua iuvandi, vel ab Apostolica Sede, vel respective ab ordinario impetrasse. » Ad primam quaestionem S. Officium die 18 martii 1784 sequenti instructione, iussu Pii VI respondendum esse duxit: « Distinguere autem oportet, utrum sacerdotes isti ex nunc inopia premantur, cui ni consulatur, cum sui characteris dedecore, victum sibi mendicare cogantur, an potius providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, atque etiam pestis, incendiorum, ac terraemotus, lucrum aliquod sibi ex negotiatione comparare velint, ut, opportuna hac cautione, futuram egestatem devitent. Quoad sacerdotes praesenti inopia laborantes, in promptu est decretum S. C. de Propaganda Fide die 25 Nov. 1665, ubi S. C. toleravit sinenses sacerdotes, qui titulo clericali, defectu patrimonii, carent, commercium exercere, ad sustentationem propriam dumtaxat, et tantum solummodo impendant, quantum honestum patrimonium constituit. Quoad alios vero futuris, sed tamen probabilibus suis necessitatibus providere cupientes prostat etiam Epistola Encyclica S. M. Clem. XIII. *Cum primum*, in qua et praesertim § *Si autem*, et deinde *Caeterum*, quidquid ad rem opportunum est, sanctissime decernitur.

Ex his autem Apostolicae Sedis sanctionibus, si regulas atque instituta, atque etiam indulgentiam in iis expressam Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus exacte ac diligenter sequatur, facile ipsi erit omne dubium dissolvere, et pauperum sacerdotum indigentiis, vel statim consulere, vel in posterum occurrere. Nam si urgeat praesens inopia, ex laudato decreto 1665, poterit tolerare negotiationem aliquam a sacerdotibus fieri, iis tamen sub conditionibus, quae in eodem decreto adiiciuntur: si vero futuris necessitatibus dumtaxat sit providendum, ea facultate utatur, quam Clem. XIII. Episcopis extra Italiam concessit, et dispensationem sacerdotibus indulgeat, ut, sua industria, possint subsidia quaerere, ad vitandam egestatem, iuxta tamen eas conditiones et regulas, quas idem Pontifex in Epistola praescripsit. » Conditiones autem sunt: 1° ut indigentia nulla alia ratione levari possit; 2. ut praescribantur honestiores modi, quibus Clericus, iusta moderatione servata, negotiationis genus assumat, cuius administratio clericalem statum non dedeceat; 3. ut facultates obtentae semper quoad tempus, revocationi obnoxiae, censeantur, ita ut pro irritis et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi.

Non est porro ambigendum, quin Clericis permissum sit, ut propria, Ecclesiaeque bona conservent, administrent, foetusque, ac fructus, qui in iis enascuntur seu aluntur, seu colliguntur, libere distrahant, aut cum aliis venditionibus, ne depereant, permutent, vel etiam per se, vel per administros suos deinceps intra in-

sti pretii fines vendant. Iisdem praeterea non prohibetur quin animalia, pro necessario culturae usu, emant, et quae, ex successione, aliisque titulis, comparata sunt, locent, eorumque foetus, honesta ratione, distrahant. S. C. C. 17 Maii 1679. Pariter licet Clericis, labore manuum suarum, arte, agricultura, honestoque aliquo artificio, sibi victum comparare, modo id fiat absque ullo officii detrimento, et ecclesiastici gradus offendiculo. Cap. Clerici caus. 3, dist. 91. In hisce enim non habetur negotiatio lucrativa, sed oeconomica, et artificialis, quae prohibita non est. Vide Ben. XIV Const. « APOSTOLICAE SERVITUTIS » 25 Apr. 1741. Theoph. Raynaudum de relig. negotiat., Gonzalez in cap. 6. Ne Clerici vel Monachi, et, si vis, decreta S. C. C. quae habentur in append. 4, n. 3 Syn. Dioec. Card. Mattei Romae 1819. Quaeritur hic 1° An Clericis permissum sit merces ad proprias utilitates collectas, cariori pretio, si supersint, vendere? S. C. C. 11 Martii 1677 reposuit: « Si collectio fuit facta ad lucrum captandum, posse vendere, sed lucrum applicandum esse iuxta Const. Urb. VIII favore hospitalium, seminariorum, ac locorum piorum. Si vero collectio fuit facta ad solam subsistentiam, non esse veram negotiationem prohibitam. » Quaeritur 2° An Clericis interdictum sit pecuniam, sive Gubernio, sive societatibus constitutis tradere, ut, receptis actionibus vel obligationibus, quae in commercio versantur, fixum aliquod lucrum, aut etiam indeterminatum ac incertum et anceps, pro vario commercii progressu et exitu, emolumentum repetant? Illud unum est, in quo doctores plane consentiunt, nempe pecuniam Gubernio

dari posse, ut acceptis actionibus, lucrum reportent. Igitur in eo dissentiunt, quod alii in societatibus omnibus privatis, sive industrialibus, sive commercialibus, sive operariis, id prohibitum, alii e contra permissum esse contendunt. Illi affirmant agi de vera ac proprie dicta negotiatione per interpositam personam peracta, quandoquidem Clerici, acceptis actionibus, socii fiunt, et indirecte cum aliis negotium exercere videntur, et in huius sententiae confirmationem adducunt decis. S. C. EE. et RR. 30 Ian. 1846, ubi dicitur non licere Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, vel beneficia Ecclesiastica retinentibus actiones cuiusdam societatis, vulgo Banca o Società d'accomandita, acquirere. Vide Analecta Pontif. Martii 1857, livr. 60, col. 477; et livr. 68, col. 1426. Adducitur insuper responsum S. Officii 1 April. 1857 ad dubium « Utrum sit licitum Ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere? » Quod fuit « SS. concedit facultates RR. PP. DD. Episcopis communicandas per organum S. C. EE. et RP. permittendi Ecclesiasticis, ut accipiant actiones *delle strade ferrate* de propria pecunia tantum. » Alii e contra auctores asserunt Clericos, non secus ac laicos, actiones societatum, et obligationes quascumque emere licite posse, easque eodem iure vendere, et permutare, cum sibi opportunum duxerint; quia nullum commercium reapse peragunt, nec agere intendunt. Auctor Prael. Can. S. Sulpicii t. 2, p. 2, art. 2, n. 355 hanc sequitur sententiam, sed addit limitationem: « Si vero, ait, hoc in eum finem emant, ut revendant maiori pretio, ut fit in commercio chirographorum, et in negotiatione censuum, transgrediuntur leges

canonicas: id enim in communi aestimatione reputatur commercium. » In hoc sententiarum conflictu mens mihi erat Apostolicae Sedi iuxta consilium Clem. XIII cit. const. quaestionem decernendam proponere, ut quid de hac re sentiendum sit, idoneo responso nobis innotesceret. Verum quum id ab aliis iam peractum sit, exspecteturque responsum, ex quo agendi regula desumatur, praesertim quod citatum S. Officii responsum quaestionem iuris, saltem directe, et generatim quoad omnes *actiones* et *obligationes*, ut aiunt, non attingit, pro nostro instituto duo hic tantum operae pretium esse duxi satius animadvertere, quam disputare. Ac 1° animadverto decisionem S. C. EE. et RR. alio spectare. Nam in ea non agitur de societate iam constituta, sed societate, vulgo d'accomandita, constituenda. Fundator namque, ad fiduciam, et nomen sibi conciliandum, valde cupiebat, ut ecclesiastici viri inter socios eiusdem cooptarentur, unde eos adurgebat, ut actiones sibi compararent. Quo quidem facto, nemo est qui non videat, ecclesiasticos viros, si ipsius expostulationibus fecissent satis, in ipsam societatis constitutionem directe concurrisse, eiusdemque socios evasisse. Verum aliter res se habet, ubi de societate iam constituta sermo est, quae vim omnem ac robur aliunde hauserit, eiusque existentia ab actionum venditione non amplius dependet. Adsunt administri, gerentes, ac rectores, qui de re sociali solliciti sunt. Clerici actiones, seu obligationes non acquirunt, per modum apothecae, ut carius inde revendant, sed ut fructum aliquem ex pecunia reportent, adeoque nil peragunt, quod, attenta ipsa actus natura, reique substantia, per se inhonestum aut characteri ecclesiastico indignum, ac

inconveniens dignoscatur. 2° animadverto, Clericos, hac agendi ratione, non turpi cupiditate, et avaritiae studio adductos ad lucrum captandum primario animum intendere, et societati proprio aut mentito alieno nomine se immiscere; sed provido consilio, de honestae ac commodae sustentationis medio sibi procurando unice ductos, ac impulsos, inter tot, ac tanta, quae hisce praesertim temporibus prostant, media aliquod sive fixum, sive variabile emolumentum reportandi, absque ulla rerum gestione, illud bona fide eligere, quod in actionibus, vel obligationibus sibi comparandis consistit. Accedit quod hoc medium, si mores hominum expendantur, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt, nullam verae mercaturae speciem praeseferre videtur, nec animum a servitio Ecclesiae et animarum cura ullo modo amovet, aut frequentem applicationem, ac contentionem exposcit.

§ 137.

De obligatione servandi continentiam et recitandi horas canonicas.

Primum, quod est maiorum clericorum proprium ac commune, recensetur obligatio servandi perpetuam continentiam, de cuius origine et antiquitate praestat aliqua exponamus, atque latinae Ecclesiae disciplinam a disciplina graecae Ecclesiae secernamus. Omissis subdiaconis, qui ut superius ostendimus, non semper inter maiores clericos fuerunt adnumerati apud latinos, nec adnumerantur adhuc apud graecos, numquam profecto a latina Ecclesia Episcopis, Presbyteris, ac

Diaconis fuisse permissum aut uxores ducere post ordinationem, aut uti, quod opus coniugale spectat, antea susceptis, infinita propemodum disciplinae monumenta per aetates singulas ab eruditis passim digesta luce meridiana clarius ostendunt.

Non ita tamen servatum legimus in Graeca Ecclesia: numquam sane apud graecos licitum fuit Episcopis ac Presbyteris uxores ducere post ordinationem, attamen Diaconis, si in ordinatione sua fuissent contestati, se continentiam non posse servare, permisit Conc. Anciranum an. 314 can. 9, ut uxores post ordinationem ducerent. Baronius et Binnius, aliique non pauci contendunt Synodum verba facere de iis, qui inviti ac reluctantes ordinabantur. At ne verbum quidem huiusmodi violentiae in laudato canone occurrit. Consultius proinde sentit Arcudius « patres illius Concilii eo tempore cum nonnullis Diaconis dispensasse, quod hoc non sit de iure divino, idque vel propter penuriam ministrorum, vel propter laxiorem indulgentiam. » Quod vero spectat uxores ante ordinationem ductas, hic fuit usus et laudabilis disciplina apud graecos, ut sacri ministri antiquitus iis abstinuerint, quamquam nulla forsan alicuius universalis legis necessitate ad id fuerint addicti. Haec ipsa graecorum disciplina in Conc. Trullano, seu Quinisexto (prout fert verosimilior chronologia) an. 692 noscitur immutata. Statutum quidem in eo est can. 12 graecis Episcopis licitum non esse uxores ante ordinationem ductas retinere, cum iis habitare et consuetudinem habere. At can. 13 Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis et retinere uxores legitimas ante ordinationem ductas, et coniugale commercium cum iis habere

fuit permissum, atque hoc iure etiam nunc graeci utuntur.

Ex hac varia Graecorum disciplina illud deducimus legem celibatus, seu perpetuae continentiae, sacris ministris impositam divinam non esse, sed dumtaxat ecclesiasticam. Et re quidem vera quoties unio et concordia graecorum cum latinis inita est in Conciliis praesertim Lugdun. II et Florentino, nusquam vitio datum est graecis, quod suis cohabitarent, aut coniungerentur uxoribus; numquam imposita ipsis haec conditio fuit, ut ab uxoribus quas nempe antea duxerant, separarentur. Id profecto nequaquam tolerasset Ecclesia, si divino praecepto vetitum intellexisset, nulloque modo legem divinam sic impune a graecis violari et proculcari permisisset. Verum aequissima est atque sanctissima haec ipsa caelibatus disciplina, seu lex sacris ministris imposita, optimis quippe suffulta rationibus, quas passim Theologi et canonum interpretes exponunt, et nos ipsi in op. de Matrimonio adducemus. Perperam proinde Lutherani, Calvinistae, ac neoterici Philosophi ac Politici eam veluti iniustam, tyrannicam, bono societatis adversam, et verbo Dei, ac naturae principiis contrariam redarguunt atque contemnunt.

Alterum, quod proprium, seu commune maioribus Clericis, Presbyteris scilicet, Diaconis et Subdiaconis, obligatio est quotidie recitandi horas canonicas. Sunt autem hae horae canonicae preces, quae ex canonum praescripto a personis ad id deputatis recitari debent. Horae quidem appellantur, quia certis horis nocturnis et diurnis, iuxta diversam locorum et personarum consuetudinem sunt persolvendae. Breviarii etiam nomine

designantur, sive quia utrumque testamentum, Patrum sententias et gesta sanctorum breviter ac summatim amplectuntur, sive, quemadmodum aliis arridet, quia, ut nunc recitantur, nonnisi compendium sunt illarum multo longiorum, quae primis Ecclesiae saeculis recitabantur. Denique vocantur officium divinum, canonicum, ecclesiasticum, quia ad Dei cultum iuxta canonum regulas fuerunt institutae, et Ecclesiae nomine persolvuntur; preces proinde publicae sunt, licet extra chorum et privatim recitentur.

Horae canonicae septem numerantur, iuxta illud psalmi XVIII, 164 «septies in die laudem dixi tibi;» scilicet matutinum cum laudibus, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorium. Atque his tum principaliora Dei beneficia repraesentantur, creationis nimirum, conservationis, redemptionis, praedestinationis, vocationis, iustificationis, et glorificationis, tum praecipua septem dominicae passionis mysteria recoluntur, quinque versibus expressa apud Glossa cap. 10 de celeb. missarum. Si huiusmodi horae spectentur secundum substantiam, prout preces continent quotidie statis temporibus persolvendas, facile ab ipsis Apostolis repeti possunt. Legimus enim Act. II, 42; quod nascentis Ecclesiae fideles *erant perseverantes in fractione panis et orationibus, id est in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes*, ut loquitur Apostolus ad Eph. V, 19. Rem egregie confirmat Tertullianus, qui meminit tertiae, sextae, ac nonae, easque tum ex traditione repetit, tum horas apostolicas appellat novem. Iungi etiam debent constitutiones Apostolicae, quae licet genuinus apostolorum foetus non sint, priorum ta-

men saeculorum disciplinam exhibent. L b. enim 8, cap. 30 haec leguntur: « Praefationes facite mane 3 hora, et 6 et 9, et vespere usque ad galli cantum. Si vero spectentur secundum formam, modum, et tempus, quibus recitantur sane ab Apostolis repetendas non esse ex pluribus mutationibus, quas diversis locis et temporibus passae sunt, abunde demonstratur. Quod denique recentiorem Breviarii formam attinet, Radulfus Tangrensis Decanus refert, ineunte saeculo XIII illud a S. Gregorio VII abbreviatum, a Gregorio IX in aede Sacra pontificia receptum fuisse, additis reformationibus a P. Haymo, iussu Pontificis eiusdem factis; adeoque dicebatur officium breviarium curiae romanae. Addit etiam fratres minores S. Francisci, missionibus Apostolicis tunc occupatos, hanc brevioris officii formam fuisse amplexos. De iis porro quae deinde a SS. Pontificibus hac de re peracta a Conc. Tridentino praescripta et a S. Pio V eiusque successoribus praecepta sunt, plura loqui ad nos non attinet, nec instituti nostri ratio patitur. Sane omnes Clerici lege horas canonicas recitandi olim constringebantur, quia scilicet omnes beneficiarii erant, cum iuxta veterem disciplinam, quae ad XII usque saeculum servata noscitur, servitio certae ecclesiae forent omnes addicti, ex qua sua eis stipendia suppeditabantur. Postquam nova invecta est disciplina, ut Clericatus et ordines minores sine titulo alicuius ecclesiae conferrentur, eidem legi recitandi horas canonicas, soli maiores Clerici, seu sacris constituti titulo ordinis sacri, et beneficiati omnes titulo beneficii subiici coeperunt, et hodie subiiciuntur.

Vide Boquillot « Traité historique de la Liturgie sacrée liv. I. chap. 10 » Grancolas « Commentaire sur le Bréviaire Romain, » t. I. Regulares professi, et sanctimoniales choro addictae ad recitandas horas canonicas, vi generalis consuetudinis tenentur.

§ 138.

De privilegiis Clericorum.

Quemadmodum Clericorum officium pene divinum, gradus eorum omni veneratione dignus, obligationes sat graves sunt, ita merito eisdem varia tributa sunt iura et privilegia ; id quod nec gentes maxime barbarae suis sacrorum ministris umquam denegarunt. Horum autem privilegiorum duplex genus est : aliqua enim specialia sunt, quibus nonnulli Clerici secundum dignitatis gradum, quem in hierarchia ecclesiastica tenent, exornantur: alia vero sunt omnibus Clericis communia. Quia vero de prioribus, distinctis locis suis, egimus, modo de posterioribus pauca dicemus. Porro haec privilegia vel personalia sunt, vel realia, prout vel personas, vel res Clericorum afficiunt. De privilegiis realibus sermo redibit, ubi de reali Ecclesiae immunitate disseremus; nunc personalia enucleabimus.

Inter haec primum est *Privilegium Canonis* ita dictum a Canone XV Concilii Lateranensis II, ubi sic statuitur: « Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico aspectui praesentetur,

et eius mandatum suscipiat. » Iam vero per violentam manuum iniectionem, ex commuui Doctorum sententia, cui liquide favet textus in cap. NUPER, de Sent. excommunic., intelligitur quaevis externa actio contumeliosa in Clericum vel Monachum: et proinde non solum qui eumdem percutiunt, vulnerant, vel aliter manus et vim inferunt, sed etiam qui insequuntur, qui in vincula detrudunt, qui in custodia detinent, qui in equum, cui Clericus insidet, violenter irruunt, vel laedunt, vel occidunt, aut aliis huiusmodi contumeliosis factis personas ecclesiasticas vexant, excommunicationis vinculo detinentur. Sicuti vero ad hanc excommunicationem incurrendam praecipue requiritur animus deferendi Clerico iniuriam, uti significant ea verba, suadente diabolo, ita ab eadem censura excusantur qui violentas manus iniiciunt ex invincibili sive iuris sive facti ignorantia, qui ad sui defensionem vim vi repellunt, servato moderamine inculpatae tutelae, aut non odio vel indignatione, vel invidia, sed levitate et ioci causa, vel sine deliberatione, vel casu fortuito, aut in subito primoque irae impetu, aut disciplinae gratia, aut demum qui ipsum Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter agentem invenerit. Non tamen excusantur qui violentam tum in Clericum tum in Monachum manuum iniectionem mandant, dummodo sequatur effectus, qui suo nomine et intuitu factam, exteriori aliquo signo, ratam habent, qui consilium dant aut opem, qui denique in eam consentiunt, aut non impediunt, cum impedire possunt, et ex officio aut alio titulo tenerentur.

Nomine vero Clericorum veniunt Clerici omnes

vel prima dumtaxat tonsura insigniti, imo et Clerici coniugati, si cum unica et virgine matrimonium inierint, habitum et tonsuram deferant, et alicui Ecclesiae, de mandato Episcopi, inserviant; non eo tamen privilegio fruuntur Clerici bigami, qui duabus successive, vel unicae non virgini nupserint, neque Clerici, qui, dimisso habitu et tonsura, saecularibus negotiis dant operam, si ter ab Episcopo moniti ab eisdem non abstineant, ut infra dicemus, neque etiam Clerici realiter degradati ac solemniter depositi et actu traditi curiae saeculari, nec tandem Clerici, qui se latrociniis, aliisque enormitatibus coinquinarunt. Monachorum vero nomine intelliguntur Regulares omnes utriusque sexus, etiam conversi et conversae, Novitii et Novitiae, imo etiam ordinum Mendicantium Tertiarii et Tertiariae, dummodo vel in Communitate vel in propriis domibus, nuncupato tamen de consensu Ordinarii castitatis perpetuae voto, caelibem vitam traducant, quin et Eremitae, qui eremiticum habitum ex legitima facultate deferunt, et sub speciali Episcopi obedientia alicui Ecclesiae et Eremitorio inserviunt.

Alterum est *Privilegium Fori* in eo situm, ut nemo Ecclesiasticam personam in criminali vel civili quaestione ad iudicium saeculare trahere possit. Clericorum itaque exemptio a Laicorum foro privilegium fori nuncupatur. Hac immunitate Clerici facto potiti sunt, ubi primum, sedatis in Ecclesia persecutionum procellis, christiani Principes imperare coeperunt. Eamdem immunitatem atque exemptionem subsequentibus saeculis et SS. Pontifices et Principes maxima inter se consensione Clericis confirmasse liquet ex auth. Ho-

DIE, auth. STATUIMUS Cod. de Episcopis et Clericis, atque ex decretalibus, praesertim tit. de Iudic. et foro competent. De hoc privilegio sic statuit Trid. Syn. sess. XXIII, cap. 6: « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere: is vero fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, et tonsuram deferens alicui Ecclesiae, ex mandato Episcopi, inserviat.» Itaque Clericus beneficium ecclesiasticum possidens fori privilegio donatur, licet neque clericalem tonsuram et habitum deferat, neque Ecclesiae inserviat. Clericus autem beneficium non habens, ut fori privilegio perfruatur, clericalem habitum et tonsuram deferre debet, ac simul alicui Ecclesiae, de mandato Episcopi, inservire. Conc. enim Trid. dicta sess. eas conditiones exprimens utitur alternativis seu disiunctivis particulis *nisi*, *aut*; « nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum deferens alicui, Ecclesiae, ex mandato Episcopi inserviat; » namque « in alternativis sufficit alterutrum adimpleri » ex reg. 70 Iuris in 6. Hoc quoque privilegio Clericus beneficium non obtinens adhuc fruitur, licet alteri Ecclesiae, quam cui fuit adscriptus, inserviat, et mandatum Episcopi non habuerit, vel licentiam. Mandatum enim Episcopi non censetur conditio substantialis ex sententia S. C. C., quod demonstrat Fagnanus in cap. SI QUIS, de foro compet., rationem addens nimirum, « quia qualitas mandati vel licentia est levis, satisque est concurrere, quae potiora sunt, nempe tonsuram, delationem ipsius cum habitu clericali, servitium

Ecclesiae vel commorationem in aliqua schola. Ita enim cessante etiam Episcopi mandato satisfit menti Concilii. » Clericos vero, qui decreto Conc. Trid. cap. 6, sess. XXIII, de Reform. privilegio fori non gaudent, non intelligi privatos privilegio Canonis, respondit eadem S. C. C. in causa Aquens. mense Febr. 1589; siquidem cum in materia poenali et odiosa versemur, verba Trid. ead. sess. XXIII, quae privilegium fori tantummodo spectant, non sunt ad privilegium Canonis, de quo nulla ibi mentio fit, traducenda.

Clericus autem coniugatus hoc privilegio fruitur 1° si cum unica et virgine matrimonium contraxerit; 2° si tonsuram et vestes clericales deferat; 3° si alicui Ecclesiae ab Episcopo deputatus inserviat. At vero Clerici, qui unam ex his conditionibus non servant, hoc clericali privilegio privantur; copulativis enim particulis utitur Tridentina Synodus, dum eadem sessione ita prosequitur: « In Clericis vero coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII, quae incipit CLERICI QUI CUM UNICIS, modo hi Clerici Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiae serviant, vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur. » Verum « bigamos omni privilegio clericali declaramus esse denudatos: ipsis quoque prohibemus deferre tonsuram et habitum clericalem, » inquit Gregorius X in cap. ALTERCATIONIS, de Bigamis in 6.

Caeterum Clericos omnes sive coniugatos, sive caelibes, qui habitum et tonsuram clericalem deponunt, etiam nulla praecedente monitione, iure ipso spoliatos esse privilegio fori, docet Fagnanus in cit. cap. SI QUIS, de foro competenti, et Giraldi

Exp. I. C. p. 1, p. 701, et p. 2, pag. 987. Episcopus tamen sua iurisdictione non privatur in eosdem Clericos, qui conditiones a Tridentino latas non observant, ideoque quamvis ipsi nequeant privilegium fori allegare, Episcopus tamen eos, quandocumque sibi videatur, excepta causa homicidii, potest a iudice saeculari repetere, et ad suum forum revocare, dummodo nec a iure, nec ab homine, per declarationem factam, servatis servandis, privilegiis clericalibus privati sint, quemadmodum saepius definitum est a S. C. C., qua de re confer Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. 12, cap. 2. Imo si Clerici, demisso habitu et tonsura, delinquant, et postmodum habitum et tonsuram resumentes Ecclesiae inserviant, fori privilegio gaudent, nisi tamen fraus et dolus intercesserit, de quo iudicium ferre ad ecclesiasticum iudicem pertinet, aut sermo sit de homicidio ex Const. Benedicti XIV ALIAS, et Clem. XII IN SUPREMO.

Verumtamen ad praecavenda mala, quae ex hac libertate clericalis habitus dimittendi, atque iterum sumendi, oriri possunt, atque etiam ad evitandas contentiones inter utramque potestatem, saecularem scilicet et ecclesiasticam, quae plerumque, hac de causa, excitari solent, satius est Episcopos praecipere Clericis vel per publicum edictum, vel per citationem singulis factam, ut in habitu et tonsura incedant, atque alicui inserviant Ecclesiae, congruo tempore ad utrumque praestandum praefinito. Hoc autem elapso tempore, si non obtemperaverint, eos Episcopus ex cap. CONTINGIT de Sent. excommun. ter moneat, ut imperata faciant; qua tamen in re non satis est unica no-

nitio, quae tribus aequivaleat, sed tres distinctae requiruntur. Post trinam vero monitionem Episcopi queunt adversus inobedientes sententiam ferre, qua decernatur eos propria culpa excidisse clericalibus iuribus, neque deinceps restituenda eis fore privilegia, quorum sua pertinacia indignos sese praebuerunt. Quod si, post hanc sententiam, clericales vestes iterum induere Clerici praesumant, non propterea a saeculari foro sese subtrahent, sed eidem obnoxii non secus ac laici permanebunt. Vide Bened. XIV cit. lib. 12, cap. 3. Huc spectat referre S. C. Immunit. litteras 20 Sept. 1860 datas, iussu SS. PP. Pii IX, ubi decernitur, Clericos ob non servatas conditiones Conc. Trident. ipso iure et ipso facto reapse amittere cuncta privilegia clericalia, ita ut tractari debeant, utpote personae mere laicae etiam in causis criminalibus et poenalibus effectibus, quin trina monitio vel peculiaris declaratio de hac omissione requiratur.

Quaeritur, an Clerico liceat suum malefactorem coram Iudice laico accusare? Bonifacius VIII cap. Praelatis de homicid. in 6, statuit id profecto licere, inquiens: « Si Praelati aut Clerici, propter metum huiusmodi, quia iudex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi. » Debent tamen, ne irregulares fiant, expresse protestari se id non agere ad vindictam, neque ad poenam sanguinis, bene vero ad solam veritatis manifestationem, uti habetur ex cit. cap. Praelatis, et ex decreto S. C. Immunitatis 14 Iunii 1825 ad Episcopos Genuensis provinciae dato.

Si vero Clericus coram Iudice laico in ius vocetur, vel citetur ut testis, non potest obtemperare, sive causa civilis sive criminalis sit, nisi primum ab Episcopo comparendi licentiam in scriptis obtinuerit; qua obtenta accedere poterit, et de veritate dicenda iuramentum emittere, non tamen laicorum more, tactis nempe Scripturis, sed more sacerdotali, videlicet tacto pectore. Ubi vero causa criminalis fuerit, debet praeterea protestari ad formam dicti cap. PRAELATIS.


Antequam caetera privilegia Clericorum propria recenseamus, operae pretium est observare Clericos coniugatos, licet bigami non sint et habitum clericalem et tonsuram deferant, praeter privilegia Canonis et Fori, nullo alio privilegio et praerogativa decorari. Quod quidem post Bonifacii IX Constitutionem, seu litteralem textum in cap. unic. de clericis coniugatis in 6, perspicuum etiam est ex Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 6 et 7 de Reform., et Doctores plerique omnes tradunt cum Fagnano in cap. IOANNES eod. tit.: « Neque, inquit idem Fagnanus loco citato, ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii; nam ex contrario actu haec privilegia amittuntur. »

Reliqua vero privilegia, saltem praecipua, haec sunt: 1° Exemptio ab omnibus officiis et oneribus, quae cum status clericali dignitate et functionibus componi non possunt. Hoc privilegium, divina ordinatione, in Clericos promanat, illudque postulat maxima dignitas status clericalis et conservatio tum clericalis auctoritatis, tum libertatis in sacris ministeriis obeundis. Quare exempti sunt a militia, ab excubiis, a vigiliis, a muneribus pu-

blicis, curialibus, municipalibus, a tutelis, curationibus, atque muneribus sordidis et servilibus. De militia vide litteras Pii IX ad Episc. Montisregalis SINGULARIS NOBIS, 20 Sept. 1864. 2° Privilegium competentiae, seu capitis ODOARDUS de solut., vi cuius Clerici in ius vocati a creditoribus, in id solum, quod est supra decentem eorum tuitionem condemnari possunt, ne cogantur victum quaeritare et egere cum dedecore, et contemptu ordinis clericalis. Hoc vero privilegium solis Clericis Beneficiatis, atque iis qui sacris ordinibus initiati sunt, concedi consuevit. Denique 3° Clerici filiifamilias plenum consequuntur dominium bonorum adventitiorum.

De Clericorum privilegiis haec nobis delibasse sufficiat. De exemptione a statutis, seu legibus municipalibus, non loquimur, praesertim quod compertum nobis sit, ea, dummodo officio clericali non repugnent, ex quadam aequitate, et Ecclesiae usu a Clericis omnibus hodie observari.

Et hic explicit liber secundus DE PERSONIS.



V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.
Th. Ioseph Ghiringhello.

INDEX

—

CAPUT III.

DE S. R. E. CARDINALIBUS

CAPUT IV.

DE LEGATIS APOSTOLICAE SEDIS

CAPUT V.

DE PATRIARCHIS, EXARCHIS ET METROPOLITIS

CAPUT VI.

DE EPISCOPIS

CAPUT VII.

DE ADIUTORIBUS EPISCOPORUM

CAPUT VIII.

DE CANONICIS ET PAROCHIS

CAPUT IX.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS

CAPUT X.

DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM

CAPUT XI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS

CAPUT XII.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT

CAPUT XIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS





